Euchario & sociis strenuè rem Christianam ad Rheni oras promoventibus, secundis successibus haud modica intervenit calamitas, fidelissimo Apostolatus socio Materno repente morte sublato, quo casu consternati Eucharius & Valerius, curato non sine lachrymis funere, Romam quamprimum reversi, & Petro questi, ab hoc cum ejusdem remissi baculo, & hunc cadaveri imponere jussi, mox ut imposuerant, grandi miraculo redivivum recepêre. Quo signo attoniti circum undique infideles, facile deinceps passi sunt, ab iisdem Sanctis idola confringi, & famosissimum fanum destrui, ejusque loco Christo Ecclesiam exædificari, quæ postea à morte Petri ipsius nomini est nuncupata.

A.C. LIV.

Curatis Novienti rebus, & relictis qui rem divinam curarent, novellumque Christi gregem foverent, Sancti Eucharius, Valerius & Maternus, victricia Crucis signa ulterius proferunt, & Maternus quidem resuscitatus apud Argentinam, ubi jam antea rem frustra tentaverat, denuo Christum prædicans, eidem haud paucos lucratus, in vicina etiam excursionem facit, insigni fructu beandus. Eucharius autem ulterius progressus, juxta monita Petri, hoc ipso anno, apud Treverorum metropolim sedem posuit, & annis 23. præsedit.

A.C. LV.

Maternus, postquam mortuus est semel, mori deinceps non metuens, ad Rheni oras strenue laborat, totusque in eversione idolorum & idololatrarum conversione occupatur, Euchario non minus inter Trevirorum populos, superstitionis errores damnante, contempto omni vitæ periculo, plurimos ad Christiana sacra pelliciendo.

A.C. LVI.

Apud Tullum Imperialem cum tempore Urbem, Sanctus Mansuetus & ipse divi Petri discipulus, SS. Clementis Martialis, Ursicini, Juliani & Frontonij socius, felici rerum successu, Christi fidem promulgat & propagat.

A.C. LVII.

Varia vitæ adit discrimina apud Treveros S. Eucharius, pessimè subinde ab infidelibus habitus, mire tamen ad solatium novelli Christi Gregis servatus, cum concitantibus idololatris Sacerdotibus inter lapidum imbres, nihil pateretur, imo obrigescerent prodigiose lapidantium brachia, donec ejusdem precibus solverentur.

A.C. LVIII.

Iterum Apostolum egregium mittit in Germaniam hoc ipso anno Archiapostolus Petrus, S. Crescentem S. Pauli discipulum ab hoc ipso sponte oblatum & dimissum, qui sedem primus Moguntiæ posuit, atque inde in diversas Germaniæ & Galliæ excurrens provincias, multum Christo populum lucratus est.

Hoc anno Baronius, Petrum ex Oriente in Occidentem reversum, longè lateque per seipsum prædicasse Evangelium opinatur, qua ipsa occasione Rhætos denuo & Helvetios prius, quam Romam rediret, opinamur.

A.C. LIX.

Relicti Novienti à S. Euchario discipuli, suis minimè contenti finibus in Alsatiam latius excurrunt; & recens à S. Materno Argentinæ & in vicinia conversis subsidio & solatio occurrunt, dum Maternus in remotiora Germaniæ Zelo Apostolico extenditur.

A.C. LX.

S. Batho sive Beatus per Helvetiam & superioris Rheni tractum maximis se meritis commendat, verboque & exemplo, nec non miraculorum virtute, plurimos ad Christiana sacra invitat, & sacris Baptismi undis abluit.

A.C. LXI.

Chaucis, Ansibariis & Frisiis Rheni oras bello turbantibus, Evangelii prædicatio non solum impedimenti nil patitur, verùm multo magis accenditur, dum fidei præcones populum in sylvis & montibus assequuti, divina unius veri DEI flagella justissima, ob infidelitatem denunciantes, multos ad veritatis lucem deduxere.

A.C. LXIII.

S. Barnabas Apostolus, postquam aliquot annis Mediolano, Rhætiæ atque Helvetiæ Pontificali & Apostolica functione utilissimè præfuisset, in Cyprum patriam suam reversus, glorioso Martyrio conficitur, Helvetiis & Rhætis grati animi ergo, in perennem & spectabilem tanti Apostoli memoriam spectatissimum suorum Montium ab ejusdem nomine *Barnaba* usque hodie cognominantibus.

A.C. LXV.

Multa ad fidem Christi accessio, grandium miraculorum intuitu, quibus Christiana dogmata asserebant Apostolici viri, quos inter S. Mansuetus Tullorum vicinorumque populorum Episcopus, dum in eadem, Imperiali deinceps, urbe ludi equestres solemniter celebrarentur, & urbis Præfecti filius è fenestra proruens vita excessisset, interveniens ille mortuum que vitæ reddens, plurimos veræ vitæ, Christo nimirum lucratus est.

A.C. LXVI.

Sanctus Maternus incredibili propagandæ fidei Zelo, Leodium usque proficiscitur, nihilque non agit, quod ad convincendos errores infidelium faciat, comprobante magnis prodigiis Numine, & doctrinæ solidam veritatem, & Apostoli Sanctitatem.

A.C. LXVII.

Petrus Apostolorum Princeps exercitum Imperatoris Claudii, & ex Britannia fideles visitaturus, in Germaniam reversus ad Bathonem sive Beatum suum discipulum Vindonissæ divertens, ipsius sedem ibidem approbat & confirmat, Romamque per Rhætiam revertitur, qua ipsa itineris occasione omnes Rheno vicinas Ecclesias, & lacum Mœsium seu Acronium cum ejusdem Metropoli Moesiopoli sive Harudopoli visitasse videtur.

A.C. LXVIII.

Invalescente nimium Neronis crudelitate & in Christianos persecutione, magna pars Christianorum, in Asylum Romanæ Nobilitatis præcipuum, vicinam Rhætiam confugit, quo & Petrus, maximè invitantibus Lino Mauro & Quinto Fabio, iter intendisse videtur. Verum fugiens in porta urbis Christum

Christum habens obvium, dum interpellaret: *Domine quo vadis?* hoc respondente: *Venio iterum crucifigi*, recordatus prænunciatæ jam pridem sibi ab eodem mortis, in urbem regressus est.

A.C. LXIX.

Petrus Simonis Magi, Neroni Augusto gratissimi, illusiones Magicas Zelo Apostolico detestatus, dum cœlos volando ascendere promittenti, crucis signaculo obstaculũ objicit, & è sublimi præcipitem agit, paulo post jussu Cæsaris, captus, Crucique affixus ipsa die qua & Coapostolus ejus Paulus decapitatus fuit, ipse deorsum verso capite obversis cœlo pedibus, maximos Apostolici culminis labores Martyrio coronavit, à Rhætis maximè & confinibus Rheno Germaniæ populis, tanquam Patriæ Pater & meritissimus Fidei præco & Apostolus Teutonum celebrandus.

A.C. LXX.

Meritas Numini dependit pœnas Tyrannorum crudelissimus, parricida nequissimus, eo usque impunè visus scelera immensa & innumera ferre, donec caput Christiani orbis obtruncasset, redivivo in singulis successorum Petro, & de Sectis innumeris, inferisque ipsis in finem usque mundi gloriosè triumphante.

A.C. LXXI.

Supremus hic annus fuit Sancto Flavio Clementi, primo Metensium Episcopo, S. Clementis Papæ patruo, cum sesè innumeris Apostolicæ Prædicationis meritis, diversis provinciis commendasset; & urbem inprimis Metensem æternum demeruisset cui hoc ipso anno eo in munere, dignus Magistro discipulus, S. Cœlestinus successit.

A.C. LXXIII.

Eo jam res Christiana in nonnullis Germaniæ locis felici successu promota est, ut ex Christianis summi Magistratus nonnulli conscenderent, è quibus hoc anno in Rhætia Aruns Maurus enituit, S. Lini Papæ cognatus, qui proxima à Romano Præside potestate, Sub-Procuratoris titulo Rhætias gubernavit.

A.C. LXXV.

Rem Christianam summa sollicitudine per Rhætiam curat S. Linus, prædicti Aruntis consanguineus, etsi propter Præsides Romanos, Christo iniquos, clandestinè omnia promovente similiter cursum Arunte, qui & ipse clam Christum coluisse videtur, ne ea proclamatione fidei & fidelibus majora impedimenta accerserentur, quam successus promoverentur.

A.C. LXXVI.

Præter promotam multis laboribus Christianam doctrinam à S. Bathone sive Beato per amplissimos Helvetiæ Rheni lacusque Moesii seu Acronii tractus, in ipsa etiam Harudopoli plurimum invaluisse ex eo comprobatur, quod etiam hic sub hoc ipsum tempus persecutio fuerit instituta. Grandibus miraculis commendat Sanctitatem S. Eucharii & merita bonum Numen, quæ inter sub vitæ finem, filium quendam viduæ divitiis ad vitam resuscitavit.

A.C. LXXVII.

Eidem magno omnino Apostolo, & fortissimæ Cacodæmonum munitionis, Treverensis urbis sacris armis expugnatori Euchario ultimus hic annus fuit, cum obitum ipsi Angelus cœlo missus prænunciasset, & clara desuper descendens lux, per horæ ferè spatium circumdedisset. Sepultus est in Ecclesia S. Joannis Baptistæ, quam ipse ante portam mediam construxit. Obiit autem V. Iduum Decembris.

A.C. LXXVIII.

Cognita Eucharii morte S. Valerius quamprimum rerum satagere coactus, ejusdem defuncti quondam Diaconus, quem haud imparem meritis Pontificem, quamprimum omnis fidelium multitudo complexa est, & is quamprimum generosum se probans summo fervore sacra dogmata propagare aggressus successus omnino mirificos habuit.

A.C. LXXIX.

Sanctus Cœlestius Mediomatricum & vicinarum provinciarum Pontifex, cœlesti fultus subsidio, Apostolicis laboribus, longè lateque se commendans, magnos frugum manipulos in horrea Domini comportat; vitæ exemplo cœlesti, non minus quam verbo potens, quo animos omnium Barbarorum & infidelium sibi conciliavit.

A.C. LXXX.

Martyrio coronatur S. Linus Papa Herculani Mauri filius Aruntis Mauri Sub Procuratoris Rhætiæ nostræ consanguineus, alter ejusdem Provinciæ post Petrum Apostolus, à quo magna beneficia Germaniæ nostræ collata sunt.

A.C. LXXXII.

Mirabile viri verè Apostolici exemplar, Titi Imp. Principis Clementissimi Imperio quietissimo benè usus, S. Batho sive Beatus, non solum prædicationis fervore & assiduitate, sed vel maximè vitæ sanctissimæ exemplo, ipsaque inopiæ & injuriarum omnium mirabili patientia, barbarorum evincens animos, plurimos per Helvetiam & Sueviam Christo adducit.

A.C. LXXXV.

Res mira! Tanta felicitate Sancto Valerio secundo Trevirorum Episcopo prædicatio succedit, ut jam tunc per eas Germaniæ & Galliæ partes, quas ipse Christo conciliandos susceperat, teste Magni Chronici Belgici scriptore, *Christiani paganos numero & Religione superarent.*

A.C. LXXXVI.

Nec infelicior S. Felix Metensis Episcopus, qui sub hunc ipsum annum S. Cœlestino, sive Cœlestio successit, amplissimas circumundique provincias, nullas sacro fervori suo metas poni passus, dies noctesque laborando fidem longè lateque propagat. Cœterum Cœlestini sacra memoria 3. Idus Octobris solemnis habetur, etsi Cœlestinum velint alii, Anno 90. obiisse.

A.C. LXXXVII.

Latissimè similiter exspatiatur Zelus Apostolicus, viri plane admirabilis Sancti Materni Colonienfium Episcopi, qui per Ubiorum non solum, sed vicinas circumundique provincias semina fidei jaciendo, prægnantissimos manipulos in Christi horrea congavit, admirandis prodigiis Numine Apostolatum ejusdem commendante.

A.C. XC.

Obtingit & Moguntiæ Magnus omnino Apostolus

Archiapostoli Pauli nuper discipulus, primus Moguntinensis Ecclesiæ Episcopus, qui & ipse Verbo & opere potens, magna & mira sua prædicatione efficit. Hic pridem à Superstite Apostolo ad has partes missus; Viennam tamen Galliæ postea concedens, indeque huc reversus sedem hic posuit, & ut suo loco dicemus etiam pro ovibus gloriosè occubuit.

*A. C. XCII.*

Vita excedit S. Valerius, Magnus omnino Germaniæ Apostolus & secundus Trevirorum Episcopus, cum ipsi apparens B. Eucharius in gloria, ipsi imminentem obitum prædixisset, & ut S. Maternum successorem designaret, monuisset. Ita obiit Pontifex meritissus 4. Cal. Febr. merito tota Germania festivis honoribus concelebrandus.

*A. C. XCIII.*

S. Clemens ad Romanæ sedis apicem post Clerum evectus, ad Germaniam singulariter, vel pro amore ipse S. Clementis sui patrui affectus, illi juvandæ omnem dat operam, multosque viros Apostolicos ejusdem Dominici agri laboribus destinat.

*A. C. XCIV.*

S. Maternus vir per omnia mirificus, tantis procul dubio laboribus, ut supra dictum, ex mortuis resuscitatus Trevirensis simul & Coloniensis Ecclesiarum Archiepiscopum agit, fructu ubivis memorabili, ita ut non absque grandi miraculo, tot tamque dissitis locis adesse potuerit, procul dubio hac illacque mirabiliter translatus.

*A. C. XCV.*

Servatus ad multorum millium salutem S. Batho sive Beatus, grandi totus vegetus senecta, Christianis mirifico solatio, Gentilibus miraculo est, solo corpore in terra degens, anima cœlis affixus, solitus dum Sacris operaretur extra se rapi, atque immobilis sine omni sensu aris assistere donec sibi redderetur.

*A. C. XCVI.*

Hoc primum anno S. Valerium nonnulli mortuum volunt, sed vero similius, quod supra asseruimus, & finibus non contentus suis S. Maternus, etiam Trajectum occurrens in conversione ejusdem ferventissimè laborat.

*A. C. XCVII.*

Idem de Coloniensibus suis non minus sollicitus quam de Trevirensibus, illic extra portam civitatis (quæ postea Clericorum dicta) breve & modicum construxit Oratorium ubi populum catechizare solebat, & contemplationi atque orationi vacare; quo ipso deinceps in loco ejusdem honori Capella constructa fuit, ab antiquitate postea: *Antiquum* summum appellata.

*A. C. XCIX.*

Mirabili Zelo & fervore apud Tungros prælia Domini præliatur S. Maternus, Jovisque Junonis ac Veneris inanium Numinum idola, Fana & cultum generosissimo ausu potenter profligat, minis & terroribus omnibus superior, cum vix uspiam tantopere Idololatria, quam apud Tungrorum Metropolim invaluisset.

*A. C. C.*

Idem pro turpissimæ Veneris abolenda memoriæ Virginum Virginis honori & Nomini primam in Germania ibidem condit Ecclesiam, cujus ope magna deinceps & mira apud Tungros efficit, & infirmos passim sanando, omnium in se oculos rapuit, ipse gloriam Numini dedit, & ad hujus placita concurrentem undique populum formavit.

*A. C. CI.*

Multus Christianorum ex Italia & Romana urbe occursus in Rhætiam nostram atque Helvetiam, dum Persecutionem resuscitat Trajanus Imperator, Conventicula eorum arctissimis legibus prohibens, & gravissimas pœnas decernens in transgressores, S. Maternus Tungrensium etiam eligitur Episcopus.

*A. C. CII.*

Innumeris meritis gloriosissimum Apostolatum Martyrio coronat S. Crescens Moguntinensium primus Episcopus S Pauli discipulus, in Germania non minus quam Italia jussu Trajani persecutione Christianorum imperata; & Treveris non minus quam Moguntiæ suscepta. Quo autem genere Martyrii decesserit incognitum, certum autem Moguntiæ & Martyrizatum & sepultum, in S. Hilarii primum templo, inde translatum ad S. Albani; ut plurimum errare illos videas, qui in Galatia Asiatica occubuisse opinantur, uti apud Serarium videbis.

*A. C. CIII.*

Crescenti succrescit atque succedit apud Moguntinos S. Marinus, Cochleo Martinus dictus, qui & ipse rerum Christi egregiè satagit, & Christianorum per sylvas, & solitudines dispersorum curam sollicitam suscipit, magna inter pericula persecutionis, major ipse generositate, & proximi charitate.

*A. C. CIV.*

Ad Montem Cornutum Helvetiæ, vulgo Hörnlin prope Vischingen, inter nemora densissima, tanquam ad Asylum, tempore persecutionis, magnus fit confluxus Christianorum, quos superstites etiamnum in fide corroborat & solatur S. Batho sive Beatus.

*A. C. CVI.*

S. Maternus etiam alteram in Metropoli Tungrorum DEIparæ Virginis honori & nomini ædificat & consecrat Ecclesiam, cum multitudo populorum uno in templo cogi non posset, & quotidie plures Christo nomen darent.

*A. C. CVIII.*

Excoctus in fornace tribulationis, post infinita persecutionis pericula, elabitur in securitatem & felicitatem æternam S. Marinus sive Martinus Moguntinensis Episcopus, cui succedit in honorem & labores valde arduos S. Crescentius.

*A. C. CIX.*

Exsplendescit in Rhætia Apollo cognomento Maurus Arumis Propraetoris de quo supra sive filius sive cognatus, patruus S. Albani sive Albini, viri Apostolici & Martyris, cujus beneficio & sollicitudine, plurimum promotam rem Catholicam opinantur.

*A. C. CX.*

Sub hoc ferè tempus Treverim occurrit S. Nazarius, unde plerique Christianorum metu persecutionis exulaverant, sed ab infelicissimo Civitatis Principe Cornelio urbe pulsus, Romamque missus, illic procul dubio Martyrio labores finiit.

A. C.

A.C. CXII.

Evocatur ad præmia felicissimæ æternitatis, magnus omnino Helvetiæ, & Diœceseos Vindonissensis sive Constantiensis Apostolus, S. Batho sive Beatus, Apostolorum Principis Petri Discipulus, vir plane extaticus, anno ætatis nonagesimo, cujus magnam partem in prædicatione Verbi Divini utilissime exegit.

A.C. CXIII.

Succedit haud impari sanctitate dignissimus Beato discipulus S. Achates, fidissimus Sancto Magistro Comes individuus, laborum & gratiæ particeps, qui non minus quam ille, totum sese pro Christiano grege impendit & superimpendit, cujus nomen & munus inter Episcopos Constantienses hactenus prætermissum haud minimum admiramur.

A.C. CXV.

Acerrimi missi in Germaniam Præsides, jurati Fidei Christianæ hostes, eo quod, cum Cæsares alias ab Germanis haud minimum metuerent, Christianaque sacra invalescere inter Teutones intelligerent, â concordi, tot idem sentientium seque mutuo arctè complectentium, in Christo fœdere, superstitioni suæ exitium imminere non dubitarent.

A.C. CXVII.

Uti apud Montem Cornutum superius magnam Christianorum multitudinem, metu persecutionis confluxisse diximus ita nunc quoque in reconditissima Hercyniæ solitudine, lectissimum sanctè profugorum Cattum convenisse, ibidemque Numini in omni rerum indigentia sancte inservisse, ex vetustissimis monimentis compertum habemus.

A.C. CXVIII.

Iterum egregius Virdunensi Imperiali deinceps Urbi obtingit Episcopus, Sanctus Sanctinus, Beati Dionysii Areopagitæ lectissimus discipulus, qui verbo potens & opere, Germanos & Lotharingos Mosæ fluminis accolas, felicissimo prædicationis successu, magno numero ad Christi ovile adduxit, & amantissime fovit ac pavit.

A.C. CXX.

Invalescit nimiopere, singulari studio & industria S. Materni verè Maternis, cultus Cœlorum Augustæ per Germaniam, qui omnes, quotquot fidelium collaris Symbolis struxit Ecclesias, honori & nomini ejusdem consecravit, ita ut in sola Tungrorum provincia, duas supra septuaginta Marianas condidisse Ecclesias memoretur.

A.C. CXXIII.

Non sine præsenti Numinis ope, Princeps ille tenebrarum ex monitione olim singulariter propria, â S. Euchario olim profligatus, Noviento tamdiu exulare coactus, omni procul dubio industria tentans aditum, divinitus prohibetur, dum hoc persecutionis tempore, ibidem securè DEI cultus invalescit, & quantopere olim Idololatriæ sacrilegi ritus usurpati sunt, tanto nunc ferventius vero Numini ad sacras aras litatum, & honor altissimi â discipulis S. Eucharij & Valerij est promotus.

A.C. CXXVI.

Rapitur ad superos post ingentia Apostolicæ & Pontificiæ functionis merita, S. Crescentius Moguntinus Episcopus, cum annos octodecim illi Ecclesiæ sanctissimè præstitisset; succedit sanctus Cyriacus, omnes hi mira exemplaria sanctitatis.

A.C. CXXVII.

Non infelicior Germania nostra Orientis regionibus, Monasticæ vitæ, etiam ante Veterum Patrum Basilij, Pachomii aliorumque Instituta, Christianis, qui in diversis metu fidei hostiũ confluxerant solitudinibus, Apostolicam complectentibus regulam, & in communè vivere incipientibus, mox etiam & Oeconomiæ, & sacrorum curam, facta scilicet inter se electione, in unum & alterum devolventibus.

A.C. CXXVIII.

Supremus hic annus est laboribus Apostolicis & vitæ hujus S. Felici Episcopo Metensi & vicinarum provinciarum Apostolo, ad felicitatem & præmia æterna vocato, cui pari vitæ sanctitate succedit S. Patiens sive Patientius, juxta Etymon sui nominis egregie exercitus & probatus.

A.C. CXXX.

Magnus Germaniæ Apostolus, supremos vitæ dies Coloniæ exigens, á laboribus tamen nunquam quiescens ipse deficiens viribus, omnes tamen ad se recurrentes debiles, ægrotos & mancos sanat, alia autem inter, Colonienses singulari Matris admirabilis Virginum Virginis reverentia & devotione accendens; inde merito re & nomine Maternus, dignissimus tanta Matre, hujus peculiari adoptione filius appellandus.

A.C. CXXXI.

Occumbit denique nitidissimus Germaniæ Sol, Magnus revera Trevirorum, Tungrorum, Coloniensium, aliorumque populorum Apostolus, prædictus S. Maternus, apparentibus sibi in gloria SS. quondam Collegis Euchario & Valerio, ipsumque visitantibus, atque quod tertia post die migraturus ad Dominum esset prædicentibus. Decessit autem 18. Cal. Octobr. Voce cælesti evocatus, his ipsis clarè & disertè exauditis: *Materne, serve DEI, veni:* cum prius suprema voluntate, ut corpus suum Treverim deportaretur, mandasset, beatissimo somno in Domino requiescens. Occurrerunt quam primum Treveri morte sui Pontificis nunciata, quibus & Colonienses & Tungrenses litem de tanto thesauro moverunt, donec Angeli monitu, in navim impositus, quo DEus vellet concedere permissus, adverso flumine absque remis & remige Treverim versus contendit; ab his incredibili plausu exceptus, & ibidem haud procul â sociis Euchario & Valerio est conditus.

A.C. CXXXII.

Sanctus Auspicius, auspicatissima electione in Archiepiscopũ Trevirensem electus, Coloniensiũ quoq; deinceps & Tungrensium curam habuit; cujus acta plurimum dolendũ est, temporum injuria intercidisse.

A.C. CXXXV.

Satis quietis sub Ælio Adriano Imp. in Germania rebus, Romanis ipsis Germanorum amorem exambientibus, dum nihil adversum Christianos moliuntur, veri Numinis cultus plurimum proficit, S. Auspicio inprimis Moguntinensium Episcopo, verbo & exemplo plurimos ab impietate revocante, & Christo jungente.

A.C. CXXXVII.

Memorabili sanctitatis exemplo, plurimos etiam infidelium in admirationem rapit S. Joannes, in arcta quondã cella â S. Materno reclusus (ut videas ipsos jam Apostolorũ discipulos, Institutũ illud probasse & comẽdasse, quod postea S. Benedictus certis Regulis in orbe introduxit) diesq; ac noctes contemplationi

dedirus & orationi. Fuit Joannis Consulis Trevirensis filius, viri præpotentis, renuncians que sæculo ipsisque parentibus, & corpori proprio bellum indicens, memorabiles de carne triumphos egit, tantoque majores, quod idipsum absque exemplo fecisset. Tungrorum Ecclesiæ præest S. Avitus.

A.C. CXL.

Moritur post egregia Vitæ sanctissimæ exempla, postque multos in prædicatione Apostolica exanthlatos labores, Sanctus Cyriacus Moguntinus Episcopus, cum Ecclesiæ non solum illi, sed vicinis provinciis latissimo districtu, annis quatuordecim utilissimè præfuisset.

A.C. CXL.

Non minore laude seu fructu Cathedram eandem occupat, imo labori nulli parcens. inde Zelo Apostolico actus, ad remotissimas prædicando excurrit provincias S. Cyriaci Successor S. Hilarius, cœlosque ipsos multo fructu exhilarat.

A.C. CXLII.

Ad præmia Apostolica felicissimæ æternitatis vocatur S. Patiens sive Patientius, Metensis Episcopus, cum egregia cùm in laboribus, tùm persecutionibus patientia sese christiano gregi probasset, suoque & exemplo & verbo plurimos Christo adjunxisset.

A.C. CXLIII.

Quietioribus sub Antonino Imp. rebus, abditi in nemoribus & speluncis per Germanias Christiani, in apricum quasi prodeuntes, quivis pro concessa sibi gratia, opus Fidei promovet, per Helvetiam maxime Herciniam & Alsatiam, etsi non deessent inter Præsidiarios Romanos, qui plurimum incrementis Ecclesiæ obniterentur.

A.C. CXLVI.

Supremus hic annus videtur fuisse S. Auspicio, Trevirorum Episcopo, cujus anniversaria celebratur memoria 8. Julij à Baronio & Molano, cui in honore & onere succeisit pari Sanctitate, Beatus Celsus.

A.C. CXLVIII.

Antonini etiam Cæsaris dissimulatione benè usus, Sanctus Achates, S. Bathonis sive Beati discipulus, vir verè Apostolicus, qui de Helvetia immortaliter meruit, & dolendum omnino tantorum patriæ Patrum, tam tenuem in illis provinciis esse rerum adeo bene gestarum recordationem.

A.C. CL.

Sanctus Pientius (diversus proculdubio à Patientio, quem tamen nonnulli videntur confundere) Magni Joannis Archi-Evangelistæ discipulus, Metensi Urbi & multis vicinis provinciis prædicando consulit. Quo ipso anno S. Maurus Virdunensis Episcopus, ad præmia sui Apostolatus vocatus, sancta morte decedit, cujus Anniversaria memoria sexto Iduum Novembrium solemniter celebratur.

A.C. CLI.

Cum de nullo constet sive Ubiorum Episcopo sive Coloniensium, post mortem Sancti Materni, verosimile est, certis ex causis, Treverensi Archiepiscopo, illarum Ecclesiarum curam relictam & commendatam, adeoque magno cum labore, Sanctum Celsum hoc ipso tempore, eo usque excurrisse, & cùm fidelibus solatia, cum infidelibus verba salutis suppeditasse, etsi Felicem pari jam sanctitate Præsulem, præfuisse credi possit.

A.C. CLIV.

Incredibili Sanctorum Episcoporum solatio, Antoninus Imp. Aug. solemni rescripto persequutionem inhibet, quo tempore plurimi per Germaniam Gentilium, Imperatoris exemplo melius sentire de re Christiana cœperunt, multi frequentius & attentius monita salutis attendere, multi etiam manus & animos Christo dare, & Christiana sacra suscipere.

A.C. CLVII.

Sub hunc ferè annum ad Superos emigravit, Magnus revera Helvetiæ & Sueviæ Apostolus, S. Achates, Sancti Bathonis sive Beati, Vindonissæ & Constantiensis postea dictæ Diœceseos Episcopi discipulus & successor meritissimus, postquam diutissimè & utilissimè in cultura agri Dominici laborasset.

A.C. CLVIII.

Accersitum ad præmia æternitatis capessenda sub hoc tempus S. Joannem Treverensem, Inclusorum Sanctissimi Instituti primipilum, S. Materni olim discipulum, probabile admodum est; quem deinceps plurimi apud Germanos imitati sunt, maximè postquam S. P. Benedictus, divino dictante spiritu, certas iisdem Regulas præscripsit.

A.C. CLX.

Sceleris procul dubio alterius prætextu, quam Christianæ Fidei, odio tamen Religionis, ab impio Moguntinæ Urbis Præside, S. Martinus ejusdem urbis & vicinarum provinciarum Episcopus incarceratur, postque varias tentationes, tribulationes & perpessas calamitates, Apostolicorum laborum præmiis, Martyrij coronam adjungit, postquam viginti annis Ecclesiæ illi utilissime præstitisset, in cujus memoriam Ecclesia in Dalhein creditur ædificata.

A.C. CLXI.

Sancto Felici Trevirorum Episcopo septimo Calend. Junij ad coronam Apostolorum vocato, succedit pari felicitate Pontifex ejusdem sedis Mansuetus de quo tamen præter nomen nihil Historia Trevirensis memorat.

A.C. CLXII.

Brevis Mansueto ut & successoribus vita, quos omnes Martyrio sublatos, Treverorum Annales & Chronicon Magnum Belgicum, asseverant, nec ullo tamen anno ad Avitum usque seu Nannitum assignato. Fuerunt autem Clemens, Moyses, Martinus, Anastasius, Andreas, Auctor, Rusticus, Fabritius, Fortunatus, Cassianus, & Marcus, qui sanguine deinceps suo fœcundiorem Treverim, feliciorem Germaniam, quam longo regimine reddidere.

A.C. CLXIII.

Sanctus Paternus Vindonissæ, Constantiensis cum tempore appellatæ Diœceseos Episcopus, sub hoc, probabiliter, tempus, Apostolico labore Helvetiæ ac Sueviæ se commendat, à magnis virtutibus, vitæ meritis & prædicationis maxime sanctis effectibus celebratus.

A.C. CLXIV.

Recrudescit etiam in Germania & invalescit persecutio ab Antonini Pij Imperatoris obitu, & Treveris vel

ris vel maximè, eoque vehementius, quo diutius furor gentilium ab Augusto cohibitus est, ipsaque invidia Cacodæmones, & Sacrificos impios vexavit, à maximis Fidei Christianæ incrementis.

A.C. CLXVI.

Apud Tungros quietiora omnia, sive singulari Numinis providentia populos DEI para peculiariter devotos in fide servante & protegente; sive ipsomet Præside Romano & supremis militiæ atque Urbis ministris Christi fidem colentibus, sancto Avito rerum magna industria satagente, ita ut dum aliis atque aliis locis fideles gladio cæsi numero minuuntur, apud Tungros sub protectione Cœli augusta plurimum invalescerent.

A.C. CLXVII.

Etiam in Boica aliisque provinciis, etsi incertum, quibus prædicatoribus, Ratisponæ inprimis plantata Christi fides, persecutione exscindi paratur, totæque Christi Martyrum phalanges, Numini gratissimæ victimæ immolantur.

A.C. CLXVIII.

Iterum insigne Apostolici luminis jubar se prodit, Sanctus Arator Virdunensis Episcopus, Græcè & Latinè doctissimus S. Apollonii Romani Senatoris & Martyris præstantissimus discipulus, columna Fidei, Solatium Fidelium habitus.

A.C. CLXX.

Lucius Britannorum Rex, Constantia Christianorum in Martyrio mirificè accensus atque excitatus, Fidem Christi omnino amplecti constituit, singularis deinceps Vindeliciæ & Rhætiæ Apostolus futurus.

A.C. CLXXII.

Sancti Paterni per Helvetiam & ad superas Rheni & lacus Moesii seu Acronii oras, indefessi labores & propagandæ fidei Zelus, immortaliter de illis provinciis merentur, plurimis Christo nomen & manus dantibus.

A.C. CLXXIII.

Celebrandus denuo hoc anno S. Arator Virdunensis Episcopus, multis nunc periculis jactatus & calamitatibus exagitatus, dum remittente etiam Cæsarum crudelitate, provinciarum nihilominus Præfecti, Christianos plusquà hostiliter infestarent.

A.C. CLXXV.

Incredibile quanto Christianorum, maximè per Germaniam, plausu, triumphat de Quadis & Marcomanis Antoninus Imp. Legionis Christianæ, quæ deinceps Fulminatrix est appellata, precibus, cœlo pro Romanis pugnante, & grandine, ventis & fulmine prodigiosissima tempestate & clade hostes prosternente & dissipante.

A.C. CLXXVI.

Erexit præclarum Victoriæ sic divinitus in Germania partæ monimentum idem Imperator, quod ad æternitatem durare voluit; extatque usque hodie, in Columna Antoniana Romæ, jussu Cæsaris insculptum. Libertate deinceps Christianis permissa, impunè passim toto Imperio Christum colendi.

A.C. CLXXIX.

Celebranda merito à Germanis non minus quam Britannis S. Lucij Regis conversio, qui Christianis jam regulis haud mediocriter imbutus, quo plenius & perfectius edoceretur, Romam hoc anno ad Eleutherium Papam Legatos destinat, contenditque summis precibus Viros Apostolicos sibi mitti, à quibus tam ipse, quam subditi, in viam veritatis dirigerentur & edocerentur.

A.C. CLXXX.

Plurimum sibi gratulatus de Legatione S. Lucii Regis, summus Pontifex Damianum & Fugatium mittit, viros cùm eruditione claros, tùm sanctitate conspicuos, qui Regem in conversione Britonum adjuvarent; etsi jam ante Sanctus Marcellus noster S. Aviti discipulus è Germania in Angliam enavigasset, & Lucio præcipuus amplectendæ Religionis nostræ auctor fuisse memoretur.

A.C. CLXXXII.

Mirum omnino in tot labores sufficisse S. Nanitum Treverorum non solum & Tungrensium Episcopum, cujus irrequieta omnino de loco ad locum transmigratio, alios in fide retinuit, alios ad agnitionem veræ lucis, & solidæ veritatis deduxit, cum diversissimis Germaniæ populis, summè sollicitum sese pastorem exhiberet.

A.C. CLXXXIV.

Meretur immortaliter de Regno & patria sua antequam ad nos transiret Sanctus Lucius, & diversas condit Ecclesias, quibus de dignis pastoribus prospicit.

A.C. CLXXXVI.

Sanctus Moyses Episcopus (quem Treverensibus nonnulli contendunt jam tempore Eleutherij Papæ præfuisse) S. Aviti verius Chorepiscopus seu Suffraganeus, per hujus absentiam plurimum Treveros demeretur, sed & vicinis provinciis ab egregia perfectionis fama innotescens, sacrâ prædicatione plurimum proficit.

A.C. CLXXXVIII.

Periclitatur summopere res Christiana per Germaniam Commodo Cæsare Præfectos concitante, ita ut latibula denuo quærere cogerentur, multi etiam cùm Roma cum tota Italia in Rhætiam maximè & Helvetiam transfugerent.

A.C. CXC.

Retentus necessitatibus Ecclesiarum Regni Anglici S. Lucius, cum de pastoribus optimis iisdem providisset, ruptis denique moris, Regni Christi propagandi avidior quam proprii, memorabili ad omnem æternitatem gloriæ Regalis contemptu, ex Rege, ex-Rex, adornata clandestinè fuga mari transmisso in Gallias primum, mox in Germaniam, Apostolico succensus Zelo concedit, non sine Numinis ductu in Sueviam Suevorumque ac Vindelicorum Metropolim Augustam delatus.

A.C. CXCI.

Memorabili Apostolici laboris successu S. Lucius virum Illustrissimum Campestrium Patricium cum omni familia Christo lucratur, & sacris undis expiat. Mox & alios cives supradictæ Metropolis, Fidei Christianæ dogmatibus sedulo imbuit, gloriosum apud Suevos atque Vindelicos Proto-Apostoli nomen consequutus. Hæc etsi Vindelicorum Annales maturius memorent, contradicunt tamen Anglorum monimenta, & ratio docet, populis prius sibi cre-

ditis, quam exteris consultum voluisse; cujus instructioni anni saltem aliquot debebantur.

A.C. CXCII.

Innumeris odiis & calumniis appetitus à Vindelicis, plagis contusis, lapidibus appetitus, in puteum demersus, plus quam Regia generositate, superior omnibus, semianimis demum à Christianis è puteo extrahitur. cumque prævalente nimium Gentilium furore, nihil se proficere animadverteret, longo & difficili itinere, ægro & pessimè afflicto corpore, in Rhætiam superam enititur, in clivo, qui ab ipso hodie S. Lucii cognominatur, sedem aliquamdiu figens, donec vires restituerentur.

A.C. CXCIII.

Illucescit sub hocipsum tempus è sinu proprio lucerna sive facula splendidissima S. Albanus, cognomento Maurus, summa tuncapud Rhætos familia, Apollinis Mauri filius, qui illud fortè Evangelii rite expendens: nemo propheta acceptus in patria sua, & Regio cedens hospiti, Rheni secutus littora, Acronianis, Rauracis, Nemetibus, Vangionibus, fidem Christi, dignasque Christianis virtutes commendavit.

A.C. CXCIV.

S. Emerita divi Lucii Regis soror, supra sexum viresque generosior, Regnum æquè fastidiens atque frater, omnia quæ hæreditate ad se pertinuerant, in condendas Ecclesias & Christi pauperes effundens, fratrem exquirere ubicunque moraretur, constituit, quem & in Rhætia denique assequitur.

A.C. CXCV.

Vere affectu erga creditas sibi oviculas paterno, sanctus Paternus, dum inter persecutionis acerbitatem, metu illius hac illacque distractos, per avia & invia quærit, ut paternis eosdem solatiis soletur, summis passim se se periculis obiit, ipse tamen etiam infideles sacris tentare monitis non desinit.

A.C. CXCVI.

Ex Clivo suo quaquaversum, versatos in misera dæmonum servitute prospectans populos, & piè miseratus, Esthionibus prius consuluisse credendus est, sacræ non minus militiæ gnarus quam profanæ, & Fanopolim etiam usque se extendisse benefaciendo credibile est, ne hostem nimirum à tergo relinqueret.

A.C. CXCVII.

Etsi quamdiu apud Acronianos, Turgoios, Rauracos, Nemetes aliosque adjacentes Rheno populos substiterit S. Albanus, nullis constet litterarum monimentis, verosimile tamen nullos præteriisse, quos suæ opis indigos animadverteret, non sine gravi passim periculo, quod in prædicatores intentissimos haberent oculos Præsides Romanorum, in has provincias impositi Christianis æque, atque hostibus arcendis, & prohibendis.

A.C. CXCVIII.

Sanctus Lucius in extirpando impio Deæ Maiæ cultu plurimum desudat, multa ab Gentilibus passus, quæ omnia mira vincens patientia, multa hominum lucra fecit & vicinos etiam amnis Langari accolas ad Christiana Sacra invitavit an persuasit.

A.C. CXCIX.

Iterum ad Rhenum conversus pagum Ciceronis & vicina Curiam usque amore Numinis veri accendere studuit, Emerita quoque sorore virilis animi viragine ferventius inanium Numinum monstra damnante, quam proin comprehensam Trimontii præfectus, cum inanibus Diis cultum deferre nollet, vivam ignibus exuri jussit, S. Lucio de tanto sororis triumpho plurimum sibi gratulante.

A.C. CC.

Apud Augustam Vindelicorum Apostolicis meritis sese commendat S. Sosymus Episcopus, incertum qua occasione eo delatus, dignus tamen Lucio successor, etsi neque ipse ob incredibilem præfectorum Urbis, & civium in Christianos crudelitatem pedem posset figere, sed post confirmatos in fide quos invenerat, paulo post seadalias, procul dubio Germaniæ provincias reciperet, & majore cum fructu, certè spe fructus laboraret.

A.C. CCI.

Magnus Rhætiæ, ex Angliæ Rege Apostolus S. Lucius, gloriosissimos labores felicissimo coronat Martyrio, in Martiola arce hodie Episcopali, Curiæ Rhætorum crudelissimè cruciatus & lapidibus denique obrutus 3. Non. Decembris, cujus sacrum corpus argenteo clausum sarcophago in Cathedrali etiamnum Ecclesia Religiosissime colitur.

A.C. CCIII.

Sanctus Paracodes Genevensis creatus Episcopus ferventi prædicatione, & ante omnia sanctissimo Vitæ exemplo urbi illi, & proximis Helvetiæ partibus mirificè consulit, & plurimos Numini lucratur. Videtur & patriæ suæ denuo consuluisse S. Albanus.

A.C. CCIV.

Persequutionem Christianorum universalem Severus re & nomine Imperator indicit, quæ proximas primum Italiæ provincias, Rhætiam & Helvetiam, mox universum Rheni tractum, & quaqua versum Christi fides sese insinuarat, nimium invalescit, dum sub Antonino & aliis mitiore ingenio Principibus, palam jam impunè agerent Christiani, nunc omnium Gentilium accusationi paterent.

A.C. CCVII.

Sub hoc ferè tempus Moguntiæ, Treveris, Ratisponæ aliisque passim locis Martyrum sanguis Germaniam nostram felicissimè impinguat, Cœlum lætificat, ipsis Gentilibus tantam Romanorum in innocentes sæviciam horrentibus & detestantibus.

A.C. CCVIII.

Rhætiam pastore, ut videtur sub hoc tempus destitutam, & persecutionis acerbitate afflictissimam, quantum poterant, consilio & ope juvant Sancti Monas & Merodes Mediolanenses Episcopi, quorum prior sub huncipsum annum, post innumera superata pericula in Domino requievit, vir liberalissimus, qui Christianos procul positos opibus profusis, insigni charitate juvit, cujus sacrum corpus tanto post S. Carolus Borromæus solemnissima pompa in Cathedrale templum Mediolani transtulit. 4. Idus Octob.

A.C.

A.C. CCX.

Lustrat ipse omnes Germaniæ Provincias Severus Imperator, Præsidesque provinciarum strictissimis mandatis ad indagandum DEorum contemptores Christianos, cogit, ut non sine singulari Angelorum custodia, per Rhætiam, Helvetiam, Herciniam, confluentes magno numero fideles, non tam montibus tuti ac nemoribus fuisse credantur, quam prodigiosa Numinis defensione. Austriæ prædicat S. Florianus ex Militiæ Præfecto Episcopus.

A. C. CCXI.

Afflictis Germaniæ rebus ope etiam adest, & Ecclesias solatur vicinas S. Ruffus Metensis Episcopus, longè lateque per avia & invia magno cum labore circumcursans fluctuantesque animans, dum nimis quantum persecutio Severi omnes provincias excuteret & Gregem Christi quaquaversum dispergeret vel laniaret.

A.C. CCXIII.

Etsi de successione continua Episcoporum Germaniæ in memoratis supra Episcopatibus non ita certo constet, monimentis Ecclesiarum plerisque grandi tot persecutionum tempestate pessum euntibus, minimè tamen dubitandum, Sanctos Episcopos seu naturali morte sive Martyrio ad supera translatos, sibi creditis oviculis caute de successoribus providisse, imo Christianos de hoc ipso sollicitos, pastoribus nunquam caruisse; qui tamen & ipsi latère coacti ad suos tamen clam invisere, eosque sacris munire non prætermiserint.

A.C. CCXV.

Martyribus accensendus, etsi gladio non interiisse credatur S. Sophronius Episcopus Moguntinus sub hunc annum decedit, sexcentis periculis octennium jactatus & de Christianis passim dispersis optimè meritus, quem virum per omnia Sanctissimum Trithemius appellat.

A.C. CCXVI.

Haud minore labore ac sollicitudine, in consolandis aliis, aliis Christo conciliandis, afflictissimæ Ecclesiæ sese probat S. Sophronii Successor S. Herigerus, quorum sudores, angores, labores, cœlum inscriptos habet, nullaque satis æstimare poterit posteritas.

A.C. CCXVIII.

Respirant nonnihil res Christianorum â morte Severi, Germanis quasi Martyrum suorum sanguinem, cæde Præsidiariorum Romanorum ulciscentibus, dum Christiani â patriotis securi audentius convenirent, & Episcopi bono Ecclesiarum consulerent; Caracalla etiam Imp. minus urgente, imo Germanorum amicitiam exambiente.

A.C. CCXX.

Heliogabalo pessimos quosque Præsides provinciis destinante, horum scelere recrudescit persecutio, quâ ipsa sub hunc annum comprehensus Sanctus Herigerus Moguntinus Episcopus, dum inanibus Diis sacrificare abnueret, per Martyrium gloriosissime vitam abrupit cum vix quadriennium Moguntinæ Ecclesiæ præfuisset.

A. C. CCXXI.

Quietiora in inferiore Germania omnia quam Superiore, dum singulari prorsus DEIparæ Matris patrocinio, cui omnes jam olim â se structas Ecclesias, sacras voluerat S. Maternus, magna semper incrementa sumeret res Christiana, etsi haud minimum turbarentur hoc anno fideles morte sanctissimi sui Pontificis Beati Marcelli, cujus memoria solemnis 7. Cal. Octobr. celebratur, cui quamprimum haud impari sanctitate Episcopus S. Metropolus sufficitur; perenne Ecclesiæ Tungrensis ornamentum.

A. C. CCXXIII.

Idem Metropolus sæviente nimium persecutionis procella, Treveros nihilominus sæpius occurrens (quorum juxta Tungros Sedi præerat Episcopus) & afflictis Christianis sacra administrans, & sacerdotes ordinans, inde ad inferiores Germaniæ partes sese recipit, juxta Apostolum omnibus omnia factus, & impendens se non solum sed superimpendens.

A.C. CCXXV.

Incertum quando aut qua morte decesserit S. Albanus sive Albinus Maurus, sub hoc tamen, verosimile est, tempus agonem suum, ad inferiores, sive potius medias Rheni partes delatus, feliciter consummavit. Hic tamen alius omnino necesse est fuerit ab Albano illo quem Serarius passum tempore Honorii vel Diocletiani scribit. Sed & diversus ab illis cujus caput, idem author, Monachii asservari meminit; & alterius cujus corpus integrum & incorruptum in S. Pantaleonis Coloniæ colitur.

A.C. CCXXVIII.

Sanctum Paternum Vindonissæ Episcopum sub hæc tempora, cursum suum feliciter consumasse credibile est, cum Helvetiæ & vicinis Rheno atque Acronio populis diutissime & sanctissimè præstitisset.

A. C. CCXXX.

Apostolatum suum Martyrio coronat Sanctus Florianus ex Equite Pannonio & Noricorum Militiæ Præfecto, Magnus Norici Apostolus & Pannoniæ, qui cum Laureaci Christum palam prædicaret, ab Aquila Romanæ militiæ Tribuno tentus, & in Anassum fluvium præcipitatus, & submersus ad præmia Martyrum evolavit.

A. C. CCXXXIII.

Sub hoc tempus videtur rei Christianæ satagisse Vindonissæ & Constantiæ perque Helvetiam & littora Rheni atque Acronii S. Laudo sive Lindo Episcopus, & cùm alios ad fidem Christi traduxisse, tum persecutionis metu territos ad saniora consilia revocasse.

A. C. CCXXXV.

Alexandro Imperatore Mammæa inprimis sanctissima ejusdem matre agente, quiescit maxime per Germanias persequutio, qua occasione optimè usi sanctissimi Episcopi, fidem Christi plurimum dilatarunt; Matre Cæsaris plurimos etiam pecuniis aliisque necessariis juvante.

A.C. CCXXXVII.

Sanctus Gerardus, vulgo Jerardus sub hoc tempus, scribitur Laureacensem egisse Episcopum, qui procul dubio inter Vigilantissimos persecutorum oculos, Laureaci residere non potuit, sed in vicinia apud Christianos delituit, non sine extremo vitæ periculo, suo munere functus, sedulus nihilominus & valde industrius, quem solatio fidelium, optimum Numen, inter tot insidias gratiosissime conservarit, & verè sub umbra alarum suarum protexerit.

A.C.

A. C. CCXXXIX.

Post innumeros meritorum manipulos, ad coronam felicissimæ æternitatis & præmia Apostolica vocatur S. Metropolus vicesimus primus Trevirorum, & quartus Tungrorum Episcopus, plurimarum & Amplissimarum adjacentium Germaniæ provinciarum Apostolus, ob ingentes exantlatos labores, perpessas angustias & tribulationes, superata discrimina haud immerito etiam inter Martyres censendus. Cujus anniversaria memoria 3. Cal. Oct. celebratur.

A. C. CCXL.

Arduos pro Christo & Ecclesia labores Martyrio consecrat & coronat Sanctus Rutherus, sive Rudharius, Moguntinensis Ecclesiæ Episcopus, Maximino crudelissimo Imp. Persecutionem resuscitante, quæ Alexandro rerum potiente magnam partem cessaverat.

A. C. CCXLI.

Finem arduorum laborum sortitur felicissimum hoc anno S. Ruffus Metensis Episcopus, qui nullis metis contineri se passus, in amplissimas Germaniæ excurrens provincias, generosissimo periculorum contemptu, ad rem Christianam juvandam sese totum effudit; & immortaliter meruit, felicissimo somno resolutus 7. Id. Novembr. etsi diem hanc Translationis esse Beda existimet.

A. C. CCXLIII.

Apud Treveros & Tungros Episcopum summa cum laude, fructu maximo agit S. Semerinus, diversissimus ab illo Coloniensium Episcopo, vir Zelo Apostolico præditus, & cui nihil tam arduum esset, quod non prompte & hilariter, proximorum causa susciperet, & sufferret, cujus Prædicationis fructus insigniter commendatur & celebratur.

A. C. CCXLIV.

Gordiano imperante, dum nonnihil remitteret persecutio, prorumpentes è specubus & cavernis Christiani, summo multorum solatio, mutuo consalutant, in fidei constantia roborant, felicius proficiente etiam apud Infideles Episcoporum cæterorumque pactorum prædicatione, dum liberius consulunt necessitatibus Ecclesiarum.

A. C. CCXLVI.

Utitur occasione quietis S. Adelphius qui S. Ruffo successerat Metensis Episcopus & ad circumjacentes quaquaversum conversus provincias, extincta apud nonnullos fidei semina feliciter resuscitat, multû proficiens, vitæ merito & sancto exemplo. Occiditur magno Christianorum luctu Gordianus Imp sub cujus Imperio iidem plurimum respiraverant, cujus vox illa digna Christiano: Miser est Imperator, apud quem vera tacentur.

A. C. CCXLVII.

Rursum magna fidelium consolatione Philippi duo Imperatores, etsi necdum publice Christianos se profiterentur, haud obscure tamen dum illis aperte favent & consulunt.

A. C. CCXLVIII.

Sanctus Avitus Moguntinensis Ecclesiæ Episcopus, ex tot respirans periculis, quiescente denique etiam apud Moguntinos persecutorum rabie, nihil non molitur pro Ecclesia illa firmius stabilienda, & integrè ad Christiana sacra persuadenda.

A. C. CCXLIX.

Philippus Senior Imp. Augustus, procul dubio jam Christianus, etsi minus manifestus, rem Christianam, in Germania inprimis, cui nationi summopere faverat, plurimum promovet, aliaque inter Laureacensem Archiepiscopatum, nullis antea certis reditibus præditum, multis honoribus & divitiis accumulans, Ejusdem primum & præcipuum fundatorem agit.

A. C. CCL.

Fabianæ (quæ hodie Vienna est, Metropolis Austriæ, & Austriadum Cæsarum Regia) Verbum DEI prædicat S. Eutharius, Superstite etiamnum, & de consensu ejusdem, ut videtur S. Gerardo Laureacensi Archiepiscopo, meritis meritò honoribus, siquidem beneficiorum uspiam digna apud posteros esset recordatio, celebrandus.

A. C. CCLI.

Philippus Augustus Senior Quirinum filium egregiè indolis Principem S. Euthario an Gerardo in omni sanctiore discpilina instruendum commendat, qui apud Laureacum sanctè instituitur, successurus cum tempore in eâdem sede, & secundi ab Augusto patre Fundatoris titulum meriturus.

A. C. CCLII.

Sub Philippis patre & filio Augustis longè lateque pervagata Divina prædicatio, ingentem numerum ubique, sed vel maximè per Germaniam ad Christi fidem aggregaverat, languescente indies magis & obsolescente gentili superstitione, ex quo cùm Decius Regno inhians, tum Idololatriæ præcipui Zelatores gravissimè offensi sunt.

A. C. CCLIII.

Incredibili & inexplicabili Christianorum luctu Philippus uterque Augustus, pater Veronæ Junior Romæ, Deciis Seniore & Juniore Consulibus perfidè trucidatur, superstitibus etiamnum illis, Macrino Imperium tentante, quo subitum interfecto. Decius Augustus consalutatur; moxque toto Romano Imperio persecutionem Christianorum indicit. Ipso anno S. Maximilianus Decii fugiens ex Pannonia patria sua persecutionem, dum Romam occurrit a S. Fabiano Papa persuadetur redire & patriotis Christianis solatio esse.

A. C. CCLIV.

S. Quirinus Philippi Senioris Augusti filius, Junioris frater germanus, cognita parentis & fratris cæde, nequid sua causa Ecclesia Laureacensis pateretur, omne suum patrimonium, quod per Pannoniam & Moesiam habebat amplissimum eidem legans, Aquileiam secedit cujus loci primum Patriarcham fuisse nonnulli contendunt, etsi in Catalogo Patriarcharum non inveniatur. S. Severino Vicesimo secundo Treverorum Episcopo, & sexto Tungrorum Præsuli succedit S. Florentinus cum ille XI. Cal. Novembris ad Superos concessisset.

A. C. CCLV.

Continuatur sub nomine Decii dirissima etiam per Germaniam persecutio, etsi jam superiore anno impium, ira Divina sustulisset, Gallo & Volusiano Imperium invadentibus, mox Alpino in Rhætia exercitu Valerianum, Augustum salutante, qui Gallienum filium Imperii Collegam appellat, Christianisque sese amicissimum declarat.

A. C.

A.C. CCLVI.

Subsistunt in Rhætia noviter electi Cæsares, confisi Germanorum armis & tuti, donec res suas firmarent, sibique Senatum conciliarent, quorum favore apud Christianos à Rhætiæ Ecclesiæ commendato latius per Germaniam Christi fides invalescit.

A.C. CCLVII.

Aliis quoque Germaniæ locis Christiani respirant, dum juratissimos eorum hostes Marcomannos Gallienus bello premit. Apud Moguntiam Martyrio coronatur S. Herigerus Episc.

A.C. CCLVIII.

Valerianus erga Christianos propensissimus, optimos quosque familiares sibi adlegit ita ut tota domus ejus piis hominibus compleretur & quasi Ecclesia quædam Sanctorum esset, quos inter ex Germania & Rhætia non pauci erant, quorum egregia virtuti & sacris monitis plurimum movebatur.

A.C. CCLIX.

Valerianus Mago quodam Ægyptio instigante, repente ex optimo in pessimum versus, octavam in Christianos persecutionem decernit, visus nihilominus rem Christianam per Germanias imperturbatam velle, ne quos illic sibi habebat obnoxios exasperaret.

A.C. CCLX.

Germanis in ultionem Valeriani usus DEUS, sævientis in Christianos sævitiam castigat; illis quadruplici exercitu Romanorum provincias invadentibus, aliis Gallias & Hispanias, aliis confinia & Italiam, aliis Illyricum, Epirum, Thraciam aliis Austriam & Ungariam vastantibus, magnamque passim stragem edentibus. Videtur passus S. Rutherus Episcopus Mogunt.

A.C. CCLXI.

Etiam Germaniam impia Valeriani edicta percellunt, Christianis quaquaversum, relictas aliquamdiu latebras quærentibus & repetentibus, dum pergit hostem sibi factum persequi Numen, ulturum paulo post gravius, tanquam de industria & post agnitam jam quasi Veritatem, perduellem. Ingenuo in Pannonia contra ipsum salutato etsi mox per Verianum Ducem prostrato.

A.C. CCLXII.

Obstinacior in malo Valerianus hoc anno proditione Macriani Ducis Sapori Persarum Regi proditur & deditur, qui quamdiu vixit eo incurvato quasi suppedaneo usus est scabello cum equum conscenderet. Germanis nihilominus maximè Rhætis, quibus erat addictissimus super fortuna tanti Principis altum ingemiscentibus.

A.C. CCLXIII.

Gallienus solus nunc rerum potitus, animadvertens haud improbabiliter ulciscente Numine Christianorum persecutionem, in tantas calamitates parentem suum prolapsum, certè etiam firmando per Germanias Imperio conducere, impii edicti Diplomata cassat, Christianis passim respirantibus.

A.C. CCLXIV.

S. Florentinus vicesimus tertius Trevirorum idemque sextus Tungrorum Episcopus Verbo potens & opere, Christiana sacra latè propagat; haud parum impediente successus ad Rheni tractum Marcomannorum & Suevorum incursionibus, qui Moguntiam, Treverim, Metas & ultra 50 urbes, ingenti Romanorum strage expugnant.

A.C. CCLXV.

Ad præmia æternitatis sub hoc tempus evolat S. Avitus Moguntinensis Episcopus post innumeros labores & pericula fortiter exantlata cui sufficitur S. Ignatius *vir Doctus, & Sanctissimus*, à Trithemio nostro appellatus.

A.C. CCLXVI.

Ad Apostolicam capessendam coronam accersitur hoc anno S. Florentinus Trevirorum & Tungrorum Episcopus Calendis Martij; cui eo in munere sufficitur S. Martinus, longè diversus ab illo Turonensium Episcopo, haud minoribus tamen meritis & vitæ sanctitate. Quo ipso anno magnis etiam laboribus & mortalitati valedixit Beatæ memoriæ Fronimus Metensis Episcopus Græcus natione, cui Leguntius successit.

A.C. CCLXVII.

Gallieni ignavia plurimi incitati Imperio tyranni inhiant, plerique ab iis ipsis, qui elegerant trucidati, non sine Numinis singulari ordinatione, ad preces ut creditur Christianorum, quod Persecutionem cessare jussisset, re Christiana sub ejus Imperio plurimum per Germaniam invalescente.

A.C. CCLXVIII.

Insigne illud Austriæ & Pannoniæ Sydus S. Maximilianus Laureacensis creatur Episcopus; nobilibus in Ungaria parentibus editus, in omni vitæ sanctitate à teneris unguiculis à beatæ memoriæ Oranio Presbytero institutus, qui mox ut tanto honore sublimatus est, totum sese in prædicationem Evangelicam effudit, Apostolique per Austriam gloriosissimum nomen meruit.

A.C. CCLXIX.

Magno rei Catholicæ damno, Christianorum luctu scelere Claudii Ducis interimitur Galerius Imp. & paulo post Valerianus ejus frater, salutato parricida Claudio Christianis iniquissimo. Germanis minus æquo, quod Aureolo contra ipsum favissent.

A.C. CCLXX.

Non minus Germania, quam totum turbatur Imperium, novo Crudelissimi Cæsaris edicto, quo captivi aut delati Christiani omnes, omni prohibito ulteriore examine statim supremo supplicio è medio tollerentur. Christianis plerisque relictas olim latebras quærentibus; plurimis tamen Episcoporum, suam longè lateque pastoralem curam non sine quotidiano vitæ periculo, exercentibus.

A.C. CCLXXI.

Dat pœnas meritas resuscitatæ persecutionis Christianorum atrocissimæ Claudius Imperator, & pestilenti lue passim grassante & ipse tollitur, salutato Cæsare Aureliano, haud levi Germanorum omnium & Christianorum maximè metu, quod Claudio militasset adeoque minus æquus Germaniæ fore videretur.

A.C. CCLXXII.

Hastaniam sub hoc tempus Christi Fidei adjungit S. Mar-

S. Martinus Tungrensis Episcopus ab insigni eruditione & prædicandi fervore atque efficacia commendatus.

A.C. CCLXXIII.

Magnis proficit incrementis fides Christiana per Superiores Pannoniæ partes & Austriam, indefessis studio & laboribus S. Maximiliani Episcopi, qui nullo habito periculorum respectu, dispersas passim bellorum turbationibus, ac dein persecutionis metu ovicolas, Laureacum tanquam ad munitiorem illarum provinciarum metropolim congregat; unde & late excurrens, vastatas passim Ecclesias resuscitat, magnis à Numine prodigiis honoratus.

A.C. CCLXXIV.

Octava seu Nona (ut nonnulli volunt) persecutione ab Aureliano instituta & hoc anno per Germaniam propalata, multi etiam Martyres, tam apud Moguntiam, quam Treverim & Ratisponam Triumphanti Ecclesiæ videntur aggregati.

A.C. CCLXXV.

S. Quirinus Philippi quondam Imperatoris filius, Laureacensis Archiepiscopalis in Austria Ecclesiæ Dotator liberalissimus, cum per Pannonias latè Christi disseminaret fidem apud Sisoram inferioris Pannoniæ captus & in vincula conjectus, indeque Sabariam ad Pannoniæ Præsidem missus, ab hoc Vindobonam, quæ hodie Vienna Austriæ est, ad carceres relegatus, inclementissimè habetur.

A.C. CCLXXVI.

Desudat plurimum in Conversione gentium S. Martinus Tungrensium Episcopus non uno loco consistens, sed urbes pagosque prædicando circumiens & benefaciendo, dispari apud hos aliosque successu: nam ad Horion pagum delatus Hasbaniæ, à rusticis repulsus, cum nec unum reperiret, qui fatigatum hospitio reciperet, excutiens pulverem de pedibus recessit, progressusque ad nemus, super rupe quadam quievit, quæ instar mollis ceræ sedem ipsi instar Cathedræ cessit, quo deinceps loco cœlestia luminaria collucere visa, & multum febricitantes prodigio curati sunt.

A.C. CCLXXVII.

Sævit atrocissimè persecutio Aureliani, neque uspiam ferventius, quam quo ipsius sese & arma inferret, uti hoc ipso & superiore anno Germaniæ intulit, cujus impio edicto præter plurimos alios egregios Christi pugiles hoc anno S. Ignatius Moguntinæ Sedis Episcopus, vir Apostolicus, labores suo Martyrio gloriosissimo consummavit.

A.C. CCLXXVIII.

Crudelitatis in Christianos meritas Numini dans pœnas Aurelianus, dum in Orientem movet, casu juxta se fulminis consternatus, à suis paulo post interimitur, Marco Claudio Tacito à Senatu, sic poscente exercitu nominato & salutato Imperatore. Sub quo paulum respirantibus Christianis, S. Ignatio apud Moguntiam sufficitur S. Dionysius.

A.C. CCLXXIX.

Ingenti Christianorum luctu, mortalitati Valedicens S. Martinus Tungrorum & Treverensium Pontifex & Apostolus, immortalibus jungitur XI. Cal. Julij. cujus deinceps eadem die festiva ejusdem memoria, magna Fidelium devotione est celebrata. Tacito Cæsari, non sine ingenti totius Romani Orbis comploratione mortuo & fratre ejusdem Floriano interempto, M. Aurelius Valerius Probus Augustus salutatur.

A.C. CCLXXX.

Post S. Martinum vigesimus quintus Trevirorum, octavus Tungrorum Episcopus eligitur S. Maximinus, mira sanctitate illustrissimus, qui maximis meritis provincias sibi creditas demeruit, cujus usque hodie nomen celeberrimum habetur. Hic diversus est à S. Maximino ejus nominis secundo Trevirorum Episcopo, qui magnum Athanasium pro fide Christi exulem suscepit & amantissime complexus est.

A.C. CCLXXXI.

Alemannis omnia in Germania turbantibus, haud parum impedita res Christiana, viris à disseminatione Verbi Divini prohibitis, & fidelibus quaqua versus dispersis, donec illos Probus Imperator gravi attritos clade compesceret & per Rhætiam Romam victor reverteretur; qui Christianis haud parum favere visus est.

A.C. CCLXXXII.

Florentissimis cæteroquin Christianorum in Rhætia rebus assidua tranquillitate insigniter promotis, haud parum obest hoc anno, Bonosi Rhæticæ militiæ Ducis, à Cæsare defectio, qui inter pocula & compotantibus largius militibus, salutatus Augustus, cum vino mersissimus esset (de quo Aurelianus sæpe: non ut viveret, sed ut biberet natum esse) Imperium arripuit, & vero etiam sobrius retinere conatus, magnis miseriis Rhætiam involvit, Christianis maxime, in Heroe cæteroquin sibi amicissimo perfidiam detestantibus, & arma iniqua detrectantibus.

A.C. CCLXXXIII.

Magno non solum Ethnicorum sed & Christianorum luctu Probus Augustus, per Illyricum in Persas movens, ex insidiis militum perimitur, quo imperante, Christi fides magna passim maximè per Germaniam incrementa habuit. Sufficitur M. Aurelius Carus, qui statim filios Carinum & Numerianum Cæsares creat.

A.C. CCLXXXIV.

Acriter quamprimum juvenili insania in Christianos sæviunt novi Cæsares, Numerianus inprimis Occidenti impositus, sub quo Præsidem Rhætiæ agens Euilasius, Gaunoduri, quæ hodie Constantia Potamica est, residens Pelagium Ungarum egregia generositate 25. annorum juvenem, sibi ob sævitiam in Christianos insultantem, post varia & horribilia tormenta capite mulctat; Principem deinceps tantæ Urbis Tutelarem cooptatum. Nec impune Numerianus tulit, hoc ipso anno, uti & Carinus frater interemptus, Aurelio Valerio Diocletiano Dalmata ad Imperium evecto.

A.C. CCLXXXV.

Pergit sævire per Rhætiam, & Gaunoduri inprimis Evilasius, ipsa Constantia S. Pelagij juvenis irritatus & perturbatus, nec dubium ad ulteriores etiam Rheni partes persecutionem prolatatam, donec Numen interveniret, hoc ipso adhuc anno, Romanos per Alemannos profligante, Euilasio procul dubio ægre evadente & bonis omnibus expoliato, non invitis civibus, qui laniena illa Christianorum & recenti juvenis Egregij S. Pelagij, haud parum offensi essent.

A.C.

A.C. CCLXXXVI.

Diocletianus ascito in Collegam Imperii Maximiano, etsi sui similem Christiani nominis hostem nunquam habuerit, nec sui dissimilem Collegam voluerit, turbatis tamen in Germania rebus, veritus provinciam totam alienare, uterque bene affectum ad Christianos simulat, ita ut apud Germanos impune aliquamdiu Christiani se proderent, ipsisque Ethnicis ob egregiam animi synceritatem, & in omnes Charitatem, grati & gratiosi essent.

A.C. CCLXXXVII.

Uranius Presbyter S. Pelagii instructor & institutor, videtur sub hoc tempus partes Episcopi in Rhætia & superioribus Rheni partibus egregiè sustinuisse, Christianis nonnihil ex superiore persecutione respirantibus, & ad majorem dein magnanimiter sufferendam animatis & excitatis, quæ à Diocletiano & Maximiano, ad exscindendam penitus Christi Religionem parabatur.

A.C. CCLXXXVIII.

Cum annis ferè viginti incredibili rei Christianæ per Austriam fructu & incremento, Laureacensi Ecclesiæ præfuisset S. Maximilianus, æquè meriturus de patriâ, Celeyam unde oriundus erat Pannoniæ Urbem profectus, ut illam à superstitionibus & idololatrico cultu liberaret, ibidem per hunc fere & sequentem annum strenuè laboravit, nec paucos ab erroribus revocans, ad Christiana sacra perduxit.

A.C. CCLXXXIX.

Apud Tungros & Trevirenses plurimum proficit in conversione infidelium, fidelium confirmatione S. Maximinus Episcopus, etsi variis procellis jactatus dum Cæsarum adversus Christianos odium magis magisque proderet, & infideles contra fideles concitaret. Euilasius Rhætiæ Præfectus, nullo nomine charior Augustis, quam quod hostis Christianorum juratissimus esset, etsi nuper turpiter Gaunoduro ab Alemannis ejectus, periclitantibus Ungariæ rebus eò destinatur. Ubi conciliandis prius inanibus Diis intentus, dum atrocissimè in Christianos sævit, à S. Maximiliano repræhensus, ipsum illico aut Marti sacrificare aut gladio feriri jubet. Ita Apostolatum suum Martyrio coronat sanctissimus Pontifex, & à fidelibus primum extra urbem sepultus, postea à S. Ruperto Salisburgensi Episcopo Laureacum translatus est, qui multas ejus nomini Ecclesias dedicavit. Passus est 4. Id. Oct. hoc ipso anno.

A.C. CCXC.

Sævit, si aliás unquam per Germaniam, tam ad Rheni quam Danubii tractum, imo in Meditullio Regni, truculentissima Christianorum persecutio, atrocissimo Cæsarum edicto, circumlatis per forum inanium Deorum parvis statuis, quibus nisi prius sacrificaret, nemini vendere aut emere licitum erat.

A.C. CCXCI.

Apud Moguntiam rerum strenuè satagit, inter strages nunc Germanorum nunc Romanorum S. Dionysius ejusdem urbis Episcopus, remittente subinde inter tot rerum mutationes persecutione, dum Romani nunc victi nunc victores, vix ipsi saluti suæ satis consulunt, Numine subinde graviter suos ulciscente.

A.C. CCXCII.

S. Maximino superiore anno tantis calamitatibus in cœlos subducto, succedens in Pontificatu S. Valentinus Nonus Tungrorum, & vicesimus sextus Trevirorum eligitur Episcopus, vir non minus vitæ sanctitate, quam egregia eruditione conspicuus, qui Ecclesias præfatas viginti octo annis inter miras jactationis & extrema ut quotidiana pericula, summa prudentia sanctissimè gubernavit.

A.C. CCXCIII.

Constantius Clorus Caji Cæsaris ex filia nepos hoc an superiore anno ab Augustis Collega delectus, in magnam spem Christianos Germaniæ erigit, quibus impensè favit Helena maximè conthorali Religiosissima fœmina concitante, cujus denique fusis ad DEum precibus, gratiam est consequutus, ut verum fidei lumen agnosceret, inter maximos Germaniæ nostræ Apostolos habendus.

A.C. CCXCIV.

Non tam turbatis bello rebus, Alemannis ad Rheni tractū, Quadisqȝ & Alanis meditullium Germaniæ infestantibus, quam Galerii adventu, Christiani quaqua versum dispersi egentes, angustiati, afflicti in solitudinibus errantes in montibus & speluncis & in cavernis terræ latitantes, multa loca, usqȝ hodie sanctitatem redolentia suis lachrymis & gemitibus consecrant. Augustæ Vindelicorum S. Afra cum sociis viva pro fide Christi exuritur.

A.C. CCXCV.

Galerio cum exercitu Danubii urbes & munitiones expugnante, illic quo nimis quantum invalescit persecutio; quo tempore lamena Christianorum Ratisponæ restaurata est, totis Martyrum turmis, triumphantis Ecclesiæ sacro exercitui accensis.

A.C. CCXCVI.

Hoc ipso anno S. Dionysius frater S. Hilariæ quæ fuit mater S. Afræ Martyris, primus Augustæ Vindelicorum Episcopus, à S. Narcisso olim Gerundensi Episcopo ad fidem Christi Conversus & presbyter ordinatus; potens verbo & opere Vindelicos DEO lucrari conatur. Ipso anno Constantius, Thuringis arma cum Alemannis jungentibus cum iisdem congressus, gravi accepta clade se recipere cogitur.

A.C. CCXCVII.

Vix anno Episcopatus & prædicationis exacto, idem Dionysius, præsidi delatus quod Christianus non solum esset, sed & Præco Fidei Christianæ ferventissimus, tentus & in carcerem conjectus, paulo post, cursum Martyrii abscisso capite feliciter consummavit. Constantius invocato Numine superioris anni cladem ulturus, reparatis viribus & auctis, plurimis Christianis ipsi militantibus Alemannos denuo prope Vitodurum, aliis Gauno, seu Amptodurum (tot olim, & pluribus etiam, quæ hodie Constantia est, nominibus est appellata) memorabilem prorsus, cæsis hostium septuaginta millibus, victoriam retulit.

A.C. CCXCVIII.

Restaurat dirutum magna ex parte ab Alemannis Gaunodorum seu Vitodurum, celeberrimi olim Nominis Urbem Mesopolim, & à se Constantiam Constantius cognominat, nobilissimum suum contra Alemannos Victoriæ Trophæum, ubi & rei gestæ monimentum, incisum lapidi muro Urbis inseruit, quam insigniter communitam Præsidio Rhætico & Romano instruxit, cui & magnis immunitatibus consuluit, propugnaculo singulari Christianis tuturam.

A. C. CCXCIX.

Hoc anno Germaniam nostram illustri admodum Martyrio nobilitant Heroes egregii, Sancti Ursus & Victor cum sexaginta sociis, Thebeæ Mauritio Duce Legionis, lectissimis militibus qui Maximiani Imp. crudelitatem in Christianos detestati, relicto exercitu è Valesia ad partes nostras delati, apud Solodurum comprehensi, cum sacrificare inanibus Diis renuissent, post varia tormenta ad ignes damnati, eo prodigiosè extincto, liberati, in Arula demum ponte decollati & in flumen abjecti, ex eo mirè in pedes erecti, capitibus sua quisque manu resumptis, & in Victoriæ signum prælatis, loco demum à DEO prælecto, genuflexi, capita seque humi in Domino quieturi, deposuere, eo miraculo plurimis cùm Soloduri, tum è vicinis provinciis Christi Fidem amplectentibus.

A. C. CCC.

Diocletiano & Maximiano jubentibus, etsi invito admodum Constantio, invalescit in Rhætia persecutio, Cajo Rhætiæ Præside immaniter in Christianos sæviente, Constantiæ tamen consulens suæ, Christianos ibidem & in vicinia fovit summa charitate Constantius, eos constituens præsides, qui vel Christiani essent vel Christianorum vitam & innocentiam magni facerent.

A. C. CCCI.

Mortuo priore anno Leguntio, eximiis Sanctitate & meritis vir Metensis Ecclesiæ Pontifex S. Author constituitur, qui vicinæ Alsatiæ aliisque provinciis tempore persequutionis mirè consuluit, hàc nimium invalescente dum Constantius ad compescendos Britanniæ motus cum exercitu occurrit.

A. C. CCCII.

Apud Augustam Vindelicorum, Cajo impio præside, invalescit nimium persecutio quæ procul dubio, se se non in inferiore solum Rhætia continuit, sed & in superiorem exporrexit, ægrè effugiente S. Narcisso & patriam suam repetente.

A. C. CCCIII.

In Helvetia triumpho insigni & terras beant & cœlos recreant Sancti Martyres Felix, Regula, & Exuperantius, qui apud Glaronenses primum, dein Tigurinos Christum verbo & opere celebrantes, Tiguri sub Decio Præside gravibus affecti suppliciis, virgis & ferramentis crudeliter concisi, ferventi oleo injecti, plumbo ardenti & bitumine perfusi, ad rotas acutis præfixas gladiis damnati, sed prodigiosè illæsi, decapitati denique, & ipsi ut S. Ursi socii capita manibus propriis sustulerunt, & in collem proximum detulerunt, ubi sepultura eis, procul dubio, divinitus est designata.

A. C. CCCIV.

Maximo Christianorum plausu & solatio sceleratissimi & juratissimi eorumdem hostes Diocletianus & Maximianus Augusti, Imperio sese abdicant, succedentibus Maximiano Galerio, & Constantio Chloro, illo Orientis, hoc Occidentis Imperium & Germaniam nostram obtinente. Constantiæ suæ, sive Constantinopoli Seniori consulit ante omnia felix ejusdem Conditor Constantius, cui de lectissimis providet pastoribus, primæ Urbium quæ Christiana sacra integre complexa sit. S. Dionysio priore anno, ut nonnulli volunt, mortuo, succedit in Episcopatu Moguntino Ruthbertus.

A. C. CCCV.

In inferiore Germania Christi fidem libere nunc disseminat, & verbo prædicationis exemplo illustrissimæ Sanctitatis fideles confirmat, infideles accendit & DEO lucratur S. Piato Episcopus Tornacensis. Haud improbabile Constantiæ & in Germania factum illud, quod de Constantio vetusti scriptores memorant: congregatis in unum Aulicis suis seu Palatinis, optionem dedisse, ut vel sacrificantes Diis eundem locum retinerent, vel recusantes libere discederent; eos autem qui abire elegerint, quam fidem abjicere, ut sibi quoque fideles futuros, apud se retinuisse & honoribus auxisse, aliis abjectis qui in DEum fidem abjecerant, quos nec sibi fidos fore crediderat.

A. C. CCCVI.

Magno Christianorum maximè Germanorum luctu, moritur hoc anno in Britannia Constantius Imp. commodùm tunc præsente Constantino ex Sancta matre Helena filio, quem ipse successorem designavit, etsi alienum adhuc à fide optimi parentis, benè tamen affectum ad Christianos.

A. C. CCCVII.

Ulciscente Numine Martyrum suorum injurias à Maximiano illatas, Hic relictum affectans Imperium & Constantino struens insidias, manifestus sceleris & pejora metuens ipse sibi laqueo vitam extorquet, ad meritas pridem pœnas æternas abreptus, magno metu Christianos liberat.

A. C. CCCVIII.

S. Quirinus Philippi Imperatoris filius, Laureacensis Ecclesiæ alter Fundator, Pataviensis Episcopus, cum propagandæ Fidei Zelo longè lateque excurreret, ad Apostolatus denique præmia vocatus, post diuturnos carceres, ærumnasque innumeras, Sarcabantiam Sabariæ vicinam in vinculis abductus & Diis sacrificare jussus, cum constanter renueret, in proximum urbi amnem præcipitatus, Martyrium complevit, sacro ejus corpore à fidelibus quæsito, & honoris causa Romam usque translato, quod post annos quadringentos Germaniæ restitutum & ad Monasterium Tegernsee translatum usque hodie summa in veneratione est.

A. C. CCCIX.

S. Verena Cerciaci, vulgo in Zurzach, pio alicui presbytero serviens, magnis miraculis cùm ipsi, tum Christianæ plebi à Numine commendatur, sicque ex vita ejusdem manifestum, cùm hic, tum in Vicinia, hoc ipso jam tempore, magnam omnino, nisi & maximam partem accolarum palam Christum confessam, suoque munere & Episcopos & Presbyteros præclare functos esse.

A. C. CCCX.

Constantinus Imp. commendatæ sibi à patre Constantio Spartæ nunc suæ, Constantiæ scilicet Acronianæ, paterni nominis gratiosè æmulæ, benè memor, ipsi consulere non prætermittit, ut digna nimirum Patris & filii tantorum Majestate appareret; simulque situ loci attento talis esset, ex qua tanquam nexu summæ considerationis, Alemanniæ, Helvetiæ atque Rhætiæ diversissimos ingenio populos, in officio contineret.

A. C. CCCXI.

Maximianus Galerius etsi jam procul in Oriente positus, memor tamen eorum quæ contra Christianos in

nos in Occidente, & Germania admiserat, dum diriſſimis corporis cruciatibus, inflictis à Numine plagis, metuendo exemplo miſere conficitur, encyclicis Chriſtianorum preces anxiè & demiſsè implorat, nihil proficientibus omnibus remediis, donec indigniſſimam miſeratione efflaret animam, magna conſolatione Chriſti fidelium quod Conſtantinum, etſi necdum Chriſtianum, in Chriſtianos tamen benevolentiſſimum tanto Imperii non tam Collega, quam æmulo liberaſſet.

A. C. CCCXII.

Maximis effulget meritis & illuſtriſſimis Vitæ exemplis, per Burgundiam & vicinam Helvetiam S. Euſebius Veſuntinenſis ſive Biſontinus Archiepiſcopus, diſperſos pridem perſecutionis metu aggregans, & infidelium converſioni Apoſtolico Zelo vigilantiſſimè intendens. Conſtantinus contra Maxentium movens, qui Occidentis æque ac Orientis Imperium ſibi arrogaverat, monitionis parentum in ſupremo periculo benè memor, voto de Chriſtiana Religione amplectenda facto, apparente in cœlis Cruce Dominica, cum hiſce verbis: *In hoc vince*, vicit tyrannum feliciſſimè, magno Helenæ matris plauſu voti reus factus.

A. C. CCCXIII.

Periclitari ſibi viſi per abſentiam Conſtantini Germani Chriſtiani, priuſquam de cæſo Maxentio intelligerent, cujus apparatum belli incomparabilem & inſuperabilem audierant, dum Alemanni interea nihil non hoſtile tentant, mox ab ipſomet ſupervenienté, de Triumpho edocentur. Alemannis tantopere ejus adventu deterritis ut velut fumus evaneſcerent. Conſtantienſes ſigno Victoriæ, quod Conſtantinus ex oris Rheni in cœlo viderat, mirificè recreati, ſive amore & reverentia crucis, ſive Fundatoris utriuſque Cæſaris, forte & ſuadente Helena approbante Cæſare, idem mox ſignum, ad antiqua urbis inſignia jungunt Conſtantiâ primâ urbium, Crucis ſigniferâ effecta, & ex eo tempore revera invicta.

A. C. CCCXIV.

Sub hunc ferè annum poſt incomparabiles duodecim annorum labores, ad requiem & ſolatia æterna vocatur Ruthbertus Moguntinenſis Epiſcopus, de quo alii aliter, videtur tamen efficacius probari ex ſubſequentium Epiſcoporum ætate poſſe, ſucceſſit pari Sanctitate Pontifex S. Adelhardus, cujus geſta interiiſſe dolendum eſt. S. Agritius Treverenſis Epiſcopus intereſt Concilio Arelatenſi.

A. C. CCCXV.

Decennalia celebrat Conſtantinus Magnus Imp. ſed more Chriſtiano etſi Cathecumenus, Chriſtianis communi oratione Principis tanti ſalutem Numini commendantibus. Videtur autem S. Valentinus ad annum uſque Chriſti 319. ſuperſtes, S. Agritio de quo ſupra curam Trevirenſis Eccleſiæ ceſſiſſe, ſolius Tungrenſis retinuiſſe, ita ſuperiore anno certum eſt Agritium Concilio Arelatenſi ſubſcripſiſſe, Valentino ad tot labores ob ſenium impare, cujus tamen magna ſub hoc ipſum tempus de re Chriſtiana merita extitêre.

A. C. CCCXVI.

Invaleſcunt paulatim etiam in Germania noſtra diverſæ natæ in Oriente Hæreſes, ita ut quantum antea metuendum à Tyrannis erat, corporibus ſolum inſidias ſtruentibus, tantum & amplius à dulci illarum Veneno, ſed animis pernicioſiſſimo metueretur.

A. C. CCCXVII.

Sub hoc ferè tempus cœlos feliciſſimo ingreſſu lætificat Sanctiſſima & Nobiliſſima Virgo Verena, S. Mauritii Thebæorum Legionis Generoſiſſimi Ducis conſanguinea, à DEIpara Virgine apparente ad cœleſtes Triumphos invitata, cum quindecim annos Cerciaci ad Rhenum (Forum Tiberii Veteres locum vocabant) ſanctiſſimæ vitæ exemplo fidelibus præluxiſſet, non minus à morte, quam in vita miraculis illuſtrata.

A. C. CCCXVIII.

Inexplicabili Chriſtianorum exultatione Conſtantinus hoc anno Monarcha efficitur SS. Crucis ſubſidio, Licinio terra marique memorabili victoria triumphato & occiſo, cum paulo ante increpitus ab eodem Diocletianus, convictuſque hoſtibus faviſſe ignominioſam metuens mortem, vel moerore, vel veneno hauſto vitam abrumperet.

A. C. CCCXIX.

Hoc nunc denique anno ad præmia æternitatis vocatur S. Valentinus Tungrorum Sanctiſſimus vir verè Apoſtolicus, qui cum ad extrema deveniret, & Hæreticorum ambitionem Eccleſiæ ſuæ metueret, baculum paſtoralem in altari B. Matris Virginis deponens, ſub indiſſolubili anathematis animadverſione vetuit, ne quis temerarius inde accipere tentaret, donec per Chriſti revelationem Succeſſor dignus inveniretur.

A. C. CCCXX.

Sejuncta ex hoc tempore manſit ſub S. Agritio Trevirenſis à Tungrenſi Eccleſia, & Tungrenſis ſeptennium paſtore caruit, cum neque Agritius baculum illum DEIparæ commendatum affectaret, neque ambitioſorum quiſquam tentare præſumeret commendata à Numine prodigioſis ſignis Valentini ſanctitate.

A. C. CCCXXI.

Miſſis quaqua verſum in Germaniam maximè Chriſtianis ſive in Chriſtianos optimè affectis Præſidibus, inſigni Clementia & benevolentia animos gentilium allicit, Chriſtique fidelibus conſulit Imperator Conſtantinus. Apud adſitos Rheno incolas, Conſtantienſes (horum altera Fundatrix,) Treverenſes, Colonienſes rem Chriſtianam mirifice fovet & promovet S. Helena, Apoſtolicis non minus meritis quam Epiſcopi ſe commendans.

A. C. CCCXXII.

Apud Moguntiam claret & præclarè meretur S. Lucius Annæus Romanus ejus ſedis Epiſcopus, à Conſtantino procul dubio concedente S. Sylveſtro eodem miſſus, qui eximia vitæ ſanctitate non tractum ſolum Rheni, ſed Germaniam totam illuſtravit.

A. C. CCCXXIII.

Exemplar Sanctitatis Epiſcoporum omnium S. Agritius, aliis Agripinus dictus, Trevirorum Archiepiſcopus, admirandæ ſanctitatis effulgens radiis, in cujus gratiam S. Helena Eccleſiam illam ingenti SS. Reliquiarum theſauro beat, & Tunica Chriſti donat. Fuit idem ipſe antea Patriarcha Antiochenus à S. Conſtantino huc translatus, cum Treverenſis civitas tantæ nunc eſſet majeſtatis ut altera Roma appellaretur.

A. C. CCCXXIV.

Plenus Gratulationis hic annus, cum nunc primum

mum solemniter à S. Sylvestro Papa Constantinus Imperator, Sacris Baptismi undis expiaretur, sanctissima ejusdem matre Helena, incertum an præsente, an potius in Germania Constantiæ an Treveris, festivissimum in novellum Christi gregem plausum dante. Significavit quam primum idipsum litteris Constantinus, & toto orbe vulgavit, quem ad sui imitationem invitavit, passimque Christo Domino Basilicas construi & dedicari jussit.

*A. C. CCCXXV.*

Nunc primum S. Adelhardo mortuo suffectum apud Moguntiam Sanctum Lucium Annæum, Moguntinenses Annales memorant, certè jam potens verbo & opere murum pro Domo DEI Hæreticis se opposuit, dum sopitis Ethnicorum adversum Christianos machinationibus, Cacodæmon per malos Christianos bonos evertere satageret.

*A. C. CCCXXVI.*

Post exactum à morte S. Valentini Tungrensis Episcopi Septennium, dignissimus pedo pastorali S. Servatius, non sine Numine eodem promotus Tungrensium Pontifex eligitur. Natus in oppido Penestra, alias Phestia, in confinio Persidis & Armeniæ, à puero sanctitatis signis illis illuster; cum devotionis gratia Jerosolymas invisisset inde miro Angeli ductu Tungros delatus est, ipsa die qua 72. Parochiæ convenerant vacanti tamdiu sedi consulturæ, cum ecce prostratum in oratione quem adduxerat Servatium Angelus erigit, arreptoque in omnium oculis baculo ab altari, & in manus Servatii concredito evanescit, populo quamprimum electum à DEO Pontificem consalutante, & summa dein veneratione quam devotissime colente.

*A. C. CCCXXVII.*

Supremus hic annus Sanctissimæ Imperatricis nostræ Helenæ Constantii Chlori Augusti lectissimæ conjugis, Magnique Constantini Matris, quæ Germania omni Imperio propriaque patria chariorem habuit, & Constantiam suam atque Treverim in terrenis deliciis habuit, donec cœlestibus frueretur, de cujus Sacro corpore diversi contendunt, certius est, Germanos suam nec à morte quidem reliquisse, & in Altovillariensi quo translata postea est, Cœnobio usque hodie quiescere, etsi pro hoc & Roma & Venetiæ contendunt.

*A. C. CCCXXVIII.*

Miraculum hominis S. Servatius Germanicæ linguæ penitus ignarus, dum pro concione sua maternâ utitur, omnium nationum linguis loqui creditur & diserte atque distinctè exauditur, convocante innumeros ipsa miraculi novitate, nectam in admirationem omnes rapiente, quam fructum mirabilem in omnium cordibus & animis maturante, ita ut ingens ad gremium Matris Ecclesiæ ejus opera accessio fieret.

*A. C. CCCXXIX.*

Insigne molitur Treveris Cœnobium, Constantinus Augustus in memoriam & reverentiam Matris Helenæ, loco ubi Domicilium habuerat, adductis nescio unde incertæ Regulæ, in commune tamen viventibus Religiosis, quod postea ab longo S. Maximini incolatu Ejusdem nomen obtinuit, & usque hodie retinet.

*A. C. CCCXXX.*

Alteram Romam alteramque Constantinopolim Alemannica Juniorem etsi potentiorem construit Imperator noster Magnus Constantinus, inter duo similiter maria, sed salsissima, uti nostra inter dulcia & lympida, principio & auspiciis melioribus quam successu, cum inde magnæ Occidenti calamitates obvenerint; quæ ipsiusmet paulo post filios in partitione Regnorum involverunt.

*A. C. CCCXXXI.*

Lectissimos quosvis pastores & Doctores Germaniæ submitti à summo Pontifice impetrat Constantinus Magnus, à quibus non infideles solummodo ad Christiana sacra persuadeantur, sed & Hæretes quaquaversum sese insinuantes & obtrudentes à grege Domini arceantur.

*A. C. CCCXXXII.*

Invictum pro DEI Ecclesia pugilem agit, & prælia Domini præliatur Verbo & exemplo potentissimus S. Lucius Annæus Moguntinus Pontifex, acerrimus Hæreticæ pravitatis debellator, ab iisdem pessimè exagitatus, omnibus ipse calamitatibus superior, tantoque acrior & constantior quanto magis premi videbatur.

*A. C. CCCXXXIII.*

Ne Constantinopoli Orientis fundatâ, Occidentalis oblitus videretur, Magnus Constantinus, sub hoc tempus in Constantiæ Acronianæ amplificatione occupatur Christianæque inprimis consulens Religioni, præter S. Stephani jam structam aliam insuper Collegiatam, ut MS. pervetus habet Chronicon, condit Ecclesiam.

*A. C. CCCXXXIV.*

Miraculum Episcopi, S. Servatius Tungrensis Pontifex, non populis solummodo sed Episcopis omnibus admirationi & venerationi, incredibili successu solidum pietatis studium propagat, de quo admiranda admodum celebrantur, & quod celebrans quotidie omni dein cibo potuque abstinuerit.

*A. C. CCCXXXV.*

S. Valentinus Passaviensis Episcopus ab Arianis sede sua pulsus, delatus in Rhætiam superiorem, plurimum in propagatione Religionis Christianæ fatigatur fructu haud modico laboribus ejusdem respondente.

*A. C. CCCXXXVI.*

Incredibile dictu, quantum jam Hæresis Ariana, etiam in Germania nostra invaluerit, cum tæderet majores nostros Episcoporum suorum seriem texere, imo puderet, infandorum hominum memoriæ consulere, cum Vindelicia, Bavaria, Austria in maximos errores pellicerentur, essent tamen semper è Clero, qui utcunque obniterentur, & nutantes in fide confirmarent.

*A. C. CCCXXXVII.*

Moritur incomparabili totius Orbis Christiani luctu Magnus revera Imperator Constantinus, de Germania nostra immortaliter meritus, ut inter meritissimos etiam Apostolos censeri debeat, imo Patronus omnium Germaniæ Apostolorum.

*A. C. CCCXXXVIII.*

Sanctissimus Præsul Valentinus promovendæ Fidei studio ad ulteriora Rhætiæ progressus sub hoc tempus tractum Oenotriensem prædicando pertransiens ad Teriolos usque pervenit, plurimos passim verbo & exemplo ad Christiana pertrahens sacra cujus usque hodie memoria diversis Rhætiæ locis religiosè colitur & insignia ejusdem beneficia deprædicantur.

*A. C.*

A. C. CCCXXXIX.

Magno solatio Rhætiæ nostræ eadem in partitione obvenit inter filios Constantini, Constanti Principi Catholico, Constantio reliqua Germania, ingenti Arianorum plausu, quod ipsum sibi impensè favere certi essent.

A. C. CCCXL.

Haud levi Christianæ fidei periculo Constantinus Hæreticus Princeps Cæsaris nostri provincias armis repetit, rerum generositate Constantis statim reprimitur, & quo minus ad partes nostras penetraret, grandi prælio apud Aquileiam profligatur.

A. C. CCCXLI.

Magno rei Catholicæ per Germaniam incremento & firmamento, toto nunc Occidentis potitur Imperio Constans noster Princeps solidè Catholicus, sub quo Hæreticorum nonnihil repressa ambitio est, & fraudes detectæ, technæ elusæ.

A. C. CCCXLII.

Collisis inter se graviter fratribus, & divisionem Regnorum Patris sanctissimi disputantibus, interque se hostiliter dimicantibus, callidè simul[illegible]iter, cum simplicitate Catholicorum H[illegible] fraudulentissimis argumentis, multos in perniciem trahunt, seque ipsos intrudunt summa cum pernitie rei catholicæ, oppressione legitimorum Episcoporum.

A. C. CCCXLIII.

Usi inquiete Imperii Romani & Germaniæ Ariani, dum nihil occultis proficiunt machinationibus virum Apostolicum & de re catholica optimè meritum Sanctum Lucium Annæum Moguntinensium Pontificem, Martyrio afficiunt & è medio tollunt, quem, virum Apostolicæ atque sanctissimæ vitæ Trithemius, apud Botovverum in Moguntiacis appellat.

A. C. CCCXLIV.

Occidenti Soli, succedit novis splendoribus Oriens, S. Maximus è Presbytero optimè merito Pontifex meritissimus, natione Germanus, patria Moguntinus, vir non minus eruditione singulari quam sanctitate præcipua exculti luminis; qui instar magni luminaris splendorem maximum Germaniæ conciliavit.

A. C. CCCXLV.

Educitur corporis ergastulo sanctissima anima B. Agritii Trevirensis Episcopi grandibus meritis conspicui, urbis illius & adjacentium provinciarum speci[a]lis Tutelaris, de quo Claudius Robertus: in quo, inquit, tanta ubertas gratiæ spiritualis eminebat, ut apicem dignitatis, titulo sanctitatis ornaret. Succedit S. Maximinus eo nomine II. potens, ut idem loquitur, in omni sanctitate, frater S. Maxentii Episcopi Pictaviensis.

A. C. CCCXLVI.

Magnum illum Catholicæ Religionis Athlantem persecutione Constantii sceleratissimi & Hæretici Cæsaris & Arianorum, ad se Treviros confugientem summo cum honore suscipit S. Maximinus, populo eumdem non ut exulem, sed Christi Confessorem summa reverentia prosequente.

A. C. CCCXLVII.

Idem S. Maximinus S. Athanasii cultor devotissimus & Catholicæ fidei per Germaniam propugnator acerrimus interest hoc anno Concilio Sardicensi Oecumenico, Episcoporum 300. ex Occidente & 70. ex Oriente.

A. C. CCCXLVIII.

Etiam apud Tungros, sive Hæreticis auctoribus, sive Cacodæmone ipso fructibus prædicationis tam prodigiosæ quam efficaci invidente, concitantur in Angelicæ vitæ & puritatis Pontificem S. Servatium Tungrenses, & nimis quam simplicem, indoctum, ineptum Episcopatui proclamant, & in exilium denique ejiciunt.

A. C. CCCXLIX.

Agrippinensi Concilio intersunt varii Germaniæ Episcopi, S. Maximinus inprimis illustrissimæ Sanctitatis Pontifex, Jesus Nemetum sive Spirensis, Victor VVormatiensis aliique, in quo solemnissimè Hæreseos damnatus est atque exauctoratus Euphrates ejusdem sedis Agrippinensis Episcopus.

A. C. CCCL.

Acerbissimo Germaniæ & Constantiæ inprimis Acronianæ luctu, Constans Princeps optimus, Catholicæ Ecclesiæ Propugnator ferventissimus, Augustoduni in Gallia à Magnentio Lenato parricid aliter interimitur, Constantiæ Tertius quasi fundator, magnis dein rei catholicæ persecutionibus subortis.

A. C. CCCLI

Christianis, Germaniæ & Rhætiæ periculosa res, dum Magnentius Rhætiæ Præses, Decentio & Desiderio fratribus contra Constantium Tyrannidem invadentibus favens, omnes ad partes trahere conatur, illis rebellionem detestantibus, & legitimum Regnorum, etsi Hæreticum, Hæredem contuentibus, etsi præsens Magnentius nihil non pelliciendo & minando efficere conaretur.

A. C. CCCLII.

Bello fervet totus Occidens, accensis in spem maximam evertendæ Religionis Christianæ Gentilibus; Arianis è contra pro Constantio arma corripientibus, Catholicis ab utrisque timentibus, summa rerum omnium confusione.

A. C. CCCLIII.

Dum Ethnici æquè ac Hæretici dum summa rerum decertant, utrique ipsa Victoriæ præsidentia in Catholicos atrocissima quæque decernunt, ita ut antiquus vitæ S. Maximi Episcopi Moguntini scriptor in solis Moguntia & confinio ejusdem brevi tempore, multa fidelium millia interempta fuisse memoret, Hæreticis non minore crudelitate, quàm Ethnicis, laminam exercentibus.

A. C. CCCLIV.

Profligatis Magnentio atque Decentio, victricia signa inferente Germaniæ Constantio, modestiores nonnihil Ethnici, tanto magis licentia elatis Arianis, qui favoribus nixi Hæretici Cæsaris, in Sanctos maxime Episcopos insurgunt, suosque Hæreseos promotores præcipuos Cathedris & Ecclesiis obtrudunt.

A. C. CCCLV.

Quærentibus latebras passim Catholicis, Sanctus Cassianus Aquileiensis Presbyter solatio miserorum inter altissima montium Tirolensium juga, latentium fidelium, à Fortunationo sive Fortunato Patriarcha Aquileiensi missus, primus Sabionensis (hodie Brixianus dicitur) Episcopus instituitur; qui immortalibus meritis Tirolim demeretur.

A.C. CCCLVI.

S. Maximus, alter Germaniæ nostræ Athanasius vir non minus Zelo Religionis, quam summæ eruditionis laude celeberrimus, dum Arianam Hæresim non minus scriptis quam verbo prædicationis potentissimè refutat, infinitis Hæreticorum calumniis & injuriis appetitus, toto aliquamdiu suo Episcopatu Moguntino exturbatur.

A.C. CCCLVII.

Haud minore odio Arianorum hoc ipso tempore pessime exagitatur ab iisdem Hæreticis S. Paulinus Treverensis post S. Maximinum meritissimus Archiepiscopus sæpius de vita graviter periclitatus, solatio tamen fidelium conservatus.

A.C. CCCLVIII.

Sed neque tutus inter altissimos Tyrolis scopulos S. Cassianus, dum inde sese in Italiam recipit, & ad Forum Cornelii cautus Pontifex Ludimagistrum agens, puerulos prima litterarum elementa docet & hostium Religionis nonnihil oculos effugit, insidiasque eludit, neque ibidem diu & in tanta humilitate servandus.

A.C. CCCLIX.

Incredibili pro suis oviculis sollicitudine S. Maximus Moguntinensis Episcopus dum non sine supremo vitæ periculo ad easdem revertitur, suosque solatur & exhortatur paulo post insidiantium denuo solertia repertus, summisque injuriis affectus, ægrè elabitur, & in nemoribus abditisque montium cavernis, fame, siti, frigore pro Christi nomine excruciatur.

A.C. CCCLX

Exulantibus passim sanctissimis quibusvis ad adsitas Rheno provincias Episcopis in Christiana charitate longe lateque sese exporrigit S. Justus Vesuntinensis Episcopus, & ad solatium fidelium, magnis exantlatis laboribus & superatis periculis sese cœlis ipsis commendat.

A.C. CCCLXI.

Invalescit nimis quantum intellecta impii Constantii Imp. morte, Gentilium temeritas, maximo nostrorum damno: qui cum Julianus successor Christianis se simularet addictissimum, fideles incautiores reddidit, pessimè dein à Gentilibus exagitatos, ita ut plurimi passim ab iisdem trucidarentur; Hæreticis aliquamdiu eadem passis & non minus, quam Catholici latebras quærentibus.

A.C. CCCLXII.

Ejurat publice Christi nomen impius Apostata Julianus Imperator & quaquaversum scelestissimos Præsides, juratissimos Christiani nominis hostes destinat, totus in eo, ut idolorum cultum denuo toto terrarum orbe commendaret, fideles extingueret. Inde effusi in omnem licentiam gentiles in fideles armati, impune lacessunt, excruciant, & interimunt.

A.C. CCCLXIII.

S. Cassianus noster Sabionensis nuper Episcopus, nunc Ludimagister apud Immolam, quod Christi cultor esset proditus puerulorum discipulorum crudelitati permissus, horribili longoque cruciatu graphiis eorundem & stylis ferreis perimitur. Ipso ann S. Paulinus quoque noster Trevirensis Episcopus exulatum in Phrygiam usque deportatus illic Martyrio confectus scribitur.

A.C. CCCLXIV.

Meliora aliquamdiu sub brevi Joviani Catholici Augusti (Juliano cælitus percusso & inter blasphemias expirante) mox Valentiniani Imperio, Catholicis nonnihil respirantibus, sed hostibus diversis Germaniam lacessentibus, cædes non paucæ Christianorum à Gentilibus ita ut Treveri, Moguntia, Spira, VVormatia extrema paterentur.

A.C. CCCLXV.

Celebratur mirificè S. Maximi Moguntini Episcopi ad sedem subinde suam reversi admirabilis charitas, quicum ipse rerum omnium egentissimus esset, extrema se tamen inedia & egestate conficeret, ut pauperes, tot rapinis & oppressionibus hostium exhaustissimos juvaret, exemplar veri pastoris mirificum, de quo fusius vitæ scriptor agit.

A.C. CCCLXVI.

Claret admiranda Vitæ sanctitate S. Severinus Coloniensis Episcopus, inter tot Germaniæ & Sanctorum afflictiones, ipse quasi immunis, plurimorum solatio servatus cujus ingentia fuere de Ecclesiis merita, quæ prolixius vitæ Author describit.

A.C. CCCLXVII.

Quas injurias passi sunt alii Pontifices & Pastores fidelium ab Hæreticis & Ethnicis has ab ipsis Catholicis sustinuit admirandus ille Servatius Tungrorum Episcopus pro admirabili vitæ innocentia & doctrina cęlitus instillata, contemptui & irrisui habitus, sede denique sua exturbatus, ipse imperturbatissimus, & cœlestibus spiritibus familiaris, ut facile exilium suum solaretur. Nec dubium per ejus absentiam etiam Tungros in tanti sceleris expiationem multa passos, & forte etiam in graves errores delapsos, donec pastorem suum recipere mererentur.

A.C. CCCLXVIII.

Turbatis in Germania rebus magno cum exercitu occurrunt Valentinianus & Gratianus ejus filius Augusti, omniaque feliciter componunt, quo tempore Moguntiæ sedi restitutus S. Maximus Episcopus, fideles recreavit, lapsos reduxit, Gentiles plurimos convertit, cujus vita Angelico omnium animos mirificè rapuit, magnoque Numinis amore accendit.

A.C. CCCLXIX.

Imperatores diffisi hostium inconstantiæ à fontibus Rheni ad usque ostia & Oceanum loca omnia, urbiumque præcipuas, Constantiam Basileam, Spiram, VVormatiam Moguntiam, Treverim, Coloniam aliasque firmissimis structuris & fortissimis præsidiariis communiunt; ita ut exules Episcopi plerique ad sedes reverterentur suas, & res Catholica plurimum proficeret.

A.C. CCCLXX.

S. Bricto sive Brictonius Treverorū meritissimus Episcopus, magnis fulgoribus sanctitatis Germaniam perstringit, fidelibus æque atque infidelibus solatio, quos tot bellorum infestationibus exhaustos, semetipsum defraudans suaque omnia expendens & impendens, multorum gentilium ea charitate animas Christo lucratur.

A.C.

A. C. CCCLXXI.

Vix tergum vertentibus Augustis & ad alias provincias conversis Alemanni denuo Germanias turbant, & Rhaetiam infestant, magno rei Catholicae incommodo, dum grex Domini metu occisionis quaqua versum dissipatur, & odio Religionis milites idololatrae non solum omnia expoliant, sed caedes edunt.

A. C. CCCLXXII.

Inter tantas Rhaetiae afflictiones, velut coelo demissus Angelus, commodum occurrit S. Gaudentius, S. Eusebii Vercellensis Episcopi Collega & familiaris, hoc per Martyrium consumpto, ad alpes sese Rhaeticas recipiens, & tertium deinde Curiensem Episcopum strenuè agens, vir egregia non solum vitae sanctitate sed & eruditione praecellens.

A. C. CCCLXXIII.

S. Maximus occasione firmatae munimentis & insigni praesidio à Caesaribus Moguntiae ad suos reversus, ut sparsum passim Haereticae labis, venenum tolleret, non praedicatione sola, sed scriptis doctissimis connititur, & maximè contra Arianos quatuor libros doctissime elaborat.

A. C. CCCLXXIV.

Irrepsisse Rhaetiae haud minimum labis Arianae ab Auxentio Metropolita Mediolanensi & suffraganeis Episcopis, probabile omnino est, ut proin scelleratissimo illo dejecto & exauctorato, mirabiliter electus S. Ambrosius, haud minus Rhaetiam sibi obligasse, quam superiore aetate S. Carolus Borromaeus fecerit, & rei Catholicae strenue consuluisse videatur.

A. C. CCCLXXV.

Valentiniano Imp. in procinctu belli Germanici subita sanguinis vomitione extincto graves iterum in Germania motus, quibus mature Gratianus occurrit, gratiosus omnibus maxime Catholicis, cujus opera & syncero erga Sanctos Episcopos affectu Fides Christi plurimum est dilatata. Extinguitur Magnum Burgundiae & vicinae Helvetiae Sydus S. Anianus Episcopus Vesuntinus.

A. C. CCCLXXVI.

S. Gaudentius, alius à superiore magni animi juvenis, praeter aetatem ob insignia talenta à S. Ambrosio, invitus licet renitensque Brixiensis ordinatur Episcopus magnamque Rhaetiae partem immortalibus meritis demeretur.

A. C. CCCLXXVII.

S. Bricto noster Trevirensis Episcopus, adversum Haereticos & Gentiles rem fortiter agit, ob insignem Zelum & praeclara Pugilis sacri facinora, à Damaso Papa summopere adamatus & commendatus, & ad altiora excitatus.

A. C. CCCLXXVIII.

Supremus hic annus Sancto nostro re & nomine Maximo Moguntinensium Pontifici, Germanorum, ut supra diximus altero Athanasio, pro Christi nomine septies in exilium acto, infinitas passo injurias, contumelias & afflictiones, in omnibus tamen insuperabili qui relictis plurimis egregii ingenii monimentis, patriam suam Moguntiam insigniter illustravit, Decessit autem 18. Novembris sepultus à discipulis in S. Hilarii, juxta tumbam S. Crescentis.

A. C. CCCLXXIX.

Valente Caesare Haeretico in Oriente à Gotthis caeso inque fuga in casa quadam agresti exusto solus rerum potitus Gratianus noster, dum in Germania ab Alemannis aliisque hostibus omnia turbantur, Orienti metues Theodosium sibi Collegam adscicit, ipse rerum Occidentis strenue satagens, haud minimum precibus Christianorum, & sanctorum in Germania Praesulum benedictione subnixus de hostibus victor.

A. C. CCCLXXX.

Sidonius eo nomine primus apud Moguntiam S. Maximo sufficitur, discipulus procul dubio & presbyter ipsius, successor sane dignissimus, ut quem Trithemius honoret *Doctoris Gentium insignis* titulo, & *vere sanctissimum* appellet.

A. C. CCCLXXXI.

Verentur de vicina Helvetia plurimum Zelo Religionis ferventissimo, & praedicationis Divinae Verbo Sancti Justus Lugdunensis ad Rhodanum & Theodorus Sedunensis Episcopi perturbatissimis temporibus singulari Catholicorum solatio destinati.

A. C. CCCLXXXII.

Transfert sedem suam à Tungrorum metropoli Trajectum S. Servatius, una cum sacra supellectili & Sanctorum reliquiis, praedicens regionis vastitatem, nihilominus Trajecto ad Tungros recurrens, & brevi quo vixit tempore, ipsos instruere & consolari non desinens.

A. C. CCCLXXXIII.

Supremus hic annus eidem Magno Praesuli Servatio; de cujus aetate multi multa fabulantur, & trecentos aetatis annos superasse contendunt, cum tamen ex vita ejusdem habeamus juvenili aetate ab Angelo Tungris datum Episcopum, anno quo supra diximus. Ad aram sacris supremum operatus & de morte edoctus, populum quamprimum exhortari coepit, & valedicere, quae inter 3. Idus Maji coelesti superveniente splendore vivere desiit, insigni statim prodigio honoratus, & ab Angelo caelitus delato velo serico coopertus.

A. C. CCCLXXXIV.

Constans in fide Conditorum suorum Constantii Chlori & Constantini Magni Constantia & magnam tunc partem Catholica Rhaetia adversum legitimum Principem à Maximo Tyranno concitatae, procul à Christiano homine taci esse perfidiam Gratiano Augusto egregie se probant, contra quos Maximus Alemannos concitat, exprobrante hoc graviter occursanti Tyranno, Divo Ambrosio: *Tu fecisti incursare Rhaetias*, &c. quod ad se pertinere Rhaetiae partem Ambrosius sciret, & de ipsorum salute sollicitus, esset.

A. C. CCCLXXXVI.

Germaniam nostram suo adventu beat lectissimi Viraginum, supra omnem Amazonum, exercitus Regia Antesignana & Imperatrix S. Ursula, undecim millium virginum stipata comitatu Dionothi Britanniae Regis filia, quae Rheni sequuta tractum, per Coloniam, Basileam, Constantiam, Curiam, peregrinationis ergo, visitatus sacra Apostolorum limina Romam contendit, ab Asimone Curiensi, aliisque Episcopis perbenigne accepta.

A. C. CCCLXXXVII.

Eadem in reditu, Germaniam bis beatam, imo ter sacratam, sui suarumque tot millium generosissimi

sanguinis purpura facit, prope Coloniam ab Hunnis intercepta, & crudeliter interempta, relicto tanto tot pretiosissimorum corporum Germanis thesauro, ex quo universæ tot provinciarum Ecclesiæ ditarentur.

A. C. CCCLXXXVIII.

Liberat Tyrannide Maximi Occidentem Theodosius Magnus, restituto Valentiniano Legitimo Cæsare, dum Germani & Rhæti quammaxime, præter Vindelicos, parricidam sanctissimi sui Principis Gratiani, pro ipsa Christianæ Legis & Religionis respectu summopere detestarentur.

A. C. CCCLXXXIX.

Tungrorum non solum Ecclesia à morte S. Servatii, uti prædixerat, vacat, verum longè lateque per absentiam Cæsaris, & Gallorum atque Francorum Germanorum collisionem, dum Hæresis invalescit, & indignissimi quivis pro [illegible] floribus se obtrudunt, res Catholica plurimum periclitatur.

A. C. CCCXC.

Rhætiæ nostræ curam singularem habet Sanctus Ecclesiæ Doctor Ambrosius, quo vigilante animadversum est Arianorum Hæresi per Germaniam nimis quantum invalescente, nihil tamen ejusmodi Zizaniæ in Rhætiam irrepsisse.

A. C. CCCXCI.

Verificatur & quotidianis experimentis comprobatur Prophetia S. Servatii Tungrensis Episcopi, de vastitate ab hostibus Galliæ & inferiori Germaniæ sive Galliæ Belgicæ inferenda, cum nullus uspiam locus tutus esset, Marcomiro Francorum Germanorum Rege, & Sunnone, Kunebaldo, Priamo & Antenore Ducibus, omnia longè lateque incendiis & cædibus turbarentur.

A. C. CCCXCII.

Iterum ingens Germaniæ non solum nostræ, sed totius Occidentis periculum dum ingenti omnium Catholicorum luctu, Imperator noster optimus Valentinianus Junior scelere Arbogastis interficitur, & Eugenius Tyrannus homo nequissimus & Cultor Idolorum obtruditur. Ipso anno in tantâ rerum perturbatione moritur S. Felix Trevirensis Episcopus, cum generosissime suam Ecclesiam pluribus annis contra Arianorum aliorumque Hæreticorum ambitionem & perfidiam tutatus esset.

A. C. CCCXCIII.

Succurrit afflictissimæ per Germaniam rei Christianæ Theodosius Magnus & Honorium filium Occidentis Augustum creat, cum plerique jam quasi deserti & desperati ad gentilem hominem & juratum Christianorum hostem Eugenium respexissent.

A. C. CCCXCIV.

Ipse rerum satagit relictis in Oriente filiis Theodosius in Occidentem advolans, cui Eugenius Mediolano, [illegible] minatum, quod munera ejus Ecclesiæ Mediolanensis rei[illegible] dillet, obviam progreditur, Rhæti verò freti Ambrosii Patrocinio, insigni subsidio alias ingressi semitas, Theodosio se jungentes insigni cum hoc eodem potiuntur victoria, cæso hostili ad Alpes Carinthicas & amnem frigidum exercitu, Eugenio Tyranno ad ipsum perducto atque interfecto, & Arbogaste in fuga sibimet ipsi mortem inferente.

A. C. CCCXCV.

Incertum quo nomine, sacer tamen quidam vir, Monachica eminens vita, Rhætos sub hoc tempus excoluisse memoratur, ab Ambrosio procul dubio destinatus, quo concitatore aversi tantopere ab Idololatrâ Tyranno Rhæti, arma ultro arripere visi sunt ob hoc ipsum magnis à Theodosio honoribus & privilegiis aucti, cujus paulo post mortem hoc ipso anno plurimum doluere. Honorio filio, sub Gubernatio Stiliconis Occidenti relicto.

A. C. CCCXCVI.

S. Gaudentius, diversus procul dubio ab illo, qui ante sexaginta annos in Rhætia vixisse scribitur, eamdem provinciam maximis meritis demeretur, Pastoremque fidelissimum agit, à S. Ambrosio destinatus.

A. C. CCCXCVII.

Moritur & post multos exantlatos labores atque pericula, ad præmia æternitatis avolat egregium Germaniæ decus, S. Sidonius Moguntinensis sedis Episcopus, cognomento Senior, qui à Trithemio *Doctor Gentium insignis & verè Sanctissimus*, appellatur. Ipso anno S. Severinus Coloniensis Episcopus, S. Martini Turonensium Pontificis animum corpore solutum, inter festivos Angelorum plausus in cœlum ferri intuetur. Ipso etiam anno S. Ambrosius obiit.

A. C. CCCXCVIII.

Subsequitur hoc statim anno, ut ex actis S. Evergisli liquet eadem in cœlos semitâ ipse S. Severinus prædictus, & similiter eosdem triumpho implet, cui falso à nonnullis adscribitur, quod de alio Severino S. Petrus Damianus retulit, in pœnis purgatoriis peccatillum quoddam luentem, quem idem nuper illi Ecclesiæ præfuisse memorat, cum hic noster sexcentis ante Damianum annis è vita migraverit; & error vel in nomine fuerit, vel Severini II. nomen in Catalogis omissum sit.

A. C. CCCXCIX.

S. Gaudentius, de quo supra, Rhætorum aliquamdiu agens pastorem & Episcopum à S. Simplicio S. Ambrosii in E[illegible], ant Mediolanensi successore revocatus N[illegible] nsi Ecclesiæ præficitur. Nec dubium ejus [illegible] m Rhætiæ pastorem submisisse, etsi nomen i[illegible] derit.

A. C. C[illegible]CC.

Coloniensi[illegible] vi inæ VVestphaliæ consulit egregio vi[illegible] verbo prædicationis divinæ S. Evergislus [illegible] S. Severini successor qui & reliqu[illegible], per Germaniam interiorem, pa[illegible] m, in omni Christiana Charitate [illegible], expendens & superimpendens in [illegible], & inter adversa solatur.

A. C. CC[illegible]CI.

Post ingentia vitæ merita ad felicem transit immortalitatem S. Simplicius sive Simplicianus Archiepiscopus Mediolanensis, cum non supra biennium præfuisset, Rhætiæ tamen nostræ strenuè consuluisset, & de optimis pastoribus providisset, ad quem Monachum etiamnum scripsit S. Ambrosius Epist. 27. *Solum Sapientem esse divitem, &c.*

A. C. CCCCII.

Continuis Germaniæ & Galliæ bellorum motibus, Alemannis, Francis, Herulis, VVandalis, Quadis, Marcomannis aliisque Gentilibus Germaniam infestantibus, Ariana aliisque hæresibus iram Numi-

Numinis concitantibus, quantum antea inter acerbissimas Persecutiones creverat Christiana fides, tantum nunc decrescit, Christianorum etiam fervore inter tot patriæ ruinas & militarem licentiam decrescente. Ita ut vix quidquam deinceps dignum Sacris Annalibus reperias, adusque tempora S. Benedicti & sequens sæculum viris Apostolicis, ejusdem Ordinis, quaquaversum, & maxime in Germaniam, ut videbimus destinatis.

A. C. CCCCIII.

Nunc primùm aliqui Servatium ad superna præmia evocatum scribunt, certum est pridem sedem suam reliquisse, evenisse autem nunc temporis quæ disertè prædixerat præstantissimis urbibus & sedibus Episcoporum eversis, ejusque populo atque Grege Dominico absque pastore dispersis, & in errores varios, exque his ad idololatriam denuo prolapsis.

A. C. CCCCIV.

Treverirorum, præ aliis, civitas Religionem etiamnum fovet, in qua hoc ipso anno, mortuo Maurino ejus nominis secundo, S. Leguntius, sive ut alii volunt, Leontius, vir egregiæ Sanctitatis & meriti, in sede sufficitur.

A. C. CCCCV.

S. Euergislus etiam, Coloniensium Pontifex, videns nutare per Germaniam omnia Domum DEI pro viribus suffulcire nititur, plerisque bello adeo intentis, ut vix quidquam rerum sacrarum admitterent, summo viri sanctissimi dolore, qui jam animo talem Germaniæ vastitatem præviderat.

A. C. CCCCVII.

Claudit hoc anno ordinem Episcoporum Cameracensium illustri epilogo, VVandalis late per eas partes grassantibus S. Diogenes ejusdem sedis Episcopus, vir Apostolicus, pro Christi Confessione & prædicatione Martyrio absumptus, vacante deinceps totum ferè sæculum sede, oviculis cùm dispersis, tùm in varios errores prolapsis.

A. C. CCCCIX.

Insignibus à meritis celebratur S. Paternus Veteris Vindonissæ, & ejus quæ nunc Constantiensis vocatur, Diœceseos amplissimæ Episcopus, magna miraculorum gloria à Numine commendatus, cujus acta intercidisse per tot hostium Barbarorum incursus & temporum injurias, dolendum est.

A. C. CCCCX.

Moritur sub hoc fere tempus S. Leguntius sive Leontius Trevirorum Episcopus, cujus memoria anniversaria habetur 19. Febr. Sepultus est ad S. Mariæ ad Martyres, cui succedit S. Auctor eo nomine secundus, nunquam satis ob insignia merita celebrandus.

A. C. CCCCXI.

Supremus hic annus fuisse creditur paulo ante memorato S. Paterno Vindonissæ meritissimo Episcopo Helvetiorum Patrono, qui juxta nominis sui etimologiam verè paternè ergaChristi oviculas sese habuit, & verè nomen Patris Patriæ meruit, cujus sacri obitus dies tabulis Ecclesiasticis ad 23. Septemb. refertur.

A. C. CCCCXIV.

Francis Teutonicis Galliam Belgicam acri bello prementibus, juxta prædictionem S. Servatii Grex Domini misere affligitur, dispergitur, & idololatria passim reinducitur, pastoribus vel occisis, vel procul sese subducere coactis.

A. C. CCCCXV.

In Rhætia, nimium turbatis aliarum Germaniæ provinciarum rebus prosperi rei Catholicæ successus Genevido Præside, etsi homine Ethnico, Christianis tamen maximè Catholicis insigniter favente, quod cum aliis innotuisset, plurimi Christianorum in Rhætiam se recepisse creduntur. Moritur S. Auctor Trever. Episc. postea Brunsvicum translatus magnus olim urbis Patronus habitus.

A. C. CCCCXVI.

Sanctus Laudo dignus omni Laude Præsul, post S. Paternum Vindonissæ Episcopus Helveticæ nationi plurimum contulit; & DEI honorem latè promovet.

A. C. CCCCXVIII.

Supremus hic annus S. Martiniano Mediolanensi Episcopo, de Rhætia suprema optimè merito, Zeli Ambrosiani pie æmulo, qui per pastorum Germaniæ paucitatem, quantum potuit in Rhætos atque Helvetios viscera suæ Charitatis expandit & piè consuluit.

A. C. CCCCXIX.

Mortuo Lupoldo, quem virum Sanctum in vita S. Maximi Trithemius appellat, Moguntino Episcopo, & ad præmia æternitatis pro laboribus & variis afflictionibus vocato succedit Nicetius.

A. C. CCCCXX.

S. Severus cum paucis annis Episcopatum Trevirensem inter continuos Barbarorum incursus & lugubres fidelium questus strenuè rexisset, supra modum eorumdem luctus adaugens ad felicem rapitur immortalitatem. Fuit S. Lupi Trecensis Episcopus & à scriptore vetustissimo vitæ S. Germani: *totius Sanctitatis vir appellatur, & qui Gentibus Primæ Germaniæ, verbum vitæ prædicaverit.* Ejus memoria 15. Octobris celebratur.

A. C. CCCCXXII.

Iterum alius insigni prolatandæ fidei Zelo & rei Christianæ conservandæ fervore eminens Trevirensibus & amplissime circum adsitæ provinciæ consulit S. Cyrillus ejusdem sedis post Severum Episcopus.

A. C. CCCCXXIII.

Emergit ex hac lachrymarum valle post incredibiles exantlatos labores, ad laudes æternas Numini cum angelis concinendas S. Laudo Vindonissæ Episcopus, cujus memoria Romano Martyrologio celebratur ad diem 22. Septembris.

A. C. CCCCXXV.

Arianis non minus gladio linguæ, quam tot hostibus ferro Germaniam tentantibus, Joanne quodam Tyranno Occidentem ambiente, hoc anno Valentinianum III. suum ex Placidia filia nepotem Occidenti præficit Magnus Theodosius, qui illico rei Christianæ Catholicæ satagit & Hæreticorum in Germania insolentiam compescit.

A. C.

A. C. CCCCXXVII.

Magno rei Catholicæ incommodo mortalibus valedicit S. Nicetius Moguntinensium Episcopus, succedente Marriano qui in perditissima incidit tempora, multas pro fide ærumnas & calamitates perpessus.

A. C. CCCCXXX.

Germani nihil præsidii à Romanis habentes seu sperantes, Valentiniano plerumque procul rebus absente, ad Pharamundi & Clodionis filii fortunam & gloriam respicientes, etsi gentiles illi essent, solius Theodosii respectu sese continent, quo minus sese ultro illorum regimini permitterent, Arianis interea rerum suarum satagentibus, & maximam Christianorum partem ad se trahentibus.

A. C. CCCCXXXII.

Nutant Treveris, nutant Moguntiæ, nutant inferioris Germaniæ omnia, Arianis per absentiam Cæsaris omnium animos fascinantibus, ita ut Hæretici passim sibi tyrannidem arrogarent, & Catholicos quibuscunque modis & artibus pessumdarent.

A. C. CCCCXXXV.

Magno rursus damno fidelibus eripitur S. Hesperius Metensis Episcopus, qui miseratus vicinarum Germaniæ provinciarum vastitatem & fidelium dispersionem, nullis pepercit itinerum laboribus & sumptibus, ut in tantis rei Catholicæ periculis, præcipites retineret, & miseros quibuscunque modis juvaret.

A. C. CCCCXXXVII.

Extinguitur calamitosissimo tempore Marianus Moguntinensis Ecclesiæ Episcopus, succedente S. Aureo, viro Apostolici Spiritus pleno, qui prælia Domini acerrimè disputando & Arianos confundendo, generosissime gessit, & multos turpissimis seductos erroribus in viam Veritatis revocavit.

A. C. CCCCXLI.

Occupatis in Oriente Augustis Clogius sive Clodius Francorum Rex felicissimus rem suam in Occidente promovet, plurimis ad Rhenum & per Belgium urbibus captis Gentilium plausu maximo, qui Christianos omnino excisos cupiebant.

A. C. CCCCXLIII.

S. Eucherius miræ sanctitatis vir Lugdunensis Episcopus, conspecta prædicatorum per Germanias paucitate, vicinæ Helvetiæ pro virili consulit.

A. C. CCCCXLVI.

Sub hoc fere tempus S. Leone Magno, ut videtur rerum Ecclesiæ satagente, creatur primus, certæ nunc sedis, Curiensis Episcopus, S. Asimo, qui diversus esse debuit ab eo, quem superius B. Ursulæ peregrinationem promovisse diximus.

A. C. CCCCXLVIII.

Merovæus in Regnum elatus non minore felicitate bellum per inferiorem Germaniam prosequitur rebus Christianorum pessimè constitutis, dum Idololatria passim invalesceret, & Ariani juxta diversas passim sedes invaderent.

A. C. CCCCXLIX.

Attonita ad novi Tyranni immanitatem Europa universa, Attila Hunnorum Rex à viris non solum sanctis sed & à seipso *Flagellum DEI* nominatus, turbatissima cæteroquin omnia, prorsum evertere venit, & hoc quidem anno Ienaci Comitia cogit, diffugientibus quaqua versum Christianis, ad tantam Gentilium inundationem.

A. C. CCCCL.

Ejusdem cum Germanis esse Originis gloriatus Attila, eosdem ad socia arma invitat non paucis ejusdem signa sequentibus, Christianis ad Aetium respicientibus quorum plurimis ipsi nomen dedisse dubitandum non est, nuspiam alias tutos, & contra Christiani nominis hostem pugnare, dignum esse ducentes.

A. C. CCCCLI.

Attila totam quasi exercitu suo inundante Galliam Merovæus etsi Gentilis & hostis antea Romanorum, cum Aetio vires jungens, memorabilem in campis Catalaunicis haud dubie Christianorum non tam viribus, quam precibus, quorum ingens e Germania numerus Aetium sequutus est, consequutus est Victoriam, hostium 160. vel ut nonnulli contendunt 190. millibus trucidatis.

A. C. CCCCLII.

Moritur sub hunc annum S. Asimo Curiensis Episcopus vir Apostolicus, cum præcedente anno ad Concilium Calcedonense vocatus, cùm per ætatem tùm per debilitatem adesse non potuisset, subscribente pro ipso Abundantio Comensi Episcopo: *pro me*, ut ejus formalia habent, *& pro absente Sancto fratre meo Asimone Episcopo Ecclesiæ Curiensis primæ Rhætiæ consensi & subscripsi*, &c.

A. C. CCCCLIII.

Coactus aliquamdiu ob nimiam hostium incursionem & barbariam Moguntiam deserere S. Aureus Episcopus Sanctitate & eruditione spectatissimus, dum hoc anno ad rudera creditæ sibi urbis revertitur, mox odio Arianorum hostilius quam hoste ipso appetitus, ad ipsa altaria sacris operatus crudelissime, tactus ex offerente hostia, mactatur. 16. Cal. Junii, quocum etiam S. Justina soror ejusdem sacra Virgo, & plures alii Christiani, qui sacris intererant interfecti sunt.

A. C. CCCCLIV.

Tollit è medio, unicum Germaniæ nostræ & ejusdem Christicolarum, solatium indigna prorsus morte Valentinianus, sibi hoc ipso dextram quasi suam præscindens, ipsis quoque hostibus tanti viri mortem dolentibus.

A. C. CCCCLVII.

Apud Rhætos Pontificatu strenuè fungitur Patritius S. Asimonis discipulus cui ille moriturus Curiensem Ecclesiam ferventissimè commendaverat.

A. C. CCCCLX.

Majoranus Augustus, deficientibus desperatione rerum ad Francos plerisque Germanorum, de Rhætia retinenda sollicitus, optimum eodem Præsidem Bartonem destinat, dum adhuc

Magi-

Magister militiæ esset; qui Catholicis impensè favit, & qua felicitate erat, Alemannos hostes sæpius repulit.

A.C. CCCCLXIII.

Plerasque Germaniæ Ecclesias Arianis invadentibus, pro Coloniensi sollicite excubat S. Aquilinus; cujus gesta intercidisse merito dolendum est.

A.C. CCCCLXVI.

Deserti à Numine, & fidei lumine Ariani, ex errore in errorem præcipitant, quos inter gentilismus denuo invalescit, ita ut paulo post, plurimi Christum ignorarent, & ex Christianis Christi hostes efficerentur.

A.C. CCCCLXVIII.

Quid gesserit aut præstiterit Volusianus Trevirorum Episcopus incertum; obscura hoc temporis omnia cui supremum hunc annum fuisse nonnulli opinantur, succedente Meletio, quem aliqui Miletum vocitant.

A.C. CCCCLXX.

Facilius ominari est, quam ex libris & authoribus cognoscere, quid de Ecclesiis plerisque Germaniæ actum Wormatia, Spira, Argentina aliis ad Rhenum adsitis à Childerici Gentilis exercitu occupatis, Romanoque præsidio passim profligato.

A.C. CCCCLXXII.

Languentibus ubique Christianorum rebus, vix aliquando scintilla emicat, & quidem ex altis Ratisponensis Ecclesiæ cineribus, sub hoc tempus modicum quid effulget, Paulino Episcopo rei Christianæ satagente. Quo ipso anno Meletius Treverorum Episcopus decessisse creditur.

A.C. CCCCLXXIII.

Mortuus hoc anno immortalibus jungitur S. Aquilinus Coloniensis Episcopus, insigni sanctitate conspicuus, quo etiam anno Romano Metensi Episcopo extincto, Sanctus Firminus successit, qui Germaniæ desolationem miseratus, ubicunque potuit desolatis adfuit, nullisque laboribus parcens, non ad vicina solum, sed longè posita loca juvando solando & firmando sese exporrexit.

A.C. CCCCLXXV.

Ingenti fame laborat Germania, quam propulsat mirabiliter S. Severinus ex Italia occurrens, à magnis meritis deinceps appellatus Noricorum Apostolus, hortando populum ad pendendum pauperibus decimas, benedicante quamprimum dantibus & accipientibus Numine; imo & semine Evangelii magis in populis fructificante.

A.C. CCCCLXXVII.

Iterum Christi per Germanias Ecclesiæ extrema passæ, Childerico Rege fortunam suam prosequente, & Treveros, Coloniam aliasque Urbes spectatissimas expugnante sibique subigente, quia & Helvetiam atque Rhætiam Odoacris Regis ope suo Regno adjiciente, Rhætiam tamen superiorem Italiæ vicinam Odoacri cedente.

A.C. CCCCLXXVIII.

Toties adversos experta Alemannos prædicatio Christiana de novo experitur Urbes ad Rhenum plurimas nuper à Childerico expugnatas, & necdum ex integro refectas atque munitas, illis ingenti furore invadentibus & omnia pessumdantibus.

A.C. CCCCLXXX.

Ubivis auxiliaribus copiis adest Childerico Regi nostro Rex Odoacer, qui non Alemannorum, sed Alanorum etiam insolentiam felicissime reprimit, respirantibus nonnihil Christianis, dum nihil adversum illos unquam Childericus moliretur.

A.C. CCCCLXXXIV.

Illustrat superiorem sive Primam Rhætiam insigni vitæ sanctitate & meritis Beatus Marius Presbyter, in expellendis domandisque inprimis Cacodæmonibus potens, qui in Valle Telina DEO & cælitibus devotus uberes passim fructus edidit.

A.C. CCCCLXXXV.

Clodovæus Francorum Rex; mortuo superiore anno Childerico Patri in Regnum succedens, inquietos denuo Alemannos armis compescit, turbatioribus semper Ecclesiæ rebus, quibus subinde remedium à Numine obvenit.

A.C. CCCCLXXXVI.

Solatur fideles in Norico S. Antonius, singulare Rhætiæ decus mirabili vitæ exemplo, cum Constantio patruo suo Laureacensi Archiepiscopo sub hoc tempus versatus, qui à puero S. Severinum Noricorum Apostolum Magistrum omnis sanctitatis habuit, & ab hoc Constantio viro sancto in curam & potestatem traditus fuit.

A.C. CCCCLXXXVII.

Idem S. Antonius mortuo hoc anno S. Constantio Archiepiscopo, & solum vertens S. Antonius, in Rhætiam patriam reversus à S. Marino Vallis Telinæ Presbytero peramanter suscipitur & benevolè retinetur.

A.C. CCCCLXXXVIII.

Accensissimus Zelo Fidei propagandæ, vir potens verbo & opere, S. Theodorus Constan. in sede Laureacensi succedens, Noricum & Austriam mirè demeretur. In supera Rhætia dum S. Antonium S. Marius ob perspectissimam sanctitatem Clericorum numero accenseri allaborat, ipse protinus honoris pertæsus, ad Hilarinum montem se recipit.

A.C. CCCCLXXXIX.

Reperit eodem loco duos jam similiter, sive metu Gentilium sive Arianorum pari proposito Collegas S. Antonius, quorum altero hoc anno mortuo, & sanctitate ejusdem columnæ igneæ ad cœlum usque exporrectæ signo prodita, cum & ipse ut sanctus frequentari inciperet, denuo profugiens in Insulam denique Lerinensem se recepit.

A.C. CCCCXC.

Iterum sollicitè dese Numinis amorem & curam Bavaria & maximè Ratispona experitur, S. Lupo Episcopo illic verbo & vitæ exemplo populos lucrante.

A.C.

A.C. CCCCXCI.

Biennium fere Lerini sanctissimè exacto, insigne Germaniæ nostræ sydus, Rhætiæ decus S. Antonius cœlo infertur, inter principes Rhætiæ Tutelares merito accenendus, cujus anniversaria memoria 4. Cal. Februarii tabulis Sanctorum adscripta fuit.

A.C. CCCCXCII.

Post S Patientem Lugdunensium Pontificem succedit S. Africanus, cujus utriusque vigilantia & subsidio, non modicis solatiis Helvetia fruebatur.

A.C. CCCCXCIII.

Optimus & æquissimus Germanis, Rhætis quam maximè & Catholicis Rex Odoacer perfidè inter epulas à Theodorico Rege occiditur, à Rhætis nostris & Catholica illorum Ecclesia longiore luctu deploratus.

A.C. CCCCXCV.

Religione Christiana plurimum nutante, unica mulier providè consulit, Crotildis nimirum sanctissima Clodovæi Regis conjux Regina, quæ Regem etsi eousque gentilem, optimè affectum Christianis reddit, quos ipsa quibuscunque modis animat & juvat, ita ut passim liberius agerent, & sese adversum Arianos præmunirent.

A.C. CCCCXCVII.

Iterum rebelles Alemanni optimos Christianorum successus turbant, Regis animum exulcerant, Crotilde Regina inde animos sumente Religionem Christianam ipsi magis magisque commendandi, quanto magis ipsi difficilis indomitæ Gentis subjectio videbatur.

A.C. CCCCXCVIII.

Promotis ulterius victricibus signis, dum etiam Præfectos consanguineos Regum Agilolfingicos Principes contemptius ejicerent, sæpiusque vim omnem nomenque Regium Alemanni exsibilarent, haud leviter tantis eorum successibus territus Clodoveus à Regina denique conjuge persuadetur, Votum de Religione Christiana solemniter edere, siquidem Victoriam, quam penè desperaverat de iisdem referret.

A.C. CCCCXCIX.

Memorabili prorsus ad Tolbiacum triumpho ex Alemannis relato, incredibili Christianorum omniũ plausu. Voti solemniter factus reus, ipso adhuc hujus labentis anni decursu, in solemnissimo Christi festo Natalitio à S. Remigio Baptizatus Clodovæus Rex noster, Christoque renatus est. Atque ab hoc ipso anno Historiæ initium tomo I. hujus operis fecimus, tomo II eousque Historiam profanam deduximus, Nunc sacram dedimus. Reliquis ad nostram usque ætatem annis tomo I. Sacra juxta prophana miscuimus. Nunc ad alia properantes.

MONA-

# MONASTERIOLOGIÆ SACRI ROMANI IMPERII, PARS TERTIA.

AUTHORE

R. P. F. GABRIELE BUCELINO

*Ordinis S. P.* BENEDICTI *Monacho Theologo Imperialis Monasterij VVeingarttensis Priore S. Joannis Bapt. in Veldtkirch Rhætia.*

In qua cùm plurima, partibus primâ & secundâ, omissa, tùm correctiora, una cum Catalogis Abbatum & Antistitum aliorum, ad Compendium referuntur.

## S. ADALBERTI IN EGMUNDA.

MOnasterium celeberrimum Ordinis Benedictini, Virginum primitus, deinde virorum. Illud construxit Theodoricus I. Comes Hollandiæ humili ex ligno schemate, in ipsa urbe Egmondana, vulgo Ligneum dictum. Destructum deinceps à Frisonibus Gentilibus, & à Theodorico II. primi filio ex lapidibus restitutum magnifica ad honorem S. Adalberti nostri, Monachi ejus gentis Apostoli, exstructa, à quo locus alias *Hallem* dictus, *Egmunda*, quasi emundatus ab omni idololatriæ spurcitia, fuit appellatus. Præfuit Hollandiæ Theodoricus I. ab anno Christi 863. ad annum usque 903. Theodoricus vero filius ab anno nunc dicto ad annum usque 988. memorabili regiminis diuturnitate annos totos 85. Hic Monachos pro monialibus introduxit, quod & Conversioni gentium viri Apostolici magis necessarij essent, & Virginibus, cætera timidis, locus ob viciniam, Christi & Virginitatis hostium, minus congrueret. Idem Theodoricus pretioso Sarcophago Reliquias S. Adalberti condidit, & plurima Monasterio contulit. Benefactor Monasterij singularis fuit Egbertus Theodorici II. filius Secundo genitus, à S. Adalberto loci Patrono prodigiosè aliquando febri ardentissima liberatus, cum ab eadem ad Festum usque Tutelaris ejusdem 7 Cal. Julij periculosè laborasset, ipsa die meritis tanti Sancti repente ita sibi restitutus, quasi nunquam ægrotasset, ut in divino officio tanquam Subdiaconus Epistolam decantaret. Is postmodum Trevensis electus Archiepiscopus. S. Adalberto Crucem auream obtulit, ut & scrinium argenteum plenum Sanctorum Reliquiis, aliaque pro DEI cultu pretiosa. Desiit vivere Sanctus Pontifex anno Christi 989. Abbatum Catalogum brevem subjicimus.

1. Wonoboldus Abbas obiit 17. Cal. Septembris sub annum Christi 970.
2. Andreas obiit 4. Junii incertum quo anno.
3. Bruno vir devotus.
4. Reynerus claruit sub annum Christi 1039. & diu post.
5. Stephanus obiit anno 1106.
6. Alardus obiit Anno 1120. juxta Chronicon Anonymi Monachi Egmundani, sed secundum Joannem à Leydis anno 1184.
7. Ascelinus Capellanus Petronillæ Comitissæ rerum Monasticarum penitus ignarus, stulta Aulicorum promotione, ex quo tempore florentissimum cæteroquin Cœnobium & temporalibus destitui cœpit, & spiritualibus subsidiis, paulo post penè ad incitas redactum.
8. Waltherus Abbas anno Christi 1129. exauctoratò ob rerum dissipationem Ascelino, auctoritate & consilio Andreæ Trajectensis Episcopi è Monasterio Gandensi tunc florentissimo postulatur & Annuentibus Principibus solemniter consecratus, omnia præclare restituit, seque insigni & virtute & rerum gerundarum dexteritate comprobavit; alter quasi Fundator Cœnobii habitus, idemque disciplinæ Monasticæ restitutor, insigni numero Religiosorum post obitum relicto. Decessit anno 1161. X. Cal. Decembr.
9. Wiboldus vita excessit anno Christi 1176.
10. Lambertus & ipse Gandensi ex Monasterio postulatus. Moritur anno 1182.
11. Franco Abbas claruit anno 1190. & deinceps.
12. Lubbertus anno Christi 1213. rebus præfuit.
13. Henricus eo nomine primus.
14. Arnoldus.
15. Theodoricus. Ilbrandus vir impius hic subjicetur.
16. Lubbertus decimus sextus Abbas, eo quod antecessor in nullo numero haberetur.
17. Nicolaus.
18. Henricus II.
19. Florentius Urenhagius.
20. Wernherus.
21. Bertholdus.
22. Theodoricus II.
23. Hugo I.
24. Guilelmus I.

25. Joannes I.
26. Hugo Assendolphius.
27. Joannes II. Hillegomius.
28. Joannes III. Wecutius.
29. Gerardus I. Ockenbergius.
30. Guilelmus II. Mathenetius.
31. Jacobus Puelgeestius ob. 1464.
32. Gerardus II. Puelgeestius.
33. Adrichemius.
34. Joannes IV. Drielius.
35. Henricus III. VVittenhorstius Bursfeldensi Congregationi dat nomen anno 1495.
36. Meinardus Mannius, vir dono prudentiæ & insigni vitæ integritate celebris. clar. 1513.
37. Guilelmus III. Guetanus, vir prudens, pius & Zelotus appellatur, claruit sub anno 1530. 1540. & 1550. atque ulterius superstes anno 1558. sed anno 1560. jam mortui fit mentio.
38. Antonius Hovæus, ab aliis prætermissus, postea Abbas Epternacensis.
39. Nicolaus III. à Nova terra. De hoc ita scribit Suffridus Petrus. Eodem anno 1561. De eo sic scribit Suffridus Petrus: Eodem anno 1561. primus in Harlemensem Episcopum creatus est, & in Ecclesiæ Cathedram sequenti anno collocatus, Ven. in Christo Pater ac Dominus Nicolaus de Nova terra, qui Rever. Episcopi Egmondani Georgij in Ultrajectina sede suffraganeus per annos multos fuerat. Huic in dotem assignata fuit Abbatia Egmundana. Hic Præsul cum decem annis sedem suam administrasset, in adversam valetudinem incidit, qua cum diu admodum & periculosè laborasset, ratus se oneri imparem, Episcopatum cessit, cui anno 1571.
40. Dn. Godefridus à Mierlo, quondam Ordinis Prædicatorum Provincialis Minister suffectus est. qui anno 1572. postquam Harlemum à Calvinianis circa Festum Nativitatis S. Joan. Bapt. occupatum esset usque ad XIII. Julii anni 1573. (quo die coacti extrema famis necessitate Duci Albano se permiserunt) fuga sibi consulens, in Monasterio Cameræ B. M. V. prope Brulam constitit. Porro Egmondanum Monasterium (olim, ut Bertels celebrat, omnium nostrorum Monasteriorum Speculum,) Calvinianis cessit, quod paulo post Catholicæ Ecclesiæ Hostis Princeps Auraicus solo adæquavit, nulla penitus habita ratione vetustissimorum Gentis Principum illic sepulcrorum, Theodorici primi, Theodorici II. Arnulphi, ejusque fratris B. Egberti Treverensis Archiepiscopi, Theodorici III. Florentii I. Theodorici V. Florentij Crassi, ejusque conjugis Ill: Petronellæ & Theodorici VI. quorum ossa ipsa, suam in DEum ac superos pietatem impiis luere debuerunt, detestando apud ipsos Barbaros scelere, nec æternis ignibus expiando.

## *AFFLIGEMIUM.*

PRæclarum admodum Ordinis S. Benedicti in Brabantia Monasterium, & cujus Cœnobiarcha, (ut rectè scribit Renatus Choppinus libro I. Monasticon) primas obtinet sedes juraque suffragij in publico apud Brabantiam consessu Monasticorum Antistitum, ad primum ab Alosto, & quartum à Bruxella lapidem situm anno 1083. sumpsit originem, cum Beatæ memoriæ VVethericus S. Petri Gandensis, Monachus, jussu S. Gregorij VII. per Flandriam ac Brabantiam Prædicationis munus suscepisset, Clerumque ac populum ad saniora consilia revocaret, quinque sive sex perditissimæ notæ Equitibus, quos inter Gerardus Niger eminebat, serio compunctis ac pœnitentibus, isto cæterorum ad meliora deinceps ducem agente & locum Affligen latrociniis infestum, pœnitentiæ designante; in quo oratoriolum primo modicum, & juxta hospitibus, atque aliud sibi ædificium modico sumptu condidere, cui mox evoluto triennio Basilica, tum Monasterium piorum sumptibus accrevit religiosis viris aliunde adscitis, donec ad eum denique splendorem, quo jam tempore S. Bernardi floruit pervenirer. Idem, tamen, prætatus Doctor mellifluus, à disciplina præcipue commendavit, memorabilis omnino Encomiastes. *Ubique, inquit, inveni homines; hic vero Angelos. Verum Affligenium, ubi genius affligitur.* Ita Bernardus, & ejus loci monimenta. Thomas Cantipratanus lib. 2. Apum, *Religione probatissimum & in charitate præcipuum* appellat.

*Ut rosa flos florum, sic est domus illa domorum.*
*Cujus odor morum thyma spargit ubiq; locorum.*
*Hic monachi, quorum devotio sancta polorum*
*Mulcet laude Chorum; DEus est adjutor eorum.*

Nicol. Misius.

Majorum suorum vestigiis inhærentes viri Venerabiles nostra ætate, Benedictus Haeffienius Præpositus loci. Hubertus Phalesius Bornheimiensis, & Michael à Porta VVaurensis, Priores, cum aliis novem sociis, reformatum sive primitivum Benedictinæ Regulæ Institutum, juxta ritum Congregationis SS. Vitoni & Hildulphi apud Lotharingos nostra memoria excitatæ sunt amplexi, & expleto anni unius Tyrocinio, solemnem professionem anno 1638. festo S. Lucæ fecerunt, Ill. ac Rever. Domino Jacobo Boonen Archiepiscopo Mechliniensi præsidente, Abbatibus S. Dionysij prope montes Hannoniæ, & S. Adriani Gerardimontensi præsentibus & collaudantibus. Abbatum seriem referamus.

I. Fulgentius electus anno Christi 1088. & sequenti anno in festo S. Gregorii M. consecratus, postulatus è Monasterio S. Agerici Virdunensi; eximia vitæ sanctitate conspicuus, vidit animas Sanctorum Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi & S. Hugonis Cluniacensis Abbatis ad cœlos ascendere: quos ipse sequutus est anno Christi 1122.

II. Franco, cujus industria multa Cœnobio sunt acquisita. Struxit magnifico opere Basilicam, librisq; ac multis ornamentis eam ditavit, prædia ampliavit, &c. appellatur vir scientiæ mirabilis, castitatis integerrimæ, charitatis honestissimæ, promotor disciplinæ. Vita excessit idibus Septembr. anno 1135.

III. Albertus, vir Religiosissimus, sed qui terrenarum rerum administrandarum nimio fastidio, ultro & sponte, diu obnitentibus Religiosis, onus resignavit, cum haud diu invitus Monasterio præfuisset. Vita excedit anno 1144. 4. Kal. Sept.

IV. Petrus, sub quo Godefridus cogn. Barbatus, splendido cum comitatu ad Cœnobium divertit, omniaque cœnobij bona & jura datis litteris confirmavit. Petrus autem antecessoris sequutus exemplum, & ipse sponte Abbatiæ deponens onus, postea prid. Cal. Dec. obiit 1147.

V. Go-

V. Godescalcus, in amplificandis Ecclesiæ ornamentis & exstruendis officinis industrius. Ad ipsum scripsit Eugenius III. Pont. Max. Possessiones & Privilegia Monasterii confirmans. Majorum exemplo & ipse dignitate se abdicat. 1164.
VI. Arnulfus ex professo hujus loci, Abbas Eynamensis, hinc Affligemium ad regimen vocatur. Vita excessit anno 1177. vel 1178. quo mortuo Godescalcus vel invitus denuo Abbas salutatur, mortuus anno 1194. vel proximè sequenti.
VII. Sigerus liber Baro de Craynhem, præfuit annis fere quatuor & obiit 1198.
VIII. VVilhelmus cum fere quinquennium præfuisset, onus resignavit anno 1203.
IX. Robertus, de quo ita MS. antiq: Domnus Robertus Abbas IX. fabricavit Refectorium nostrum, celavit etiam lapidibus magnam Ecclesiæ partem, &c. Decessit 13. Cal. Aprilis anno 1224.
X. VVilielmus fabricavit lapideam domum in qua viri equestres hospitio excipiuntur Mortalitatem exuit 4. Non. Aprilis anno 1242.
XI. Joannes I. Hic præclare de Affligemio meruit. Ipsum, ad cœlestem migratura sponsum S. Hildegardis his verbis compellavit: *Jam recedo charissime, & nihil Te charius sub Sole relinquo*, è quibus facile de meritis viri omineris. Ipse obiit 16. Cal. Maij anno 1261. Conditor Dormitorii, sacri ambitus, & aquæductus in eodem.
XII. Henricus I. mortalibus valedixit 11. Cal. Febr. anno 1264.
XIII. Henricus II. diutissimè magnâ cum Regularis observantiæ cura præfuit. Mortuus est 4. Non. Januarii anno 1301.
XIV. Gulielmus III. Vixit ad annum Domini 1311. incertum an eo mortuus.
XV. Joannes II. Vivere desiit Calendis Januarii, anno Christi 1314.
XVI. Thomas, sub quo Flandris Brabantos bello opprimentibus Monasterium hostiliter combustum fuit. Mortuus est Thomas Nonis Julii anni 1334.
XVII. Joannes III. Afflictis Affligemii rebus consulere satagens, incertum quando obierit.
XVIII. Joannes IV. cognomento VVoluroii, in restaurando Cœnobio sedulus, cujus tamen regimen sponte & libere dimisit anno 1370.
XIX. Amelricus Tayus mitram & Pontificalia insignia à Gregorio XI. accepit. Mortuus est 12. Cal. Aug. anno 1398.
XX. Henricus de S. Gaugerico. Moritur 7. Iduum Maij anno 1413.
XXI. Joannes V. de Alphenis, dictus Alphius, multa præclarè pro Republ. gessit. Resignavit anno 1425. mortuus XI. Cal. Febr. anno 1429.
XXII. Henricus IV. de Ascha Equestri inter Brabantos familia. Resignavit & ipse accepta annua pensione 400 coronatorum. Defunctus est 5. Cal. Januarii anno 1474.
XXIII. Goswinus Herdingus. Resignavit, an vivere desiit anno Christi 1493.
XXIV. Gislelbertus Marselarius electus, sed quod omnino obniteretur & inidoneitatem suam obtenderet Gulielmus Michaelis, Prior Fraxinensis ejus loco designatus est Abbas. Hic à Julio II. omnimodam ab omni jure Episcopali exemptionem impetravit. Inde Procerum consilio adlegit sibi Coadjutorem Wilhelmum de Croij, cui postea Abbatiam cessit, cum is antea Professionem, ex præscripto Summi Pont. Affligemii emisisset.
XXV. VVilhelmus de Croij S.R.E. Cardin. Archiepiscopus Toletanus Carolo V. dilectus, obiit immaturè in Comitiis VVormatiensibus 3. Non. Januarii anno 1521.
XXVI. Carolus de Croij frater VVilhelmi Antecessoris similiter Ordinem professus, etsi dispensatione Pont. Max. ante completum Tyrocinij annum, vota Religionis emitteret, Vita excessit apud S. Gisleni anno 1564. 3. Id. Decembr. ibidem splendide sepultus.
XXVII. Arnoldus Motmannus ex Præposito Affligemiensi electus Abbas, & à Philippo II. Rege confirmatus dignitatem iniit mense Majo anni 1565. verum cum interea in erectione novorum Episcopatuum Pius Papa IV. Affligenium Archiepiscopatui Mechliniensi dotis nomine univisset, coactus cedere Motmannus, ac Waveræ Prior simulque Fraxinæ constitutus, insigni virtute, inter tot bellorum metus & adversa claruit. Decessit XIV. Junii, anno 1597.
XXVIII. Antonius Perenottus S. R. E. Cardinalis Granvellanus, Primus Mechliniensium Archiepiscopus, eoque nomine Abbas Affligeniensis. Vivere desiit anno 1586. 11. Cal. Oct.
XXIX. Joannes Hauchinus Gerardimontanus Granvellano à Rege datus successor cum 5 annis præfuisset, magno sui relicto desiderio obiit 1589.
XXX. Matthias Hovius laudatissimæ vitæ Præsul Affligemium restituere aggressus est anno 1601. obiit ibidem 3. Kal. Junii. 1620.
XXXI. Jacobus Boonen, Archiepiscopus Mechliniensis, hanc & alias dignitates magna animi Virtutumque præstantia diu & laudabiliter gessit, sub quo Benedictus Haeftenius Præpositus, aliique viri Zelosi Reformationem Lotharingicam introduxerunt, solemnemque Professionem, exacto Tyrocinii sacri anno integro emiserunt.
XXXII. Andreas Crusenius Episcopus Ruræmundensis Jacobo mortuo in Affligemiensi Abbatia sufficitur.

## ALCIACUM IN ARTESIA.

Fundatum fuit nobile hoc Benedictini Ordinis Cœnobium anno 680. à Sancto Bertino, locum donante Adroaldo viro potente, adjuvantibus constructionem Adalsquario viro nobili ejusque conjuge Anaglia, qui insignem illic Basilicam honori Cælitum Reginæ & Apostolorum Principis condidere. Fuit primis Sacris DEO Virginibus traditum, quibus prima Abbatissa Sichedis sive Sichildes Adalsquarii filia profuit; quæ S. Silvini Tholosani Episcopi corpus illic conditum summo in honore habuit ejusque Sarcophagum auro & gemmis condecoravit. Post Normannorum invasionem, ac novissimè postquam exercitu Gundimundi & Isembardi destructa fuisset Ecclesia & Monasterium, Engelramus Comes Hesdiniensis istud restauravit, & Abbati Sithivensi potestatem dedit Monachos introducendi ipsique Abbatem præficiendi. Romanis Pontificibus idipsum approbantibus.

1. Suelydius, al. Suelgerus ab Heriberto Bertiniensi Abbate cum colonia Monachorum missus, primus loci Abbas extitit.
2. Gervinus, al. Germanus ab eodem Abbate missus, & paulo post mutatus.
3. Robertus, vel Norbertus, qui ad æterna transiit anno Christi 1101.
4. Odo Monachus Cluniacensis, ex illis primis qui reformationem Cluniacensem introduxerant apud Bertinenses, idem Institutum huc invexit, multos perpessus difficultates, invictus Christi miles ad patientiæ coronam vocatus sub annum 1121.
5. Simon vir litteratus & Religiosus, post quatuor annos fit Abbas Bertinianus.
6. Godescalcus, patruus Godescalci Abbatis Bertinensis.
7. Joannes de Bethunia, *Vir honestus & Sanctæ Vitæ*, ab Iperio appellatus.
8. Simon supra dictus denuo assumitur, quo mortuo Alciacenses è suo gremio Abbatem eligere præsumpserunt. Verum Abbas S. Bertini, jus suum retinuit & novum decretum Roma impetravit.
9. VVarinus, non confirmare auso Episcopo, professionem ad S. Bertini facit, admittunt Bertiniani, sed primo anno deponitur.
10. Joannes Allardi ex Monacho S. Bertini Abbas Alciacensis, à prudentia singulari celebratus. Strenuè rem Monasticam promovit, & præfuit simul profuitque annis 44. Præ senio denique cæcutiens resignavit anno 1553.
11. VVillermus ex Monasterio S. Bertini, *vir valdè religiosus*, celebratur.

## ALTAICH SUPERIUS.

INsigne Benedictini Ordinis in Bavaria Cœnobium à quercubus cognominatum, & inde Superius, quod vicino Danubio descendentibus primum occurrat, sequente deinceps Inferiore Altaichio ejusdem Ordinis Monasterio, de quo postea dicemus. Ferunt autem Boios Hercinii superioris sive Bohæmici saltus accolas, reliquis trans Danubium S. Ruperti opera sæculo præcedenti prope omnibus ad Christiana sacra adductis, Idololatriæ erroribus adhuc obnoxios habuisse hic alteram Dodonam; in qua velut prima sacri luci capita, duas eximiæ proceritatis ætatisque quercus religiosa superstitione coluerint. Inde seu ab Idolis insistentibus seu à delubris propinquis responsa ferre, suamque adhibito thure & victimis sospitatem auspicari consuevisse. In locum dein, cultu veri Numinis latius prolatato, impiæ propaginis bono omine successit Arbor una Nobilis, cui nulla sylva talem profert, dulce lignum Crucis, imo lucis & victoriæ, cujus insigni portione conditum postea illic Cœnobium locupletatum fuit. Illius Conditor præcipuus sub annum Christi 731. utilo Boiariæ Dux potentissimus extitit, sacramque duodecim Monachorum coloniam sub Ernesto Abbate, è Divitis Augiæ Cœnobio induxit, suasore ad hæc multaque alia bona S. Pirminio nostro Meldensi Episcopo, qui se magnis meritis & Principi & toti Provinciæ commendavit. Sacrum primitus Apostolorum Principi Petro, addito cum tempore Passionis & Apostolatus socio Divo Paulo. Restauratores Cœnobii à Fundatore maximi fuere sub annum 1102. Fridericus & Azuvinus fratres Comes de Bogen; qui diu suis sepultum, ob injurias bellorum & temporis, in ruderibus, Monasterium exsuscitarunt, quod deinceps Albertus I. Comes & Fundator VVindbergensis & Fridericus eo nomine II. Bogensis liberaliter dotarunt.

Dependet ab hoc Monasterio Præpositura Montis Sacri Bogensis, cui nomen à proximo fluvio, qui latera, & ejusdem appellationis oppidum instar ARCUS sinuatim adlambens, in vicinum, cui mons impendet, Danubium placidè evolvitur. Loci amœnitas & situs videntur oportuna gentilitio potentissimorum Comitum castro dedisse cunabula: nec improbabiliter pervetustæ olim Romanorum Coloniæ, donec Cœlorum Augustæ, simulque terrarum Reginæ, elegantior cæteris locus, Matri à filio decerneretur. Constans enim habet, & complurium sæculorum calculo roborata traditio, eo tempore quo Azuvinus Comes Altaichium restaurarat, imaginem B.M.V. adversis Danubii fluctibus delatam ad montis Bogensis pedem substitisse, eoque felici permotum auspicio Heroem mox adventantem Reginam Sacello domestico recepisse atque illi novum hospitium pluribus jam gratiis illustranti, totam arcem, quæ DEO Virginalem Aulam concesserat, obtulisse. Magnus usque hodie eodem concursus peregrinorum est, maximis etiam Principibus locum frequentantibus; solentque Urbes octo, oppida 24. pagi 106. Parochiæ universim 138. solemni ut vocant Processione turmatim DEIparam quotannis illic visitare & honorare. Sepultus est ibidem Azuvinus Fundator, donec Popponis Abbatis cura Altaichium transferretur. Abbatum Seriem subjungimus.

1. Ernestus sive Ariovistus Abbas I. Ex Augia Divite cum duodecim Monachorum colonia postulatus anno Christi 731. cujus administrationis annos & gesta sicut & successorum, obscuravit facta per Hunnos vastatio.
2. Hermannus, obiit 2. Januarii.
3. VVolfbertus, obiit 10. Januarii.
4. Ratimundus, ob. 18. Jan.
5. Erchambertus, ob. 30. Jan.
6. Leopoldus I. ob. 26. Febr.
7. Regenwartus, 11. Maij.
8. Ottgerus, 26. Maij.
9. Yymnio, 31. Maij.
10. Olpaldus, 5. Junij.
11. Grimoaldus, 2. Julii.
12. VVolframus 26. Aug.
13. Urolfus, 27. Augusti.
14. Irmbertus, 28. Aug.
15. Reginhardus, 2. Sept.
16. Diethmarus, 6. Sept.
17. Richwinus, 9. Sept.
18. Sigmarus 10. Sept.
19. VVenceslaus, 21. Sept.
20. VVolframus, 3. Oct.
21. Lampertus 31. Octobr.
22. Adalhardus, 14. Nov.
23. Adalbertus 18 Nov.
24. VValtherus 23. Nov.
25. Arnoldus 29. Novembr.
26. Dierpoldus 12. Decembris.

POST

## POST RESTAURATIONEM COENOBII.

1. Egnio Abbas 27. post restauratum ab Azuvino & Friderico fratribus Comitibus Cœnobium Abbas I. anno 1102. moritur 1105. non sine opinione perfectionis.
2. Ernestus II. electus anno 1106. optimè rebus præstitit. mortuus 17. Martii Anno 1115.
3. Ludgerus, sub quo Advocati liberam eligendi facultatem Fratribus in perpetuum concedunt, obiit 29. Novembr. anno 1137.
4. Ruthardus utiliter præest annis 17. mortuus anno Christi 1154.
5. Goppoldus obiit 16. Martij Anno 1159.
6. Theodoricus, moritur eodem electionis anno.
7. Gerardus electus 1160. sub quo Alexander III. Ministerialium Monasterii licentiam reprimit, asseritque Monasterium immediatè esse sedis Apostolicæ, obiit 1184.
8. VVolframus III. præest annis decem & moritur 1194. 18. Februarij.
9. Leopoldus II. Oeconomus infelix, ob quam causam exauctoratur anno Christi 1215.
10. Henricus, sub quo magnas clades patitur Cœnobium bello Bogensi. Resarcit damna Albertus IV. parte oppidi Bogensis donata Anno 1220. obiit Henricus 1221.
11. Conrardus optimè præfuit annis 24. moritur 28. Decembris anno Christi 1245.
12. Udalricus, sub quo fœdo incendio Monasterium concidit, Ille postulatus ad S. Emmerami, rebus minus ex voto administratis in Ahausen migrat ibique defungitur 1252.
13. Haymo, electus 1248. Monasterium præclare Monasterium restaurat morte interceptus anno Christi 1252.
14. Burcardus, septennio præest utiliter, collapsa restituens, obiit 1260.
15. Poppo ex Inferiore Altaich postulatus 1260. vir omni laude major, mores non minus quam muros restaurans, sub quo B. Albertus Comes ab Haygerloch monachum profitetur & Cœnobium vitæ sanctitate ornat. Idem Poppo Azuvini Comitis corpus ad Monasterium transfert anno 1279. verum res præclare curantem Altaichium Inferius revocat, & Abbatem salutat anno 1282. ubi moritur anno 1289. die 27. Jan.
16. Conradus II. Piper dictus ex Priori hujus loci electus Abbas 1282 à doctrina & pietate præclare commendatus. Multis cœptis rem domesticam auxit, Infirmariam condit. Vita defunctus ab imis summisque deploratur. 9. Cal. Aug. anni 1297. Ejus Epitaphium legitur,

*Det Benedictus sit ut à Christo benedictus*
*Flos Prælatorum Conrardus, gemmaque morum.*

17. Conrardus III. cognomine Capellanus ex Priore hujus loci electus 1297. plurimas possessiones comparat. Laborum pertæsus sponte renunciat 1311. sub quo vixere in Monasterio 24. Sacerdotes, 4. Juniores & 7. fratres Conversi.
18. Henricus II. ex Richnacensi præposito, sub hoc B. Albertus obiit 26. Novemb. Henricus sponte resignavit.
19. Henricus III. cognomento Stubhan Infirmariæ præfectus electus 1316. Sub quo haud modica proventibus Cœnobii accessio facta, & industria Prælati & Patronorum liberalitate. Sub hoc Mariæ Cella à 2 Conversis Fratribus erigitur 1324. quam in perpetuum Monasterio subjacere Nicolaus Episc. jubet, obiit Henricus Anno 1330.
20. Udalricus & ipse ex Infirmario Abbas, quo petente Henricus Bavariæ nundinas ex Altaich in Bogen transfert, obiit Udalricus 1338. nono Kal. Julii.
21. VVolfgangus è gremio electus Danubio, muros Cœnobii alluenti & graviter minanti, novi alvei limites, ope Ludovici Imp. præfinit, integri fere decennii labore, obiit anno Christi 1346. Calendis Septemb.
22. Fridericus ex Oeconomo Abbas, Aulicis & Capellanis Ludovici Imp. adscribitur, ab ipso Princeps salutatur. Obiit an. 1358. die 20. Novemb.
23. Lautvvinus ex Sacro Monte Bogensi ad thiaram assumptus, moritur 6. Novemb. 1362.
24. Rugerus Professus loci & Præpositus Cellæ S. Elisabethæ, jus piscaturæ in novo ac Veteri Danubio ab Alberto Duce procurat, obiit 17. Jan. 1368.
25. Eberwinus ex Metten postulatus, in Hollandiam usque ad Albertum Ducem proficiscitur publicæ necessitatis causa. Turrim Bogensem fulmine exustam restaurat. Moritur Cal. Dec. 1379.
26. Petrus Ursenpöck ab Ursenbach. Pestem grassantem prodigiosè averti à Cœnobio impetrat, recepto Festo Conceptionis B. M. V. anno 1394. B. Albertum sepulchrali marmore ejusque exsculpta imagine honorat. Eximiam meruit laudem à Vineis & prædiis coëmptis, suppellectili aucta, officinis structis, & promota disciplina, obiit anno 1403. 29. April.
27. Gallus Dachoviensis, Præpositus Cellæ S. Elisabethæ, Cœnobii infirmarius sub hoc frequentes ad Reliquias vivificæ Crucis & S. Montem Bogensem peregrinationes. Illam duabus argenteis magni ponderis atque artis Crucibus includit & ornat. Moritur ipso natali Christi, anno 1405.
28. Joannes Vogel ex Priore loci Abbas. Hostiam sacram à puero irreverenter rejectam, summa reverentia colit & ad Montem Bogensem transfert, loco quo ejectam exceperat sacello ligneo erecto, quod usque hodie gratiis multis elucet, obiit 3. Dec. 1423.
29. Jacobus Glettner Ratisponensis ex Cellario loci Abbas. Sacellum DEIparæ erigit. Sub ipso altera vice ad venerandas S. Crucis Reliquias Sigismundus Imp. occurrit, piè & prudenter præfuit & anno 1438. 4. Sept. decessit.
30. Joannes II. Asperger, alias Paurenpöck dictus, Teopago oriundus, cui ut antecessori multa Albertus Dux pro ornatu templi largitur. Hujus laudatissimi viri industriam, pleraque Cœnobii ædificia, sacra & profana supellex, campanæ quinque, impetrata Privilegia, &c. celebrant. Disciplinæ observantissimus fuit, commendatam à Nicolao V. Ord. Reformationem promptè suscepit, præfuit annis 25. & obiit 1463. in octava Assumptionis B. M. V. cujus cultum sedulo promovit.
31. Benedictus Beham Nobilis Boius, loci professus & Infirmariæ præfectus. Multa coëmit, omnibus operibus benedictus, moritur magno omnium luctu 1476. Dominica Reminiscere.
32. Joannes II. Irlebeck, è gremio Abbas. Libere postea renunciat, facti postea pœnitens dum Romæ recuperandæ dignitati intendit, morte abripitur 13. Julii 1483.

33. Raphael Newpeck optimæ notæ Religiosus ex Tegernsee postulatus, eruditionem pietati junxit, & præclare meruit, inter magnos conatus pestilenti lue abreptus 13. Nov. 1483.

34. Christianus Tesenpacher Salisburgensis, postulatus ex Tegernsee 148?. Antecessoris vestigia presè tenet probitatis & eruditionis harmoniam aptè conjungendo. Utilem per omnia se Monasterio præbet. A Cæsare Maximiliano I. Vectigalium per Austriam remissionem ab Alberto Duce, cui inter charissimos erat, onerum exemptionem & fluvii Bogensis tractum supplex impetrat. Bona Cœnobii plurimum auget. Ossa Fundatorum splendidiore condit monimento. Denique apoplexia sublatum optimi filii planxere, hoc posito Epitaphio, sexto Cal. Julij Anno 1501. Obiit Venerabilis Pater Dominus Christianus Abbas nostræ Congregationis, vitæ Regularis Zelator, virtutum cultor, vitiorum ultor, Fratrum amator, Monasterii nostri reformator, partimque Restaurator.

35. Georgius Dinspier, Theopago oriundus hujus loci professus, qui per omnia Monasterii officia, velut per gradus ad Prælaturæ dignitatem conscendit. Humili genere sed animo excelso fuit, calvariam pro insigni Abbatiali accepit, cujus memoria humilius ageret, & fortius pateretur. Equidem haud satis dici queat, quam graves densasque calamitatum procellas infracto animo excipere debuerit hic bonus Abbas; pecoribus toties abactis, decem una die villis exustis, nec mitiora spondentibus futuris diebus & annis ab infesta nobili familia, cui superstiti parcitur, lacessitus, spoliatus alter Job patiens & insons, non aliud congeminare solitus quam: *Tribulares si nescirem misericordias tuas Domine &c.* quas & inter ærumnas sibi solatio expe- difficile expertus ejusmodi sepulchrali suo lapidi solatii verba insculpi voluit. Sedatis porro multo ære perq; multa tribunalia turbinibus, simul adspiravit gregibus, ædificiis utriq; supellectili aura faventior, Gregorio reducente, quem tamen paulo post anno 1519. die S. Afræ exactis cladibus superstitem, & curvis optimo sui ævi & comparandum Præsulem æterna donavit tranquillitate, divina, quam in omnibus imploravit, Misericordia.

36. Georgius II. Perckhamer, Ratisponensis e gremio electus. Boni Antistitis specimen ostendere verius, quam dare, illi permisit temporis brevitas, cum vix gustato honore, & biennio ab Electione exacto, die 20. Augusti anni 1521. magno sui relicto desiderio vita excederet.

37. Gregorius Pauer ex Hirschau oriundus, sub quo variæ bellorum & aëris tempestates bona Monasterii pessundant. Moritur 25. Oct. 1527.

38. Bernardus Mayer Tölicensis, vir disciplinæ observantissimus, nec desiderata in eo eximia probitatis appendix, rerum peritia, quam cùm agendo, tùm scribendo omnibus numeris comprobatam dedit. Decessit 13. Cal. Jun an. 1541 In Necrologio: Zelator Religionis & amator Fratrum celebratur.

39. Andreas Wildt de Sincking, postulatus ex Tegernsee. Biennio post electionem variis conflictatur morbis, quorum victus pertinacia jam pedibus manibusq. intortus, sponte resignat 1551. biennio inde superstes 18 Febr. moritur anno 1553.

40. Sebastianus Hoffmann Sulzbacensis Palat. ex Tegernsee postulatus. Minus felix fuit Oeconomus, sub quo res domestica multis accisa oppignorationibus, & grandi ære alieno obstricta fuit. Vivere desiit 2. Januarii anni 1564.

41. Wolfgangus Bogner, patria Bogensis, brevi regimine, post sex menses eodē an. 1564. moritur, 2. Sep.

42. Joan. Baptista Lochner Ingolstadiensis, post vacationem dimidii anni Abbas eligitur 1565. præfuit annis fere 28. reique familiaris, cujus promovendæ artem non callebat, in declive abeuntis molem una cum honore Abbatiali in alienas cervices vivus transtulit anno 1593. haud multo post eodem anno 20 Novembr. vita defunctus.

43. Christophorus Glöckler Landishutanus. Hic prudentia & eruditione disciplinam Musasq; languentes excitavit, revocato omni ex parte, non sine curâ & sumptibus pristino splendore. Exquisita Oeconomiæ industria grande onus debitorum dissolvit, latioremque Cœnobio faciem restituit. Ob egregiam morum integritatem & prudentiæ laudem ab amplissimis Provinciæ statibus inter deputatos numeratus, ut domesticæ providentiæ partem bono publico elocaret, denique pium animum inter filiorum manus *Salve Regina* recitantium Creatori reddidit 7. Martii 1614.

44. Vitus Höferus de Kirckenleybach, vir incomparabilis: cujus panegyrim texere sola, quam semper ut matrem coluit, Virtus possit. Is & sua vita, & variis aliis ornamentis Monasteriū excoluit; Basilicam mire exornavit, studia promovit, ædificia struxit, prædia coemit, ita ut quidquid Altaichii spectes seu commendes, Vitum celebres. Mortalitatem exuit anno 1634. 5. Non. Aug. incredibili sui relicto desiderio.

45. Hieronymus Gäzin, omnibus omnium Fratrum votis in Abbatem delectus, præest etiamnum utiliter & laudabiliter.

## ALTAICH INFERIUS.

Benedictini item Ordinis Illustrissimum, sed Diœceseos Passaviensis, Monasterium, in Bavaria inferiore situm, quod Conditorem eundem, quem superius, Utilonem Bavariæ Ducem, promotore eodem S. Pirminio habuit, & primam similiter 12. Monachorum Coloniam ex Augiæ Divitis prope Constantiam Acroniam Cœnobio, meruit, anno Christi 741. Fundatum est in honorem S. Mauritii Thebææ Legionis Generosissimi Ducis, ejusque sociorum Generosissimorum Martyrum, ex Pipini Regis licentia, prædictis Martyribus devotissimi, & ab Utilone Duce liberaliter dotatum villis Posching, Müllhaim, Walkstorff, Puechoven, Iserhoven, Metningkhausen, Pering, Schwarzach, plurimisque aliis prædiis & possessionibus. Sed Abbatum Catalogum subjiciamus.

1. Eberwindus primus loci Antistes, ex Archisterio Divitis Augiæ assumptus sanctè præfuit, sub quo, præter alia superius commemorata, Putingæ prædium Monasterio accessit, & hinc ad Cœnobium Wessenbrunnense Islingus hujus loci Professus primus Abbas postulatus est; cui annis 41. præfuit.

2. Wolfbertus Abbas Eberswindo mortuo successit anno Christi 766. cujus tempore Tassilo Dux Crembsmünster & plura alia Cœnobia fundavit.

3. Urolphus, aliàs Fulradus, tempore Caroli Magni claruit; qui ipsum variis muneribus & possessionibus donavit, & anno 793. ad Concilium in Saxonia habitum vocavit.

4. Teut-

4. Teutbaldus sive Theobaldus, cui Ludovicus Pius Imp. Privilegium Immunitatis contulit.
5. Gozbaldus, claruit tempore Ludovici Ostrofranciæ & Bavariæ Regis, cui charus admodum extitit, summus Capellanus ab eodem designatus; ab eodem postea ad Cathedram Herbipolensem evectus. Meruit idem Abbas à Gregorio IV. summo Pont. corpora SS. Felicis & Agapiti, quæ postea Ecclesiæ Iserhovensi contulit. Idem Ludovicus Rex Gozbaldo Villas Spitz & Bachovium, & in villa Ingolstatt duas Ecclesias, cum pertinentiis & 22. Huobis, ut vocant, nec non multis Privilegiis contulit, ac Monasterium ab omni exactione & onere exemit. Obiit Gozbaldus Episcopus & Abbas 12. Cal. Oct. Anno 855.
6. Ottgarius, Præfuit sub eodem Rege, à quo similiter plurima, aliaque inter Villam Nabavvindam meruit. Accepit ab eodem Privilegium super Judiciaria, potestatem contra Præfectos, Judices, Præcones aliosque Officiales Principum Ducatus Bavariæ. Fuit Ottgarius postea iste creatus Archiepiscopus Moguntinus, obiitque anno 867. aliis 847. sed male transpositis latinis numeris XL. & LX. 12. Cal. Maij.
7. Wolfbertus II.
8. Eberwindus II.
9. Grimaldus, &c.
10. Otbaldus.
11. Chunibertus.
12. Egelolphus.
13. Aaron Abbas claruit sub annum Christi 892. tempore Arnulphi Imp. & Ludovici 901. sed & Conradi I. Imp. quo imperante Arnoldus Bavariæ Dux ab Imperio deficiens, Ungarisque junctus, suam ipse patriam in extremum discrimen adduxit, omnibus Bavariæ Cœnobiis misere vastatis, hoc etiam sancto loco, misere direpto, ita ut centum ferè deinceps annis, incultum maneret ac penè desertum, ad usque tempora Otthonis III. Imperatoris.
14. Erchambertus vir præstantissimus opera S. VVolfgangi Ratisponensis & Pilgrini Passaviensis Episcoporum, ab Otthone III. Monasterio Altaichii Abbas, restitutis Monachis, impositus, saluberrimis monitis S. Godehardum ( qui Canonicis interea locum usurpantibus Præpositi titulo præstiterat ) persuasit, ut Divi Benedicti Regulæ se devoveret. Restituit præclare Cœnobium Erchambertus, sed sive infirmitatis causa, sive tædio negotiorum à sacris avocantium, sexto Regiminis anno honore se sponte abdicavit A. C. 997.
15. S. Godehardus prope Altaich in Reicherstorff patre Ratmundo natus, à S. VVolfgango Presbyter ordinatus, an. 992. Monachum professus anno ætatis 31. Erchamberto postea resignante anno 997. 6. Cal. Jan. invitus & renitens in præsentia S. Henrici Ducis & plurium Episcoporum & Procerum Abbas ordinatus est. Cui deinceps ob egregiæ sanctitatis famam plures etiam Abbatiæ, Hersfeldensis, Tegernseensis & Cremiphanensis commendatæ sunt. Sub ejus Regimine S. Guntherus cognatus S. Stephani Ungarorum Regis, apud Turegos regia stirpe oriundus, apud Altaichium Inferius Monasticen professus, admiranda vitæ sanctitate enituit. In hujus & Godehardi gratiam S. Henricus plurima Cœnobio contulit. Beatus Gothardus postea Hildesheimensis creatus Episcopus, plenus meritis anno 1038. sive 39 ætatis suæ 73. ad superos migravit, inter Sanctos solemniter relatus ab Innocentio II. 1131.
16. VVolframus post S. Godehardum Hildesium abreptum anno 1023. creatus Abbas, cum annis præfuisset quatuor subita morte decessit.
17. Ratmundus, S. Godehardi ex sorore nepos, Abbas salutatur anno 1027. sub quo 4. Nonas Martii anni 1033. Monasterium cum omnibus juxta ædificiis miserabili incendio in cineres concidit, quod tamen Ratmundus ope S. Godehardi avunculi & Richerii Casinensis Abbatis hujus olim loci Professi, de novo à fundamentis exstruxit, & anno 1038 XI. Cal. Oct. à tribus Episcopis Beringerio Passaviensi, Hiberto Aichstattensi & Engelmaro ------. dedicari curavit. Fuere in Cœnobium & Ratmundum liberales admodum Conradus II. & Henricus III. Impp. ipse rebenè gesta decessit 4. Cal. Febr. 1050.
18. Diethmarus ex Præposito loci electus, eximia pietate floruit, præfuit annis 6 obiitque anno 1056. Sub hoc cum B. Richerius Leonensis, postea Casinensis Abbas, priorem resignasset Abbatiam, hanc VVenceslao Altahensi Monacho Henricus III. Imp. contulit, obiit Diethmarus anno supra dicto.
19. Adalhardus sive Alhardus à summa & ipse perfectione celebratus, præfuit annis 7. mortuus anno Christi 1063.
20. VVenceslaus ex Abbate Leonensi hujus loci Abbas designatus, quem sui confratres reducem ipsis Cal. Jan. anni 1064. summo cum plausu excepere. Ipsum eodem anno Imperator ad Concilium Mantuanum destinavit, ubi cum paucis Alexandro vero Pontifici favit. Fuit eruditione non vulgari VVenceslaus, & Annales Bavariæ scripsit, sub quo VVolframus Altahensis Asceta Ossiacensis Abbas postulatus fuit, ob. 8. Cal Oct. 1069.
21. VValtherus sive VValkerus. Hujus tempore S. Thiemo Altahensis Asceta, Abbas S. Petri Salisburgensis postulatus, postea anno 1090. Archiepiscopus ibidem electus fuit. Sub ejusdem regimine floruere item Altaichii duæ miræ sanctitatis Virgines, Salome nimirum, filia sororis Regis Angliæ, & Judith cognata ejus, quæ hic juxta tumbam B. Abrunæ in uno sarcophago quiescunt. Obiit VValtherus 1098. regiminis 29.
22. VVolframus ex Abbate Ossiacensi huc repetitus, cum Altaichio biennium præfuisset Tervisiensis creatus Episcopus, sexennium supervixit.
23. Rupertus, cujus tempore S. Thiemo ex hujus loci Monacho Archiepiscopus Salisburgensis, apud Corozain in Palæsthina Martyrio coronatus est, à 1110.
24. Luitpoldus, de quo nihil præter nomen reperitur. Advocatum Cœnobii agit Albertus Comes.
25. Adalfridus, sub cujus tempore S. Godehardus ab Innocentio II. Pont. Max. Canonizatur. Præfuit Adalfridus Cœnobio annis 12.
26. Conradus Abbas. Hic & VVilhelmus quidam vir Religiosus accepto de Canonizatione S. Godehardi nuncio, Ecclesiam sub honore ejusdem in monte Kirchperg condiderunt.
27. Boleslaus, sub quo & proximè antecedentibus variè afflictum Monasterium, eo paupertatis devenit, ut neque Monachos sustentare, neque Imperio debitum præstare servitium posset, qua de causa Eberhardus Episcopus Bambergensis, onus Imperio satisfaciendi in se suscipiens, ea conditione

Monasterium à Cæsare imperravit, ut tamen Monachos illic perpetuo aleret, bonumque Cœnobii promoveret. Proin Boleslaus anno Christi 1152. ab Eberhardo Episcopo investitus fuit, simulque tam ipse, quam omnes successores in numerum Canonicorum solemniter recepti.

28. Dietericus sive Theodoricus Abbas, de quo nihil præter nomen habemus.

29. Gerhardus, cujus tempore Bertholdus de Bogen Comes, ut & sub 4. antecessoribus Advocatum egit. Huic, omnibusque Cœnobiorum Advocatis sub pœna amittendæ Advocatiæ prohibuit Subadvocatos constituere (quod hi nimium Cœnobia exhaurirent, & Religiosos vexarent) Fridericus Imp. dato Diplomate anno 1155. quod & Hadrianus Papa confirmavit, his verbis: *Nos Eugenii Papæ instituta, & Conradi & Friderici Impp. leges sequimur, qui nullum posthac in Teutonico Regno Subadvocatum super aliquas Ecclesias decreverunt ullatenus admitti. Omnibus igitur abjudicamus, jus Subadvocatiæ,&c.*

30. Volscalcus Abbas, sive Wolfgalcus.

31. Udalricus sexennium præfuit.

32. Dietmarus II. præfuit annis 23. sub quo anno 1185. 5. Cal. Aug. iterum gravi incendio Monasterium vastatur, quod ipse præclarè restaurat & quinto post anno, undecimo Cal. Octobr. 1190. ab Otthone Frisingensi Episcopo consecrari curat.

33. Poppo eo nomine primus præfuit annis 28 sub quo gravia damna Monasterio illata Alberto Comite de Pogen & Rapotone Rheni Palatino & Bavar. Duce sese mutuo bello infestantibus.

34. Berchtoldus Abbas, non supra septem menses Monasterio Præstitit.

35. Conradus duobus solummodo annis & menses septem ad clavum sedit, &c.

36. Diethmarus III. de Monasterio præclarè meruit, cui decem annos menses 7. præfuit, & mitræ usum sibi ac successoribus à Gregorio IX. impetravit, obiit 6. Cal. Nov. 1241.

37. Hermannus, eximium sese tam in sacris quam profanis probavit, & præter multa Monasterio comparata, plurima construxit, renovavit, ornavit; senio deniq; gravatus, cum Monasterio annis 30. mensibus 4 diebus 16. præclarè præfuisset, disciplinam Monasticam strenuè propagasset, DEI honorem promovisset, pluraque Abbatum optumorum exemplaria diversis Cœnobiis Formpacensi, Aspacensi, Ober-Altaichensi, Prüelensi, Biburgensi impertitus esset, sponte & liberè honore se abdicans biennium supervixit, variis morbis exectissimus, speculum patientiæ, dono lachrymarum, Numini quotidie sese profusione largissima devotissime commendans, bono fine quievit pridie Cal. Augusti anno 1274. ætatis 75. Sub ipso Claruit Henricus Stero ejusdem Abbatis Capellanus, Annalium scriptor orbi notissimus.

38. Albinus Abbas sexennium præfuit. Sub quo Henricus & Franciscus Ascetæ Altahenses ille in Biburg, hic in Metten, Abbates postulati sunt. Albino Rudolphus I. Privilegium dat super Muta Austriæ; Hugo de Sumerstorff, cognominem arcem cum pertinentiis donat anno 1224. & Eberhardus Comes de Pogen Arnpruck, &c. Moritur Abbas 1279.

39. Volckmarus Cœnobio præsedit annis duobus, mense uno & diebus novemdecim.

40. Poppo hoc nomine secundus, electus 1260. superioris Altaichis Abbas, vir magnæ prudentiæ & Religionis, per cujus industriam Ordo Monasticus in Ratisponensi Diœcesi cœpit multipliciter reformari. Hic cum supradicto Cœnobio 22. annis præfuisset, ad hoc Monasterium repetitus, multa prædia emit, & in omni vita DEO & hominibus amabilem se præstitit, obiit 4. Cal. Febr. 1289. cum sexennium huic Monasterio præsedisset.

41. VVernhardus ex Priore hujus loci, Basilicam, quæ hodie spectatur, illustrem construxit anno 1306. in cujus gratiam Ducis multa Cœnobio præstitére, obiit 1317. præfuit 28.

42. Fridericus Abbas annis quinque tenuit regimen & mensibus septem.

43. Rugerus alias Ingerus dictus de Degenberg, hujus loci professus, ad S. Viti Abbas postulatus, cum aliquamdiu laudabiliter præfuisset, huc revocatus & Abbas est salutatus anno 1323. sub quo ejus frater germanus cum pluribus insigni generis nobilitate huic se loco & Regulis devovere. præfuit annis 12. obiit Idibus Jan. 1335.

44. Ottho I. de Turri, præfuit annis 8. mortuus Cal. Novembr. anno 1343.

45. Petrus præfuit annis 18. obiit 1361.

46. Ottho II. rexit annos 6. obiit 1367.

47. Altmannus præfuit annis 35. mensibus 5. obiit anno Christi 1402. 6. Cal. Julij.

48. Joannes cogn. Neülich Edel. Sub hoc Bohemi plurima Cœnobio intulere in Zwihl, Abstorff, Grienbach, Abschlag & aliis locis, donec cæsi in fugam cogerentur. Præfuit annis 12. mortuus anno 1414. octavo Cal. Aprilis.

49. Joannes Khuelmundt de Regen. Interfuit Concilio Constantiensi cum 8 Equitibus ubi designatus est à summo Pont. una cum Abb. Mellicensi Ordinis per Bavariam & Austriam Reformator. Præfuit cum laude annis 20. variis structis ædificiis & aquæductibus, confectus senio resignat 17. Cal. Julij 1434.

50. Ethardus Reittorner, sub quo celebratum est Concilium Basileense, cui interfuit, & cum Abbate Scotorum Viennæ Ordinis Reformator renunciatus est per Austriam & Bavariam, obiit anno 1453. cum annis 19. præfuisset.

51. Albertus Danner de Braunaw. Hic se pro commodo & utilitate Monasterij exponens naufragio miserabiliter perit in flumine Isera descendendo de Landtshuot cum præfuisset annum unum, menses duos, dies 8. Jacuit 15. diebus in aqua donec repertus & in suo Cœnobio est sepultus Idibus April. 1454.

52. Petrus II. de Minchdorff Inferiori. Præfuit annis 12. mensibus 5. diebus 8 obiit 1467.

53. VVolfgangus Paulinger electus Prid. Cal. Nov. 1467. Emit argenteam S. Mauritii Imaginem. Præsedit monasterio annis octo, mensibus sex, mortuus anno 1475.

54. Fridericus, postulatus ex Monasterio Lambacensi, ob discordiam Fratrum & in Electione dissensionem. Subsellia templi è quercino ligno confici curavit, cui anno regiminis 9. Coadjutor adjunctus fuit è gremio R. P. Georgius Hauer, qui scripsit Chronicon Bavariæ, obiit Fridericus anno 1489. 18. Cal Febr.

55. Joannes III. Simerl, laudabiliter præfuit annis 13. obiitque anno 1502. 18. Cal. Januarii.

56. Ber-

56. Bernardus Liechtenstern præfuit 17. tantum hebdomades & obiit in festo S. Stephani.
57. Kilianus VVeidpeck, sub cujus regimine festo S. Marthæ turris Ecclesiæ cum 6. campanis concidit, sub Præfatione in D. Officio, omnibus præter Sacerdotem diffugientibus, quam ipse de novo condidit. Multa incommoda pertulit post mortem Georgii Bavariæ Ducis, hæredibus inter se pugnantibus, emit argenteam S. P. N. Benedicti imaginem & vita excessit, 16. Cal. Octobr. anno 1524.
58. Victor Lauser Landshutanus, Abbatiæ clavum non nisi novem mensibus rexit & vita excessit anno Christi 1535.
59. Gaspar Leitgeb, præfuit laudabiliter undecim annis, mortuus anno Christi 1546.
60. Matthias Thenscherz de Thuendorff, præsedit annis 5 & vivere desiit Cal. Julii 1550.
61. Paulus Gmainer electus 1550. ætatis suæ 22. Hic verus pauperum Pater & Monachorum extitit, qui sui regiminis tempore 118. ad Professionem admisit, è quibus quinque ad diversas Abbatias, Metten, VVeltenbur, Prüfflingen, Gleinck & Mansee postulati sunt. Reformavit splendide Ecclesiam, & novum DEIparæ Sacellum condidit. Decessit magna apud omnes virtutum & meritorum opinione anno 1585. Præfuit annis 34. mensibus 9.
62. Augustinus, alias Christophorus Strobel SS. Theol. Doctor per modum Compromissi electus. Struxit Dormitorium ob ruinæ metum. Præfuit annis 6. & totidem mensibus diebus 20. obiit 1592. hora 2. matutina inopinato. 10. Cal. Martij.
63. Quirinus alias Balthasar Gratenauer, qui post 9. menses vivere desiit anno 1592. 18. Dec.
64. Bernardus Hültz, electus 1593. Oeconomus felicissimus, in exornando templo liberalissimus, orphanorum & Patriæ Pater magno sui relicto desiderio moritur 12. Junij 1619.
65. Joannes Henricus Lutz de Rismanstorff VVolfgangi Cancellarii Ducalis filius vir religiosissimus, Promotor Salisburg. Universitatis Benedictinæ meritissimus, ejusdemque Præses primus. Rigoris Monastici Zelator ferventissimus, usum lanearum vestium, & perpetuam à carnibus abstinentiam introduxit, præfuit annis 14. mortuus Passavii 15. Maij 1634. sepultus sub Altari Congregat. B.M.V. Multa pro DEO & Religione perpessus.
66. Joannes Baptista Grienvvaldt. Præfuit annis 13. Ipsi Administrator adjungitur P. S. Mansuetus Widl. 1645. resignat 1648. Moritur Præpositus in Spitz 1660.
67. Thomas, Pauli Gmainer laudatissimi olim Abbatis Cognatus, subrogatur Grienvvaldio anno 1648. Cal. Maij. vir doctus, verum rerum Oeconomicarum imperitus, tertio ab Electione anno 1650. Canonicè resignavit. Inde factus Parochus in Schvvarzach moritur anno 1658.
68. Vitus Bacheneder Ingolstadiensis ex Præposito Rinchnensi Abbas electus 1650. rebus etiamnum præest.

## *ALTENBURGENSE.*

Benedictini Ordinis peramplum in Austria Inferiore Monasterium, fundatum anno Christi 1144. ab Hildeburge de Rebigau fœmina Religiosissima vidua Gebhardi Comitis de Buige, ejusque filio Domino Hermanno Comite de Buige egregiisque bonis, prædiis, Decimis & Donariis dotatum. Abbatum Catalogum subnectimus:

1. Godefridus ab Egemberto Passaviensi Episcopo cum Religiosa Monachorum colonia introductus, fundatione approbatâ & confirmata.
2. VVichardus Abbas secundus, præfuit Monasterio annis tredecim, & valedicens Fratribus DEO illic servientibus, moritur 2. Febr. anno 1182.
3. Erhenfridus è gremio electus ipso festo S. P. N. Benedicti anni 1182. administrata 14. annis Abbatia pie moritur, qui pie vixerat anno 1195.
4. Rudbertus patria Viennensis, sedit ad clavum Abbatiæ 16. annis, & ex hac vita ad meliorem emigravit 16. Augusti anno 1210.
5. Pabo Heydenheimensis ad gubernationem Abbatiæ invitus adigitur, præfuit utiliter annis 27. obiitque 18. Martii anno 1237.
6. VVintherus eligitur anno 1237. sorte Pater, sed corde favente per omnia Frater (ita Catalogus MS.) mortuus 1260. 9. Maij.
7. Udalricus Abbas salutatur anno 1260 præfuit annis 21. Vita excedit 3. Martii anno 1281, Fratribus sui desiderium relinquens maximum.
8. Conradus præficitur anno 1281. migravit ex hoc sæculo anno 1290. 15. Januarii.
9. Valchamus Bohemus illustri natus familia, præfuit prudentissimè annis 10. viam universæ carnis ingressus 26. Decembris anni 1300.
10. Seiffridus ex Priore loci Abbas consalutatur anno Christi 1301. Sub quo multæ fundationes & dotationes sunt factæ. Diem clausit extremum 5. Maij 1310.
11. Henricus Gottvicensis, de quo nihil præter nomen. Decessit 17. Januarii 1328.
12. Albertus Monacensis patria, sedit ad clavum annis 5. obiit 16. Februarii 1333.
13. Matthæus unanimiter eligitur 1333. Magnus proventuum Monasterii auctor, plenus dierum & meritorum obdormivit in Domino 21. Sept. 1356.
14. Seiffridus II. sub quo fundationes aliquot in Critzendorff factæ sunt, præfuit annis 24 multis curis exagitatus ad quietem æternam concessit anno 1380.
15. Seiffridus III. Ex Priore loci ad Abbatialem evectus dignitatem anno 1380. Mortalitatem exuit 10. Maij anno 1397.
16. Joannes Augustanus patria regimen aggreditur anno 1397. Pertæsus periculorum, cum Hussitarum crebas experiretur excursiones, alteri cedit honorem 1405.
17. Laurentius ex Mellicensi Archisterio postulatus anno 1405. miræ probitatis, & insignis scientiæ, Zelator egregius disciplinæ, Fratres suos ad æmulandum exemplo movit, ad requiem æternam vocatur 19. Januarii anno 1426.
18. Conradus Abbas renunciatur anno 1426. sub quo Ecclesia Stregensis & Rornbacensis post Hussitarum devastationem incorporatæ sunt; obiit 3. Maij anno 1449.
19. VVolfgangus Austriacus vita & moribus Nobilis, Fratrum amator, juvenis etiamnum Abbas salutatur ex gremio electus. Vita excessit anno 1459.

20. VVolf-

20. Wolfgangus II. de Meissau eligitur anno 1459. Extinctus 1. Septembris anno 1466.
21. Stephanus charus omnibus summo applausu Abbas consalutatur 1466. nec minore lamentatione sepulchro infertur 25. Januari anno 1481.
22. Paulus Kren, utilis Paterfamilias sexennium præfuit, mortuus 15. Novembr. 1488.
23. Mathæus II. Bavarus & ipse felix Oeconomus, vitam mortalem exutus 1491.
24. Laurentius castrum Marerstorffemit, è vivis excessit 9. Febr. anno 1502.
25. Joannes Premb electus 1502. Senio confectus honore se abdicat, moritur in Parochia ad S. MARIAM 1512. 18. April.
26. Andreas dictus Altenburger unanimiter eligitur anno 1511. Fuit primus Abbas Infulatus hujus Monasterii, pie defungitur 15. Novembris anno 1519.
27. Gallus Hornensis ex Priore loci Abbas decernitur 1519. ex hac mortalitate decedit 5. Novemb. anno 1552.
28. Leopoldus ex Priore item loci creatus Abbas, vir eruditus, præest ad usque annum 1575. diem 12. Junii, quo vivere desiit.
29. Georgius Strigel postulatus è Monasterio Scotorum dicto Viennensi anno 1575. præfuit triennium, & repetitus à Viennensibus suæ Professionis Cœnobio prælatus est.
30. Gaspar Hoffmann, & Monasterio Mellicensi postulatus anno 1583. ædificavit Abbatiam, verum à Mellicensibus ad sui Cœnobii regimen revocatus est 1587. ob. 1623.
31. Andreas Birch ex Præposito Ardacensi invitis Fratribus à Rudolpho II. Imp. obtruditur anno 1588. Moritur anno 1598.
32. Thomas Zienner Austriacus è Monasterio Mellicensi postulatus anno 1598. muro Cœnobium cinxit, Chorum construxit, multaque ædificia strenuè reparavit. Præfuit utiliter magna cum laude. Vitam deferens calamitosam in Thermis 10. Junii 1618.
33. Jonas Cantis Thuringus è Monasterio etiam Mellicensi postulatus anno 1618. quo ipso tempore ac deinceps motibus Bohemicis propinquis haud leviter concussus, sæpius fugam inire coactus, in eâ demum Viennæ 11. Martii 1622. obiit.
34. Georgius Federer Aichstadianus ex Priore loci Abbas, qui jam antea solus inter hostes perdurans Monasterium servavit & in sacris curavit. Moritur inter FF. manus 3. Sept. 1635.
35. Zacharias Frey unanimi consensu è gremio electus, vir Religiosus, cui proprius parens obedientiam præstitit; bello Suecico multis ærumnis confectus inter orandum apoplexia tactus moritur 9. Martii 1648.
36. Benedictus Leis Austriacus, VVeichendorffensis SS. Theol. Doctor è Priore Mellicensi Abbas postulatus 15 Augusti anno 1648 utilissimè & laudabilissimè præfuit, magnum cùm apud suos, tum alienos sui desiderium reliquit 2. Aug. anno 1658. apoplexia & ipse tactus, & in Domino quiescens; nobis etiam ob egregia animi talenta plurimum commendatus & charus, Requiescat in Sancta pace.

## ALTENBVRGENSE IN FLANDRIA ALIAS OVLDENBVRGENSE ET ALDENBVRGENSE.

Benedictinum magni nominis Cœnobium, initia primùm habuit à Sancto Ursmaro Flandriæ Apostolo, Laubiensi Abbate dein Episcopo, sub annum Christi 700. qui illic conditam Ecclesiam Monachis tradidisse creditur, illisque diu cohabitasse. Verùm vastatum postea à Normannis locum, sub annum Christi 1070. S. Arnulphus Suessionensis Episcopus restituit Monachis, & ipse aliquamdiu iisdem præstitit, donec Numinis voluntate & cogente Rege ad Cathedram suam reverti cogeretur. Abbatum Seriem damus.

1. S. Arnulphus Suessionensis Episcopus, Episcopatu aliquamdiu relicto, Monastica repetens studia, locum, potens verbo & opere, plurimum illustravit, multos circum vicinos ad Christiana sacra perduxit.
2. Arnulphus Junior, præcedentis nepos ex sorore, avunculi sanctissimi imitatus mores, subditis lux fuit lucens & ardens, vitam Antecessoris scriptori dictavit.
3. B. Gervinus è Monasterio S. VVinoci assumptus, post decem annos regiminis onus reliquit, & duobus annis supervixit, mortuus anno 1107.
4. Arnulphus III. è Monasterio S. Richarii Pontivensis acitus, cujus tempore corpus S. Arnulphi solemniter è terra elevatum fuit. Monachis Suessionensibus locum hunc ambientibus, sese opposuit. Scripsit vitam BB. Arnulphi & Gervini Antecessorum; & multas gratias ac donationes à Simone Tornacensi Episcopo meruit, remque Cœnobii strenuè promovit.
5. Balderamnus Abbas ex Priore Laubiensi claruit anno Christi 1145.
6. Marsilius postulatus è Monasterio S. Bertini annis 25. ad clavum sedit.
7. Hermannus, è Monasterio S. Nicasii Rhemensis postulatus ad annum 1187.
8. Balduinus è Monasterio S. Winoci assumptus vivere desiit anno 1200.
9. VVilhelmus Monachus S. Petri Gandensis, mortalem vitam reliquit anno 1211.
10. Henricus è gremio ad honorem Abbatialem evectus, hominem exuit 1226.
11. Gerardus, sub quo gravibus calamitatibus pressum Cœnobium ingemuit, Monachis ob paupertatem in varia loca dispersis. Moritur anno 1246.
12. Robertus ex Monasterio S. Martini Tornacensis. Vivere desiit anno 1250.
13. Joannes ex Monacho & Eleemosynario S. Petri Gandensis Abbas creatus, exstruxit Dormitorium, restitutoque feliciter Cœnobio, Monachos exules revocans, disciplinam restituit, & viginti annis præsedit.
14. Raso è gremio delectus, post octo annos Regiminis naturæ debitum soluit.
15. Joannes de Beculier vixit ad annum Christi 1307.
16. Joannes de Douza ex Monasterio S. Andreæ prope Brugas obiit anno 1329.
17. Rogerius ex eodem Monasterio assumptus quinquennium præfuit & obiit.

18. Ja-

18. Jacobus Tinctoris. Mortalibus valedixit anno Christi 1354.
19. Segardus Karlin vixit ad annum Domini 1382.
20. Nicolaus Abbas electus 1382. sedit ad clavum annos undecim. obiit 1393.
21. Georgius è S. VVinoci postulatus, cum annum præfuisset electus est Abbas VVinobergensis.
22. VVilhelmus Foiller, Monachus S. Bertini. præsedit Cænobio ad annum 1415.
23. Jacobus Cuc Prælaturæ regimen viginti sex annis tenuit, &c.
24. Joannes de VVidek. Parisiis mortem invenit & sepulturam in Ecclesia Collegiata S. Benedicti meruit.
25. Antonius Abbas vivere desiit anno Christi 1445.
26. Henricus sexennium præfuit.
27. Anianus postulatus è Monasterio S. VVinoci, cujus erat Præpositus, in Vinea Domini strenuè laboravit, temporalia & spiritualia restituit, Chorum ab Antecessore cœptum perfecit; corpus S. Arnulphi in Sarcophago argenteo & aureo summo populi concursu & plausu conclusit & elevavit. Ad æterna transiit 1462.
28. Clemens Ægidij Ducis Burgundiæ Comitisque Flandriæ Consiliarius, uno anno præfuit.
29. Raphael de Marentellis, filius Ducis Burgundiæ, Doctor Parisiensis, Monachus S. Petri Gandensis. factus postea Episcopus Rossensis resignavit.
30. VValtherus à Eacu postulatus ex Monasterio Blandiniensi præest ad annum 1489.
31. Jacobus Jacobi Ducis Burgundiæ Consiliarius, cujus tempore metu Selusani belli Religiosi ad alia loca profugere coacti sunt. Jacobus obiit anno 1500.
32. Jacobus de Conteville postulatus ex Monasterio Flierbacensi, resignavit fratri suo, electus ipse Abbas S. VVinoci.
33. Antonius de Conteville, canonicus antea Præmonstratensis. vixit 1516.
34. Joannes de Greboual Monachus S Salvatoris in Ham provinciæ Artesianæ, præfuit annis solummodo quatuor.
35. Christianus de Basserelde uno anno dominatus fuit.
36. Joannes Van der Verden, Monachus S. Andreæ juxta Brugas, post annos quinque resignans ad domum suæ Professionis revertitur.
37. Oliverius Van der Huyst è S. Andreæ similiter postulatur, Reformationem Bursfeldensem introducit. Mortis jura subiit anno 1568.
38. Gaspar de Bonincourt. præsul genere, pietate, scientia magnis talentis conspicuus. Scripsit plurima, quæ solidam redolent pietatem. Fuit postulatus è celeberrimo Aquicinensi Cænobio, & Altenburgense præclarissime in omnibus penè ædificiis restituit. A quatuor membris Flandriæ electus, Legationem ad Regem Catholicum summa dexteritate obiit. Decessit denique diuturno consumptus morbo, longo sui relicto desiderio. anno 1577.
39. Melchior Everardus, præfuit eo tempore, quo Flandria tota bellis ardebat, ita ut dispersis quaquaversum Asceris aggregandis, aut disciplinæ restaurandæ, quod plurimum desiderabat nulla facultas daretur, quo etiam superstite, à Calvinianis penitus eversum est Monasterium.
40. Joannes Beurier, post annos septem regiminis hujus loci, postulatus Abbas Sancti Andreæ juxta Brugas, titulum Administratoris hujus loci retinuit.
41. Maximilianus d'Enghien è Monasterio S. Vedasti Atrebatensi postulatus, illata iniquis temporibus Cænobio damna, magna industria sublevavit, sed & disciplinam labefactatam insigni Zelo instaurare satagit, cui DEus per omnia adesse dignetur.

## ALTENSTATTENSE.

SAcræ Cistertiensis, candidæ Benedictinæ Reformationis in Ducatu Brunsuicensi florentissimum olim Cænobium, conditum à Brunone Werdensi, ex Monacho Corbeiensi, Episcopo, nato Saxoniæ Duce, postea Romano Pontifice, nomine Gregorij V. viro sanctissimo sub annum Christi 960 Olim Ulsen appellatum fuit. De quo sequentes superant Versiculi:

*Contulit iste suum sacros patrimonium ad usus*
*Cænobiumq; Ulsen, MARIÆ fundavit honori.*
*Ex hoc Pontificem Romanum Tertius Ottho*
*Fecit ut ejus ope acciperent Septemviri honores.*

Ultimus Abbas Heino & Prior Joannes Lubeck, cum octo qui tot cladibus, mutatâ passim per provinciam Religione, superant & calamitatibus pressi inopia anno Christi 1529. Duci Lutherano resignant.

## ALTIMONTENSE.

BEnedictini Ordinis Mangnificum in Hannonia, Monasterium, à Madelgario Comite Hannoniæ anno Christi 636. loco divinitus designato fundatum; haud multo diverso, loco quo DEus condi vellet, miraculo nivis, ab eo quo Romæ DEIparæ ad Nives, exstrui designaverat. Abbatum nomina ex ordine recensemus.

1. B. Madelgarius, qui in professione Monachica, Vincentij nomen accepit, idem & primus Fundator Cænobii, & Abbas, qui cum aliquamdiu loco sanctissime præstitisset, cum nimio illic concursu frequentaretur, humanos plausus fugiens, Sonegias locum desertum petiit, & aliud illic condens cænobium, in eodem vitætransigens reliquum, in Domino obdormiit.
2. S Landricus filius prædicti S. Vincentii seu Madelgarii, qui relicto Episcopatu Meldensi, cucullum complexus, à morte Patris utrique Cænobio Abbas præfuit.
3. Halidulphus Abbas magnæ pietatis & apud Principes Auctoritatis. S. Ansbertum exulem suscepit, cujus causa cum Pipinum audacter conveniret, in reditu defunctum reperit, & Fontanellam sepeliendum transtulit Egit sub ipso primum S. Vulmarus Boloniensis postea Cænobii conditor, qui apud Altimontenses diu subulcum strenue gessit, & vilissima quæque munera obiit. Claruit Halidulphus Anno 675.
4. Incerta Abbatum per annos 220 series Normannis aliisque hostibus domum DEI vastantibus, ita ut nongenti uno eodemque tempore ab iisdem memorentur Martyrio sublati. Quo tempo-

ris intervallo S. Gerardus Beoniensis & B. Ratherius ex monacho Laubiensi Veronensis Episcopus, loco præfuisse scribuntur.

5. B. Richardus primus post integram loci restitutionem Abbas, præcipuus Monasteriorum Belgij restitutor, relicto Virdunensi Cænobio, huic aliquamdiu præsedit.

6. Fulcuinus à B. Richardo Abbas designatus, totum fere Monasterium reparavit, plurima à Clericis, qui locum prius invaserant, perpessus.

7. S. Poppo & ipse Belgii Cænobiorum restitutor, loco huic sex fere annis præfuit & profuit.

8. Everhelmus S. Popponis nepos ex sorore, avunculum suum strenuè imitatus, & huic & S. Petri Gandensis Cænobio Abbas præfuit; & ejusdem cognati sui extremis adstitit, cui sanctus omnia secretiora revelavit.

9. Ursio, cujus tempore inventum fuit corpus S. Marcelli Papæ & Martyris, tempore vastationis Normannicæ absconditum, cujus translationis Historiam Ursio scripsit, ad Episcopum Cameracensem Lietbertum.

10. Veridicus, qui cum Ida Hannoniæ Comitissa Hierosolymam profectus est devotionis causa, anno Christi 1079.

11. VValbertus Abbas jura Monasterii contra VVallerum Advocatum insolentius se habentem strenue defendit, superstes anno 1120.

12. Mainardus Abbas.

13. Henricus Abbas Altimontensis.

14. Clarembaldus ex discipulis præcipuis D. Gosuini Abbatis Aquicinctini scientia ac moribus conspicuus, gregem exemplo & doctrina pavit, nonnullaque scripsit quæ Hannoniæ Historiographus memorat in Syderibus Hannoniæ. Hujus tempore Lucius III. Pont. Max. Ecclesiam Altimontensem dedicavit.

15. Robertus vir præstantissimus, cujus tempore Monasterium hoc & eruditione floruit & disciplina, à viris Illustrissimis egregiè celebratum. Inprimis Rogerus Laudunensis Episcopus sic testatur: *Ecclesia Altimontensis bonum circumquaque Religionis & charitatis fudit odorem.* Et Jacobus Princeps Auesnensis Altimontensium libertati consulens eosdem vectigalibus liberat, ea tamen conditione, ut studia promoveantur litteraria, & *Domus eadem Alumnorum scientia* & probitate teneatur. Vita excessit Robertus Abbas anno 1185.

16. Radulphus cœptum murorum ab Antecessore circuitum Monasterio obduxit, & ab Archiepiscopo Lugdunensi Reliquias S. Thomæ Cantuariensis impetravit, qui etiam Archiepiscopus Monasterij disciplinam plurimum amavit & commendavit.

17. Matthæus Abbas claruit anno 1212.

18. Gualbertus Abbas Godefrido Cameracensi Episcopo amicitia & affinitate junctus.

19. Gossuinus Abbas de quo nihil præter nomen reperimus.

20. VValterus Abbas, pro Vestiario hæc constituit, ut singulis annis quivis Monachorum habeat pelliciam, altero anno tunicam cum duobus paribus manicarum de panno ordinato, præterquam de Saia, de Snistole, de Schaffario, de cordato, &c. claruit anno 1245.

21. Henricus.

22. Guido 1290.

23. Petrus Abbas.

24. Hugo de Mauraius, Nobilitate clarus (ut MS. ait) & constantia munitus, res & Privilegia Monasterii egregiè defendit.

25. Stephanus Abbas Altimontensis, claruit anno Christi 1305.

26. VValtherus eo nomine secundus, de quo nihil præter nomen.

27. Hugo de VVasmioel, qui à Petro Cameracensi Episcopo festum S. Vincentii sive Madelgarij primi Abbatis solemniter celebrari impetravit, claruit 1320.

28. Jacobus de Bengnies vel Vergnies laudabiliter præfuit anno 1337.

29. Nicolaus de Musie claruit anno Christi 1357.

30. Balduinus de Maude de Monasterio suo optime meritus. Vixit ad annum 1367.

31. Nicolaus de VVasme, turrim Monasterii construxit instruxitque campanis, sed & Monasterium ampliavit. Claruit anno 1394.

32. Ægidius de Montignies interfuit solemni translationi SS. Reliquiarum S. Aldegundis, factæ anno Christi 1413.

33. Theodoricus du Chasteau Abbas Altimontensis, ob egregiam in administrandis rebus prudentiam, postea creatus Coadjutor D. Petri de la Croix Abbatis Gisleniani, cui & successit. Moritur & sepelitur apud Ghislenianos 1458.

34. Hugo Abbas, interfuit Translationi S. Ursmari & aliorum SS. Laubiensium 1459.

35. Enguerrandus Doctor Theologus Episcopus Autisiodorensis à conscientia Caroli Burgundiæ Ducis, à Maximiliano Archiduce Abbas Monasterio impositus Vita excessit anno 1485.

36. Guilielmus Boville Monachus Cluniacensis SS. Theol. Doctor, ex Priore S. Salvii juxta Valencenas Abbas hujus loci.

37. Joannes Briselet Doctor Sorbonicus Carolo V. Imp. à Secretis, Primas Sardiniæ Prior S. Salvii & S. Georgii in Artesia.

38. Guilelmus de Croii Abbas Affligemiensis Cardinalis, & Primas Hispaniæ Archiepiscopus Toletanus, Abbas simul hujus loci.

39. Carolus de Croii Monachus Affligemiensis postea Episcopus Tornacensis, Abbas Gislenianus & Affligemiensis, hujus loci Administrator, qui retenta sibi pensione alios sibi Abbates hîc substituit.

40. Nicasius le Clerque Abbas, ex Priore Gisleniano: Reformationem Bursfeldensem quam teneris annis ad S. Ghisleni imbiberat, huic loco introduxit, claruit 1530.

41. Leodegarius Pronier, ex Aquiscincto postulatus, Monasterium ædificiis variis belle excoluit & pro Reliquiis S. Marcelli Sarcophagum pretiosum comparavit, obiit 1560.

42. Nicolaus Fournier ex gremio hujus loci assumptus cum laude aliquot annis præfuit, demum annis & valetudine pressus, Malbodium se recipiens, ibidem vivere desiit anno 1598.

43. Jaspardus Hanno Abbas eximiis animi ornatus dotibus, ac singulari pietate enituit, suumque hoc Monasterium & ædificiis & aliis Ecclesiæ ornamentis belle excoluit & cumulavit, præfuit annis 37. Mortuus anno 1625.

44. Po-

44. Petrus de Jenne doctrina ac pietate insignis, totam patriam sua prudentia & dexteritate demeruit. Mitram ab Urbano VIII. accepit
45. Petrus II. Le Boueque superstes etiamnum egregius Cultor vitæ Religiosæ & disciplinæ monasticæ.

## AMELUNXBORNESE.

Benedictinum Reformationis Cistercienfis in Ducatu Brunsuicensi Monasterium, fundatum à Nobili Domino Sigfrido ab Homburg anno Christi 1135. Catalogum brevem Abbatum subjicimus.

1. Henricus claruit anno 1141.
2. VVarnerus anno 1171.
3. Hoico moriturанno 1190.
4. Everhardus anno 1204.
5. Godescalcus.
6. Theodoricus anno 1236.
7. Araolus anno 1257.
8. Mauritius anno 1271.
9. Balduinus anno 1292.
10. Bartramus anno 1303.
11. Gitelerus anno 1312.
12. Ludolphus anno 1359.
13. Engelbertus anno 1363.
14. Joannes Masker.
15. Henricus Riskolffanno 1400.
16. Reinerus anno 1417.
17. Herwicus anno 1427.
18. Joannes anno 1433.
19. Sanderus anno 1439.
20. Joannes Secundus anno 1464.
21. Henricus ab Horna anno 1466.
22. Joannes de Dassel. anno 1477.
23. Bernardus de Haselen 1483.
24. VVarnerus de Insula vir decem pedum memorabili corporis proceritate anno Christi 1487.
25. Geverhardus Masken 1498.
26. Hermannus Contafutoris anno 1514.
27. Vitus Teckemeister 1555.
28. Andreas Steinhauer Anglus.
29. Vitus Bussius anno 1588.
30. Antonius Georgii, anno 1598.
31. Theodorus Berckelmann 1625. obiit 1645.
32. Statius Fabritius Doctor 1647. Vita excessit 1650.

## S. ANDREÆ PROPE BRUGAS.

Fundatum pro Benedictini Ordinis Religiosis Monasterium à Roberto Frisio Flandriæ Comite potentissimo, dotatum à Tachmaro viro præpotente, qui se denique ipsum DEO ibidem, Monasticen professus, obtulit, vitamque Sancto fine complevit. Causa Fundationis primæ ipse S. Andreas Apostolus fuit: cum enim præfatus Robertus in expeditione sacra moraretur, S. Andrea revelante Dominicam lanceam invenit, & hàc munitus memorabilem Victoriam ex hostibus retulit, jussus pro gratiarum actione ab eodem Apostolo, suo nomini Cœnobium exædificare, quod & fideliter præstitit, & locum Afflıgemiensis Abbatis disciplinæ subjecit, donec ita cresceret opibus, ut è gremio Abbatem possent designare. Monasterio primum præpositus est à Fulgentio Afflıgemii Abbate Ludolphus vir eximius, qui postea Abbas Oostbrocanus designatus fuit, qui & librum de origine hujus Cœnobii composuit. Sub quo Tachmarus vir potens, alter loci Fundator dici meruit, & ipse demum Monasticæ vitæ se devovit. Secundus loci Præpositus fuit Alardus, Antecessori vitæ perfectione & laude quam simillimus. Sequuntur Abbates:

I. Hugo primus Abbas constituitur & à Clemente III. confirmatur, claruit anno 1:0⁶.
II. Paylbicus ex Monasterio S. VVinoci postulatus, moritur anno 1119
III. Joannes è gremio assumptus, vix annum præfuit & honore cum vita decessit.
IV. VValtherus sive Gualtherus decennium præsedit.
V. Godefridus ex Aquicinensi Monasterio postulatus, Cœnobium muris cinxit & sex annis utiliter ad clavum sedit
VI. Guilelmus è S. Bavonis postulatus, rem domesticam mirè promovit & auxit, sub quo plures hinc ad regimen aliorum Monasteriorum assumpti sunt, præfuit decennium.
VII. Lambertus ex gremio Cœnobii ad Abbatiam promotus.
VIII. Henricus ex Priore hujus loci, Abbas designatus claruit anno 1279
IX. Joannes secundus eo nomine annis ferè undecim gubernacula tenuit.
X. Petrus Harekulier anno Christi 1307. è vivis excessit.
XI. Henricus de Colonia unum solummodo annum rebus præstitit.
XII. VValtherus utiliter Monasterio præsedit & laudabiliter sub quo 25. convixere.
XIII. Rogerus ad Aldeburgense postea Cœnobium postulatus.
XIV. Joannes III. de Senecole, rexit ad annum 1340.
XV. Michael de Sissele quinque solummodo annis ad clavum sedit
XVI. Gerardus Doucherè: Contulit Domui Carthusianorum, quæ in Dominio sui Cœnobii B. Maria revelante construebatur plus quam centum mensuras terrarum, mercedem bonam mediante Matre Misericordiæ recepit 1374.
XVII. Henricus de Clethem.
XVIII. Joannes IV. dictus Choderius claruit anno Christi 1385.
XIX Joannes eo nomine quintus, rebus annos 33 præfuit & devixit.
XX. Sigerus de Coste diutissimè præsedit ad annum usque Christi 1456.
XXI. Joannes VI. de Steenburgh, carne solutus anno Christi 1461.
XXII. Petrus Maest. resignavit anno 14.--
XXIII. Judocus Ruffant Asceta S. Bavonis sub quo graves clades tempore belli perpessum fuit Monasterium. Ipse decessit anno 1488.
XXIV. Michael de Cupere; qui ob nimiam Cœnobii afflictionem resignavit.
XXV. Balduinus Vilaius SS Theol. Doctor ex Minorita Abbas Reformationem Bursfeldensem Cœnobio induxit, non sine aliquorum contradictione. Fuit Suffraganeus Episcopi Tornacensis, & vivere desiit anno 1519.
XXVI. Rolandus Steeland. Hic successore designato fit Abbas S. Winoci.

XXVII. Joannes Asset ex Monacho S. Vedasti & Præposito Hasprensi Abbas hujus loci; optime meruit, postea creatus Abbas Aquicinctinus moritur 1556.

XXVIII. Joannes van der Waede, ex Monacho hujus loci, Abbas Aldenburgensis postulatus, inde hûc revocatus disciplinæ promotor Regularis, vivere desiit, Anno 1559.

XXIX. Joannes de Bleu, quo præsidente tantopere disciplina floruit, ut inde sibi perfectionis exemplaria vicina peterent Monasteria, obiit anno 1591.

XXX. Nicolaus Michaelis ex Priore loci, sub quo gravi bello vexata provincia Monasterium ab Hæreticis vastatum fuit, & sic ad annum usque 1632. mansit, ipse obiit 1594.

XXXI. Petrus Aimericus SS. Theol. Doctor ex Dominicano Benedictinus, fuit Alexandro Parmæ Duci, Belgii Gubernatori à rebus Conscientiæ, ubique laudabilis, obiit 1616.
Intulit Cœnobio pedem S. Philippi, quem ex Anglia meruit.

XXXII. Joannes Beurier ex Monacho & Abbate Altenburgensi etiam hujus loci Abbas utrobique rem sanctè & præclare gerit, moritur 1619.

XXXIII. Henricus van den Zipe, ex Monacho & Priore S. Joannes Iprensis & Præposito Affligemiensi hujus loci Abbas, Eruditione & pietate clarissimus, varia ingenii monimenta reliquit, eaque inter *Gregorium Benedictinum* & alia plura. Idem Pater pauperum & desolatorum audiit.

## S. ANDREÆ IN CASTRO CAMERACESII.

Fundatum est hoc Monasterium Ordinis S.P. Benedicti anno Christi 1025. à Gerardo Cameracensi Episcopo; & multis possessionibus ditatum, cum jam plurima alia ejusdem Ordinis restaurasset & exornasset. Intulit idem huic loco omnium fere Sanctorum qui in Hannonia & vicinis provinciis coluntur Reliquias, & speciatim corpora integra Sanctorum Sairi Sacerdotis & Maxellendis Virg. & Mart. Abbates suo ordine recensemus.

1. Gilbertus primus Abbas, frater Fundatoris Episcopi, præfuit annis 19. laudabiliter, adducta colonia lectissima Monachorum ex Cœnobio Virdunensi.
2. Waldricus superstite etiamnum fundatore ordinatus Abbas præfuit, annis 36.
3. Guifridus & ipse similiter 36. annis præsedit.
4. Gerlandus sive Gerlaudus annis quinque Monasterio præfuit.
5. Dodo Abbas post quatuor annos onus deposuit.
6. Petrus sexennium ad clavum sedit.
7. Adam eximia vitæ integritate & magnis meritis Abbas. Cœnobium sub ipso an antecessore exustum præclare restituit, iterumque simili calamitate absumptum denuo excitans, non minus sacra structione, & insigni Religiosæ disciplinæ promotione generosissimum se præbuit, quin & Hospitalitatis laude post tanta incommoda mirifice claruit, qui demum senio & laboribus confectus, onus abjiciens cum quinquaginta annis præfuisset, non multo post in Domino requievit, fuit autem ex Monasterio S. Vincentii Altimontensis postulatus.
8. Odo ex Abbate Fidemiensi huc postulatus non minus prudentia quam generis Nobilitate præstans, utiliter annis tredecim Cœnobio præfuit.
9. Waltherus à suis electus, & post sesquiannum ab iisdem repulsus Romam profectus ibidem moritur.
10. Radulphus Monachus Noviomensis favore Rhementis Archiepiscopi introductus, cum tribus mensibus præfuisset, honore cedens ad suos redit.
11. Matthæus Abbas S. Quintini in Insula ad hujus Monasterii regimen expetitus; non multo post odiosus, & ipse cedere cogitur.
12. VVilhelmus hujus loci Monachus Abbas electus, incertum quamdiu præfuerit.
13. Amandus ex Marchianensi Cœnobio postulatus, Monasterium S. Andreæ ab Antecessoribus exhaustum in meliorem statum restituit. Sed & disciplinæ Monasticæ consuluit. Vita excessit anno 1201.
14. Alardus ex Monacho S. Sepulchri hujus loci Abbas biennium præsedit.
15. Petrus Marchianensis Ascera, utiliter præfuit, sub quo S. Maxellendis miraculorum gratia plurimum ibidem floruit, & frequentata fuit 1208.
16. Balduinus è gremio assumptus, regimen annis 27. tenuit.
17. Ægidius cum 32. annis Prior extitisset Abbas electus, 5. annis utiliter præfuit.
18. Joannes de Baiien ex Monacho S. Gisleni postulatus, cum laude præstitit ad annum usque Christi 1271.
19. Alexander de Castro ex gremio assumptus; rei publicæ præfuit annis quinque.
20. Joannes de Croix, obiit in festo Nativitatis B. M. V. anni 1289.
21. Joannes de Bermerain annis 10.
22. Arnulphus de Oysiaco annis 6.
23. Joannes de Houlincourt, annis 4.
24. Thomas de Muro mon. Crispin. annis 6.
25. Joannes de Liesies, annis 11.
26. Hugo de Masset annis 14.
27. Jacobus de Bruleo, annis 10.
28. Ægidius Cordelois, an. 27. ob. 1387.
29. Joannes Logier, annis 19.
30. Joannes Vendeville, an. 10. ob. 1436.
31. Joannes du Pouciel, an. 34.
32. Joannes Soris, præfuit annis 33.
33. Jacobus de Croij Archiepiscopus Cameracensis, in dissensione eligentium à nonnullis Abbas salutatus.
34. Amanius de Allebreto S. R. E. Cardinalis nepos Jacobi de Croy, qui ipsi resignavit, qui post biennium jus eligendi Monachis restituit.
35. Petrus Briquet Archidiaconus Antwerpiensis & Canonicus Cameracensis ultro & sponte à Monachis Commendatarius Abbas eligitur, qui tamen præter morem Commendatariorum (non, ut doctissimus fert ------) religiose & laudabiliter ad annum usque 1519. Monasterio præfuit.
36. Andreas de Nivelle Vicarii, non Abbatis, nomine, per discordiam Fratrum gubernavit Cœnobium,

nobium, tribus annis, Petro etiamnum superstite, nec indigne ferente.

37. Joannes Cauchie è gremio electus, vir per omnia absolutus, rei domesticæ æque ac Monasticæ consulens, præfuit annis 17. & obiit anno 1552.

38. Joannes de la Pierre sub quo civitas una cum Cœnobio igne consumpta est ab Henrico II. Gall. Rege, quod Hispano contra Gallos favissent, obiit Joannes anno 1565.

39. Antonius de la Molla Basilicam & Abbatiam de novo struxit & de omnibus benè meritus decessit anno Christi 1584.

40. Antonius de Gomiecour è S. Vedasti postulatus, de cujus successoribus, nobis non constat.

## ANDRENSE.

Ordinis Benedictini Monasterium in finibus Artesiæ, conditum à Balduino Ghisnarum Comite, postquam à peregrinatione ad S. Jacobum Compostella reversus est, adducta secum colonia Ascetarum Carofensium, quorum religiosa disciplina plurimum delectabatur; quorum etiam Cœnobio Andrense subjecit.

1. Abbas ab ipso Fundatore adductus fuit Gillebertus, qui primum Prioris titulo locum gubernavit annis 9. inde invalescente fortuna Cœnobii Abbas renunciatus, ad clavum annos quindecim utiliter sedit, & carnem exuit anno Christi 1108.

2. Rainaldus, post quatuor annorum interstitium è Carofensi postulatus Cœnobio, Comitibus gratissimus extitit, à quibus multa accepit, & rem Cœnobii in ædificiis & reditibus plurimum promovit, & senio confectus atque laboribus, migravit ad Dominum 1126. sede denuo 4. annos vacante.

3. Petrus & ipse ex Carrofensi Monasterio postulatus vir undique laudabilis, genere Nobilis, exquisitæ pietatis & Religionis, sub quo incendio periit Monasterium, ab ipso tamen ope Nobilium splendide restitutum. Tandem equi lapsu contracta infirmitate, magno cum dolore suorum vita excessit. Abbatiâ rursum quatuor annos vacante.

4. Guffridus Carrofensis & ipse Monachus. Vir per omnia absolutissimæ perfectionis, verbo potens & exemplo, Disciplinæ Monachicæ promotor, Hospitum liberalissimus receptor, pater pauperum & orphanorum, post 14. regiminis annos ad præmia æternitatis vocatus.

5. Gregorius nepos Manassis Ghisnensis Comitis, hujus primum Cœnobii asceta, dein Carrofensis ante Guffridum electus, sed à Milone Morinensi Episcopo non admissus, nunc denuo electus & confirmatus, post quadriennium in multis accusatus exauctoratur.

6. Petrus Muniet ex Priore Fraxineti electus Abbas cum Religiosos plerosque è summâ quidem Nobilitate receptos, claudos, strabones, monoculos, deformes intueretur, statuit ne deinceps talibus Monasterium pateret, sed repulsam paterentur. Principibus Charissimus extitit, multa præclare gessit, disciplinam promovit; S. Thomam Cantuariensem per terram Ghisnensem Romam deduxit. Mortuus est anno 1194. circiter, & in vestibulo templi sepeliri eligens ante altare summum honorifice est conditus.

7. Hilarius Eleemosynarius antea Carrofensis, vir litteratus, Jura Cœnobii egregiè defendit. Ad Hamensem postulatus prælaturam hanc deseruit. Cæterum litigantibus de successione Carrofensibus atque Andrensibus, isti prævaluere.

8. VVilhelmus, eruditione non minus excellens quam Religione, Monasterii rebus præclare consuluit. Missus à sede Apostolica ad Carrofenses ab his etiam electus Abbas ubique se insigniter commendavit. Scripsit Chronicon Monasterii, & claruit anno salutis 1234.

9. Quis dein VVillelmo sive VVillermo successerit non constat; certe huc usque uti & posteros Abbates indagare nequivimus. Quievit in hoc Monasterio corpus S. Rotrudis, quod S. Rictrudis esse prædictus VVillermus asseruit, Marchianensibus reclamantibus, & corpus ostendentibus, quod forte post VVillermi tempora eodem relatum fuit.

## AMORBACENSE.

Ordinis S.P.N. Benedicti, impensis Caroli Martelli ejusque filii Pipini fundatum à S. Pirminio Meldensi Episcopo, discipulo S. Mauri anno Dominicæ Incarnationis 734. fundum elargiente & structioni cooperante Richardo Franckenbergensi Comite. Abbatum brevem Catalogum subjicimus.

1. S. Amor, à quo cognominatum est Cœnobium, discipulus S. Pirminii prædicti, ab eodem primus constitutus Abbas, locum egregia sanctitate initiavit, cœloque & terris gratiosum & venerabilem reddidit, qui quamdiu & ipse & posteri ac successores præfuerint, nec dum sedulo indagando reperimus.
2. Spato.
3. Joannes.
4. Bodeboldus.
5. Ludovicus.
6. Richardus.
7. Godofridus.
8. Giselherus.
9. VVipertus.
10. Henricus.
11. Fridericus.
12. Conradus.
13. Hermannus.
14. Gerhardus.
15. Fridericus.
16. Ottho.
17. Eberhardus.
18. Godefridus II.
19. Fridericus II.
20. Boppo.
21. Theodoricus.
22. Henricus.
23. Jodocus.
24. Joannes.
25. Jodocus.
26. Joannes.
27. Petrus.
28. Jacobus.
29. Valentinus.

30. Matthæus.
31. Judocus.
32. Theobaldus.
33. Joannes.
34. Erhardus.
35. Craffto.
Cæteros desideramus.

## ALTENBURGENSE.

Diversum à supradictis in Austria & Flandriæ Cœnobiis, Benedictini similiter Ordinis, in Saxonia, de cujus tamen fundatoribus & origine nihil certi habemus.

## ANGELOMONTANUM.

Vulgo Engelberg celebre Benedictini Ordinis in Helvetia Monasterium, fundatum à B Conrado Libero Barone de Seldenbeuren, DEI ac DEIparæ in cœlum assumptæ honoribus anno Christi 1120. Calendis Aprilis Feria V. editis Fundationis litteris, loco cœlesti prodigio designato, postquam structuram frustra in pago Buochs sæpius tentasset, concidentibus statim quæ struxerat, indomiti bovis ductu, & Angelorum concentu aream designantibus; nomen inde Cœnobio à Calixto II. impositum usque hodie manet, *Montis Angelorum*. Monasterio recens ædificato, sibique ipse præfecit, Monasticen ibidem professus Conradus Fundator, Adilhelmum consummatæ virtutis virum, sub cujus Magisterio tantis ipse profectibus excelluit, ut sexto post anno ad Martyrii purpuram maturuerit. Missus namque ab Abbate pro curandis tuendisque Monasterii rebus, quas nonnulli sacrilegè invaserant, à scelerato quodam ad insidiosa vocatus colloquia, inter simulatos amplexus occiditur anno 1126. 2. Maji. Sacrum ejus corpus in Ecclesia Monasterii ad altare S. Adilhelmi quiescit, signis ac virtutibus gloriosum. Abbates ordine recensemus.

1. S. Adilhelmus sive Adelhelmus, vir raræ virtutis, admirabilis abstinentiæ & perfectæ Sanctitatis, ab ipso Fundatore B. Conrado præficitur Monti Angelorum anno 1120. Claruit vivus insigni Prophetiæ & miraculorum dono & gloria, obiitque octogenario major anno 1131. die 25 Februarii. sepultus in sua Angelomontana Ecclesia, veneratione populi & frequentia miraculorum in hunc usque diem percelebris.

Justo DEI judicio subsequuti sunt, quos S. Adilhelmus, pro suo quo claruit prophetico spiritu subsequuturos pronunciaverat, Luitfridus, Welffo & Hesso, tres de prima quidem nobilitate, profligatioris tamen vitæ Abbates, qui vitiis potius quam officiis sibi succedentes, merito, imo vero demerito suo proscripti, & è numero Abbatum Engelbergensium expuncti sunt.

2. B. Frowinus. Vir, ut verustissimum habet Chronicon, *Doctissimus, Sapientissimus, Religiosissimus*, omniq; virtutum ornatu præditus, qui collapsam disciplinam præclarissimè restituit. Insignem & copiosissimum Tractatum de Libero Arbitrio, Commentarium in orationem Dominicam & alia quædam opera edidit, quibus doctrina & floridior ejus scientia comprobatur. Id viri sancti pretium est, ut Einsidlenses & Blasiani in Hercinia de eo, utrique tanquam de suo decertent ac glorientur. Frowinum è S. Blasio postulatum Angelomontanorum constans opinio fuit. Præfuit vir Sanctus profuitque Monasterio suo annos ferè 20. & supra, sanctissimeque, obiit anno 1178. die 27. Martii.

3. B. Bertholdus, vir suavissimis moribus & tenerrimo in suos affectu Charitatis. Ob virgineum pudorem quem toto vitæ suæ tempore præ se tulit, virgo meruit appellari. Altissima rerum humanarum juxta ac divinarum cognitione, variisque revelationibus illustratus est, quibus multa arcana habuit compertissima. Quale & illud: quod mortem Imperatoris Friderici Ænobarbi in sacra sua Expeditione prope Tharsum aquis haustii, ipsa die & hora divinitus cognovit, & fratribus eo nuncio stupentibus prædixit. Ut erat in studio orationis assiduus de vivis & mortuis suis suffragiis optimè meruit. Horum animæ visibiliter aliquando viro Sancto apparentes, de sua liberatione condignas gratias egêre. Abbatem S. Joan. in Valle Thuræ resurrectionem corporum negantem egregio, qui extat, libro, solidissimisque rationibus convicit, & ad saniorem mentem revocavit. In lacu quatuor Cantonum prope Stanstad ex utroque cymbæ latere, qua Bertholdus navigabat Lucernam, innumerabilis turba pisciculorum, quos Albulos vocant, novum & nunquam visum antehac, ea tempestate piscium genus, obviam sese obtulit, ceu gratulabundi & venerabundi tanti viri adventum, quibus cum ille dextra præsignando crucem, benedixisset, quievere, & secundum hæc singulis annis, eodem fere recurrentis anni tempore, copiosa præda piscantibus sese obtulit, indeq. in hodiernum diem beneficium apud incolas manet, Arcetis Angelomontanis tributarium. Sub finem vitæ, raro æterni meriti prodigio, & singulari specialis divini favoris argumento, aqua ex fonte, quem vir Sanctus designaverat, tertio hausta, tertio prodigiosissime in vinum generosissimum conversa est. Fons deinceps Fons Abbatis dictus, febricitantibus maximè salutaris. Sacrum ab eo die, quo Sacerdos ordinatus est, nullo unquam die, nec supremo quidem, quem vixit, celebrare desiit. Diem & horam mortis suæ fratribus prædixit, & sereno vultu, luculento gestientis animi, & cœlestia prægustantis indicio, mortalitatem exuit anno 1197. die Novembr. tertia.

4. Henricus de Wartenbach, nobilissimo prognatus sanguine, qui omnes præclarissimi Abbatis partes sustinuit, annis omnino 26. & in pio Domini osculo anno 1223. die 29. Dec. requievit. Erat vir maximæ auctoritatis, Augustissimis Imperatoribus, Philippo II. Othoni IV. & Friderico II. inprimis charus, à quibus sibi suoque Monasterio amplissimas gratias impetravit. Sub ipso Cœnobium voraci absumptum flamma est, quod tamen ille præclare, è cineribus resuscitavit, & splendidius condidit. Tempore hujus Abbatis Henricus Sacerdos de Buochs, Ecclesiam Monialium in Monte Angelorum, juxta Monasterium Monachorum, in honorem S. Andreæ Apostoli construxit ac de utroq; Cœnobio optime meruit, subq; vitæ finem Monachis ipse accensus

à monte

à morte in condito à se Virginum Cœnobio sepeliri meruit. Sub annum 1218.

5. Henricus Alnoldus, annos 17. præfuit & anno 1241. die 14. Oct. vita excessit.

6. Wernherus Stauffacher, octennium ad clavum utiliter sedit, mortuus 13. Febr. anno Christi 1250.

7. Waltherus ab Iberg, qui, incertum, ultron', an coactus, Abbatiali munere decessit 2. Febr. 1267. Sub ejus regimine ab Eberhardo Constantiensi Episcopo, insimul moniales 42. sacro velo amictæ sunt.

8. VValtherus de Chamo, primæ Nobilitatis magnique nominis vir, probatæque Virtutis, qui postquam de utroque Angelomontano meruit Cœnobio quam optimè, feliciter diem supremum, obiit 1276. 3. Febr.

9. Arnoldus de Wyle, Abbas *Bonus, Fidelis & prudens* prædicari meruit, felicique exitu diem clausit 29. Junij 1294.

10. Ludovi Udalricus de Bernauw humanis rebus exemptus 1298. die 30. Martii.

11. Rudolphus Scheitlieb, sive Schertlieb concordibus suffragiis Abbas electus 1298. in temporalibus non minus providus quam sacris, Monasterium insigniter demeruit. Verum hoc incuria cujusdam Afceræ Subdiaconi incineratum, majorem suæ velificandi industriæ nactus, illud longè Augustius restituit secundi Fundatoris titulo priscis Annalibus celebratus. Obiit maximo sui relicto desiderio 4. Febr. anno 1317.

12. Waltherus de Clivo cum 15. præstitisset annis, senio confectus resignavit, anno 1331. Sub ejus Regimine Cal. Sept. anno 1325. velatæ sunt DEOque dicatæ in virginum Cœnobio Angelomontano Sanctimoniales 140. expensis & in præsentia Agnetis Reginæ Ungarorum, filiæ Alberti Imp. Aug. Numerus porro Religiosorum sub hæc tempora numero monialium non multum erat inferior, ut qui centenarium semper transcenderet.

13. VVilhelmus præfuit annis 12. & resignavit Cal. Martii anno 1347. & superstes annis 12. obiit anno 1359. die 22. Novembr. Sub ipsius regimine, anno 1345. sub H. Auercens, Ecclesiæ Archiepiscopo 90. virgines Angelomontani Cœnobii Dominica I. Adventus velatæ sunt.

14. Henricus Cal. Martii anno 1347. electus Abbas, ultro Prælatura cessit anno 1359. quo sedente anno Christi 1349. ab octava die Septembr. ad usque Epiphaniæ Festum, præter multos Religiosos 116. moniales pestifera lue correptæ mortalitatem exuêrunt easque inter D. Beatrix. Com. ab Arberg & pleræque aliæ Nobiles.

15. Nicolaus de VVeiserlen electus 1359. moritur anno 1360. 25. Augusti.

16. Rudolphus de Stüelingen 37. annis divina æquè ac humana fideliter, prudentissimeque dispensavit. Mortalitate exuitur 9. Febr. 1398. Legitur Augustæ Vindelicorum renunciatus Germaniæ ferè universæ Visitator, inde ab Annalibus Angelomontanis, idem *Gloriosißimus* juxta legitur & *Religiosißimus*. Sub eodem anno 1364. ab Henrico Constantiensi Episcopo 30. velatæ sunt virgines, & rursus 24. anno 1390.

17. VValtherus Myrrhæus laudabiliter præfuit annis 23. & vita excessit 12. Novembris anno 1420.

18. Joannes Kupfferschmidt, recens electus & confirmatus, Constantiâ rediens in itinere per lotionem pedum veneno inficitur & moritur Cal. April. 1421.

19. Joannes Kummer, calamitosi ut nominis, ita & regiminis fuit. Administratione se abdicavit & Joannem de VVida suffecit sub annum 1429.

20. Joannes de VVida Præpositus Lucerinus cum biennio benè & laudabiliter præfuisset, ab ipsomet promotore suo Joanne Kummer supplantatus & loco motus est anno 1431. seque idem Antecessor reintrusit, at postquam annis aliquot calamitosè ut antea præfuisset, amotus, & paulo post Abbatiæ Rhenoviensi præfectus est anno Christi 1437.

21. Rudolphus Kauffman de Balneo Ducis, regimen annis 7. tenuit & resignavit anno 1444. diem supremum obiit anno 1455.

22. Joannes Stryne eligitur 1444. deponitur & ablegatur ad Plebanatum in Kutsnacht circa annum 1450. Hoc præside Monasterium Monialium est in cineres redactum anno 1449.

23. Joannes am Büell septennio deplorabiliter imperans regimine privatur anno Christi 1457.

24. Henricus Porta, utroque Joanne, quibus successit deterior perniciosissimum fuit ostium per quod omne genus mali ad extremam usque Angelomontanarum ferè rerum ruinam subintravit. Expulsus proinde & ad plebanatum in Briens ablegatus est anno 1478.

25. Udalricus Stolder de Berna dictus est Abbas anno 1478. mortuus 1489. 28. Oct.

26. Nicolaus Bulmann, priusquam confirmaretur resignavit. Is gratiosum & frequentia ac veneratione populi, nec non miraculis celebre B. M. V. Sacellum in Horwis Vallis Angelomontanæ extremo angulo, erexit, & DEIparam demeruit, quod consecratum fuit anno 1490. à Daniele Episcopo Boloniensi.

27. Joannes Ethon ex Monacho Hirsaugiensi hujus loci Abbas, in difficillima & periculosissima incidit tempora, quibus sub gravi sæcularium jugo ingemuit Mons Angelorum. Plurimis autem exantlatis laboribus Joannes requievit in Domino quinto Idus Junii anno 1504.

28. Barnabas Bürcki de Altsteten acerrimi vir ingenii excellentis doctrinæ, totius prudentiæ, magnæ auctoritatis, exquisiti limæque Virtutis, ob rarum animi candorem suavitatem & gravitatem morum, vitæ integritatem, artium liberalium, Philosophiæ inprimis ac Theologiæ altam raramque scientiam *Oraculum* illius temporis, &, ut Annales loquuntur, *Miraculum* sit habitus. Fuit præterea benignus ac liberalis in pauperes eorumque verè Pater, patientissimus in adversis, fortis & invictus; Pacis componendæ ac conservandæ studiosissimus, bonorum eruditorumque virorum Amicus, fautor ac promotor, rerum administrandarum, divinarum juxta ac humanarum peritissimus, propugnator castæ Religionis, Hæreticorũ vero expugnator

usurparentur: Accipe Baculum Abbatis Gossuini, ut cujus suscipis officium, imiteris exemplum. Decessit incredibili suorum luctu anno 1166. in Ecclesia B. V. M. cui devotissimus erat sepultus, relicto post se insigni numero egregiorum discipulorum.

8. Alexander ex Priore Aquiscincti vir eruditus, qui Gossuini vitam descripsit, & magnis virtutibus sub eodem enituit. Ornavit Ecclesiam multis Sanctorum Reliquiis, quas thecæ aureæ atque argenteæ decorè ac decenter inclusit. Transiit ad superos anno 1179.

9. Simon Abbas Nonus Concilio Romano interfuit, à quo rediens & ex itinere ad Claræ Vallis divertens Cœnobium, inde secum insignes S. Bernardi Reliquias retulit. Idem numerum Ascetarum auxit, cumque eos Ecclesia loci non caperet novam condidit, cujus primum lapidem Balduinus Comes Hannoniæ posuit 1181. & Religiosis loci plurimum favit. Obiit Simon anno 1202.

10. Adam biennium præfuit, & Ecclesiam Monasterii absolvit.

11. Guilhelmus hujus primum loci Abbas, dein ad S. Amandi postulatus, cum inde ex Romano itinere Claram Vallem inviseret, captus Religione loci ibidem factus est Monachus.

12. Simon II. Ecclesiam ab Avunculo cœptam insigniter excoluit, Claustrum insuper & duo campanilia cum undecim campanis, chori subsellia incomparabilia, & magnifica alia struxit ædificia. Redditus item annuos auxit, & mytræ usum ab Honorio Papa impetravit anno 1218. sed & maxima privilegia à Summis Pontificibus aliisque Principibus Monasterio. Decessit, magno sui relicto desiderio, anno 1233.

13. VVilhelmus le Parent. maximis & ipse meritis præsul, Bibliothecam insignem condidit, & proventus Cœnobii haud minimum auxit. Præfuit laudabiliter annis decem.

14. Jacobus de Bethunia, sub quo solemniter consecrata est Ecclesia in honorem S. Salvatoris à Petro Albanensi Episcopo S.R.E. Cardinali, tunc temporis per Alemanniam Legato, quo ipso anno 1250. idem Jacobus vitâ excessit.

15. Wilhelmus Brundl Vitæ laudabilis Antistes multæque Religionis. Conquisivit multas Sanctorum Reliquias, quas magna solemnitate Cœnobio intulit. Idem magnis sumptibus tabulam altaris pretiosam ex argento gemmis ornatam confici curavit, & decorem domus DEI, summo studio curavit. Meritis demum & senio gravis, ex hac vita migravit.

16. Anselmus sive Anselbus, sub quo seditione intestina turbatum est Monasterium, disciplina deinceps graviter periclitante, imo paulo post plurimum deficiente.

17. Everardus, de quo nihil præter nomen.

18. Joannes de quo similiter nihil.

19. Hugo, elevavit primorum Abbatum corpora & pretiosis involuta velis, cistisque condita Sacello S. Michaelis intulit.

20. Eustachius SS. Theol. Doctor.

21. Joannes le Beuf.

22. Joannes Deicherchius.

23. Amedeus de Lamecho.

24. Rodolphus de Longa Villa.

25. Petrus de Nova Villa.

26. Joannes de Bosterr.

27. Henricus de Constant.

28. Joannes III. de Bateria.

29. Petrus Touller.

30. Hugo de quo nil præter nomen.

31. Guilelmus Destrol.

32. Carolus.

33. Joannes Asser.

34. Joannes Lentailleur Præsul eximius & magni nominis, Collegium Aquicinctinum in Universitate Duacena construxit magnificentissimum; Vir immortalitate dignissimus, à morte plausibiliter laudatus fuit, ab universitate Duacena.

35. Warnerus de Dame, de Anglis peregrinis Sacerdotibus immortaliter meritus.

36. Joannes Fauton Abbas claruit anno 1610.

## BARSINGHAUSEN.

Ducatus Brunsuicensis Calenbergici Illustre Virginum Cœnobium, tribus ab Hanoverâ milliaribus, Fundatum à Comitibus de Schwalenberg anno Christi 1203. Bernardus & Henricus Brunsuici Duces Privilegia solemniter confirmarunt.

## SANCTI BAVONIS.

Ordinis S. P. Benedicti potentissimum in urbe Gandavensi Monasterium, Clericorum dictum, quod præter ævi illius consuetudinem Monachi fere omnes Clero adscripti essent. Fundator Cœnobii, rogante S. Bavone, fuit S. Amandus Episcopus, qui illic Clericos, non sæculares, ut Miræus volebat sed Cœnobiales Ord. S. P. Benedicti instituit, eisque Ejusdem Benedictini Ordinis Abbatem S. Florbertum præfecit; & Monachos Clero adscribi voluit, quo felicius Conversioni Gentium vacarent. Unde factum, ut ad differentiam cæterorum Monachorum Clerici (uti Ven. Beda, Presbyter) vocarentur.

### ABBATUM SERIES.

1. S. Amandus, Idem Fundator Cœnobii & primus Abbas, multo nomine de eodem meritissimus.

2. S. Florbertus, Blandiense Monasterium juxta istud gubernavit.

3. Adalbertus.

3. Fulco.

4. Wilfridus, &c.

5. Reingerus.

6. Albericus.

7. Wilradus.

8. Sanctus Hildebertus Martyr à fautoribus Constantini Copronimi pro cultu SS. Imaginum glorioso Martyrio coronatus.

9. Agilfridus Abbas, insimul Elnonense S. Amandi rexit Cœnobium, creatus Episcopus Leodiensis. Claruit anno 754. Attulit Monasterio S. Bavonis è Francia corpus S. Pharaildis.

10. Robertus.

11. Vericus.

12. Einoldus.

13. Venebaldus.

14. Briddo claruit anno 813. quo tristi incendio Cœnobium in favillas concidit. Superstes ad annum usque 816.

15. Einhardus Monasterium è cineribus resuscitavit, Monachosque dispersos revocavit. Huic Odoacer Flandriæ Saltuarius decimam quamque feram concessit, Monasterio à Venatoribus inferendam.
16. Emericus Abbas, metu Normannorum corpora Sanctorum Bavonis & Pharaildis transtulit ad castrum S. Audomari, claruit anno 852.
17. Adelmus Comes à Carolo Calvo Privilegia confirmari meruit.
18. Trasradus, & ipse metu Normannorum supradicta Sanctorum corpora Laudunum transportat. Floruit anno Christi 877.
19. Radulphus Abbas, frater, ut nonnulli volunt Balduini comitis cognomento Calvi, postea Cameracensi Abbatia donatus est.
20. Helias Abbas, cum Monachis Laudunum transfugit, ubi & obiit. Sub ipso Cœnobium eversum fuit à Normannis, Monachis per quadraginta annos in exilio degentibus.
21. S. Gerardus Religionis speculum & fundamentum, sub quo Monasterium in temporalibus æque ac spiritualibus magna accepit incrementa.
22. Hugo, de quo præter solum nomen nihil habetur, &c.
23. VVolmarus S. Gerardi cooperator & Comes individuus, à morte Hugonis sacro Religiosorum Cœtui sanctissimè & utilissimè præfuit, cujus tempore multa sunt Monasterio collata, maximè ab Arnulpho Comite Flandriæ.
24. VVido nepos S. Gerardi, Bertiniensis, Blandiniensis & hujus loci Abbas.
25. S. Owinus sive Olbinus, de quo in Abbatibus Blandiniensibus.
26. Erenboldus Illustri natus genere, corpora SS. Pancratii & Barbaræ ab Urbe in suum Cœnobium transtulit, & è vicino corpora SS. Livini & Brictii, quorum Translationi Barbatus Comes interfuit, & hortatu Conjugis, quidquid bello Flandrico ereptum Cœnobio erat reddidit. Erenboldus S. Macharium honorificè recepit & ad mortẽ usque in Monasterio hospitium liberale præbuit.
27. Ethelbodus, hujus extat epistola ad Oginam Comitissam Flandriæ, in qua enumerat SS. Reliquias sui Cœnobii, & antiquum splendorem celebrat, nec non caput provinciarum fuisse asseverat, rogans ut ejus ruinas restauraret.
28. Lidwinus.
29. Rumoldus.
30. Folbertus.
31. Sigerus.
32. Stephanus de Egmonda.
33. Vicmannus, hic monente Ratbodo Episcopo Tornacensi, solemniter elevat corpora SS. Livini Pancratii & Barbaræ anno 1083.
34. Adelradus.
35. Ulfricus.
36. Everderus.
37. Ballo seu Dallo, hic transtulit è feretro veteri corpus S. Brixii pueri, anno Christi 1175.
38. Villomarus.
39. Everdeus.
40. Balduinus.
41. Eustachius.
42. Henricus.
43. Balduinus.
44. Theodoricus.
45. Joannes resignat 1396.
46. VValtherus.
47. Henricus.
48. VValtherus.
49. Nicolaus.
50. Berelinus.
51. Petrus.
52. Joannes II.
53. Joannes Tertius, multis Legationibus pro sede Apostolica perfunctus etiam apud Tamerlanem Imp. aliquo tempore egit & linguam didicit. Fuit idem celeberrimi nominis sacrarum litterarum professor, multaque opera edidit, de quibus Trithemius, &c.
54. Georgius, anno 1360.
55. VVilhelmus II.
56. Jacobus.
57. Joannes.
58. Raphael de Marentellis ex Abbate Aldenburgensi hujus loci Abbas & Episcopus Rosensis anno 1506.
59. Egidius Episcopus Rosensis.
60. Levinus.
61. Lucas ultimus Abbas sanctissimi Cœnobii, quod anno Christi 1562. incorporatum fuit novo Episcopatui Gandensi Monachis ad vitam & normam Canonicorum sæcularium, auctoritate Rom. Pontificis reductis.

## BEINVVEILERENSE.

EX ruderibus Grandisvallensis Monasterii quasi è dentibus Cadmi prodiit. Cum enim Henricus IV. Imp. ejus loci Religiosos, sedi Apostolicæ fideles jurato persequeretur odio, ipsisque demum pulsis Sanctissimum everteret Monasterium, locoque pro Monachis sæculares induceret Clericos, Cæsare extincto, locique Advocatis Monachos reducere satagentibus, convenit denique inter eosdem & Cœnobitarum hostes Cæsaris sacrilegos asseclas, Basileensem Episcopum aliosque olim Sedi Apostolicæ adversarios, ut ille quidem in illatorum damnorum recompensationem, S. Albani extra muros Basileæ Cœnobium, alii Beinweilerense tanquam Advocati multis olim obstricti beneficiis struere promitterent, pauloque post promissa implerent, inductis in eadem exulibus Religiosis. Fuere proin Beinvveilerensis Cœnobii Conditores veterum Advocatorum posteri Comites Ferreti, eosque inter præcipuus Oudelardus, Oudalricus Comes ab Egisheim, Notkerus Comes de Uroburg & Burcardus ab Hasenburg, qui & coloniam Monachorum à S. VVilhelmo Hirsaugiensi introduci impetraverunt. Beatæ memoriæ Essone, ex Oeconomo Hirsaugiensi, ad Abbatiale munus evecto. Is postquam Cœnobio novo utilissimè præfuit sexto Cal. Januarii, ad præmia æternitatis concessit, insignibus à Numine miraculis commendatus. De successione Abbatum nihil certi habetur, Monasterio etiam deinceps, à morte maxime Ferreti Comitum Advocatorum, in Monachos optimè affectorum, variis casibus, & bello maxime Helvetico, varie afflicto atque exhausto, bello demum rustico penitus desolato, ita ut reliquis in exilio extinctis unicus Conradus VVetcherus anno 1554. superesset, cui defuncto Jodocus Stalet Conventualis

tualis S. Urbani successit; & huic denique Sacerdotes aliqui sæculares, donec anno 1589. ex Einsidlensi Archisterio Administrator hujus loci R. P. Wolfgangus Spiess, vir & doctrinæ & prudentiæ laude longe clarissimus, constitueretur. Mortuus ille est anno 1614. successoremque ex eadem S. Eremo habuit R. P. Gregorium Zehentner. Huic ad suum revocato Cœnobium R. P. Maurus Hoffmann subrogatus est, qui post paucos menses, unicum cum novitiis Religiosum, cæteris jam prius morte sublatis, reliquit. Quocirca impetrante Magistratu inclytæ Reipubl. Solodorensis nova colonia Rhenovio Beinvvilam inducitur, è quibus R. P. Urbs Buri, annis undecim præclarè Administratoris functus est munere, septemque Religiosos loci proresfos ad præmia æternitatis vocatus post se reliquit, qui Privilegiis suis & Sacræ insistentes Regulæ, post centum & octo annos primum postliminio Rev. Dominum Fintanum Kieffer Solodorensem, egregiis animi dotibus ornatissimum sibi Abbatem præfecerunt, anno Christi 1633. Is veteris Beinvvilæ ruinas instaurando, agros, vineas, prata, Decimas, census redituque alios perpetuos, partim deperditos recuperavit, partim novos comparavit: Coventum Religiosum triplicato numero adauctum ven. Congregationi Helvetico Benedictinæ incorporandum curavit, & Monasterium ipsum de saltu Hazonis, loco obscuro & montoso, pro quiete & secessu quidem apto, cætera prorsus incommodo, in Petram B. Matris Virg. (vulgo unser liebe Frauen im Stein) ultra montem Jurassum in ejus tamen pede, milliario à Basilea Germanico abjunctam transtulit. Locus iste Lanferonense inter & Rottenburgense vetus Castrum, æquata agri planitie, nemoreque jucundissimo, peramoenum habens situm, Orientem versus, profunda, sed non ultra jactum lapidis lata excipitur valle, asperis utrinque rupibus super impositam terræ structuræque molem suo dorso sustinentibus. In his natura quidem, ampla cavitate specum effinxit; quam augustissima cœli Regina, sedem sibi, unde cultoribus suis, maternas pietatis supra naturam gratias distribueret à trecentis jam annis celebri miraculo; infantis testimonio elegit; humana vero manus naturali structura porrectis petrarum triangulari forma dorsis, parietes & fornicem suppeditante, murum quo ædes solis pomeridiani angulo per binas fenestras reciperet adjecit. Porro cum prodigiosam hanc petram, Inclyta Rēspubl. Solodurensis, una cum Dominio Rottburgensi, in quo sita est, multis retro annis exempto possedisset, eamdem demum cum pertinentiis suis anno 1636. secretiori DEI consilio, suasu simul & concessione Illustrissimi Principis Basileensis Episcopi, cum altero Regulari Beneficio, & Ecclesia Monasterio diu incorporata in Sevven permutatam, præfatus Dominus Abbas jure Proprietatis obtinuit; & mox tam augustissimum illud Deiparæ Gratiis illustre Sacellum, quam etiam concameratum Illius ingressum, quo pergradus ferè quinquaginta ad illa Marianæ Clementiæ adyta descenditur, fanum iisdem aliud ingens ac splendidum, cum cohærente illi domo religiosa, Monasterium adeo ipsum, quale hodie cernitur, totum ex imis fundamentis, miro opere, ac sumptibus non modicis erexit, atque in illud Beinvveilenses suos Monachos, è pervetusto illo translatos Cœnobio, ad multarum animarum spiritale solatium, cum nomine, Juribus ac privilegiis invexit: DEO hactenus pios conatus juvante, & Matre admirabili dilectam & electam sibi petram gratiæ suæ radiis, jugiter illustrante. Id quod contra protervos etiam Hagiomastigas probant, & quotidie concurrentium populorum vota, & plurima pro obtentis beneficiis in fano pendentia anathemata, velut certissima virgineæ pietatis ac potentiæ argumenta.

## SANCTI BERTINI.

Sive Bertinianum in Belgio Ordinis Benedictini potentissimum Monasterium, initium primitus in Sithiu, castro avito Adroaldi viri potentissimi habuit, qui illud S. Audomaro obtulit pro struendo Cœnobio, cui hic primum Abbatem S. Mommolenum præfecit, hoc vero ad Noviomensem Cathedram evecto S. Bertinus successit, qui fortunam Cœnobii, juvante VValberto Atekensi Comite mirifice promovit, & numerum Monachorum ad 150. auxit; cumque eidem loco annos præstitisset quatuordecim, aptiorem quæsiturus, conscensa navi, adversoque flumine mire delata, dum inter recitationem Psalterii ad versum illum: Hæc requies mea in sæculum sæculi, &c. consistente immobiliter navi, locum ripæ proximum à Numine designari animadvertens, illic condere Cœnobium cœpit, quod ab ipso deinceps S. Bertini est appellatum. Nunc syllabum Abbatum subjiciamus.

1. Sanctus Mommolenus in Sithiu primus præfuit, inde extractus creatus est Episcopus Noviomensis.
2. S. Bertinus, annis 14. in Sithiu præfuit, atque inde, ut diximus, locum cum suis mutans, novum commodiore loco Cœnobium anno Christi 640. excitans, multos illic lectissimos Christi Athletas collegit, quos inter S. VVinocus Judicaelis Critonum Regis filius, cum tribus fratribus suis Kadanoco, Ingenoco & Modoco, extitit, de quibus vetustissimus vitæ scriptor: *Eorum laudabili devotione gratulans B. Bertinus, sub norma pii Patris Benedicti, docuit eos ferre jugum suave Christi.* Migravit ad gaudia æternitatis S. Bertinus anno 6,8. Vita & miraculis insignis, ætatis suæ 112.
3. Rigobertus, à Loctio omissus, superstite etiamnum S. Bertino Abbas renunciatus, cum illi Hunocurtense recens structum Cœnobium fuisset commendatum. Verum Bertinus non multo post ipsum amovens Erckefridum subrogavit.
4. Erckefridus, à Sancto Bertino, ut diximus, promotus ad Abbatiam, anno 710. obiit.
5. S. Erckenbodus, de Monasterio meritissimus, inde ad Cathedram Pontificiam Tervanensem extra-

extrahitur, etsi juxta Monasterii regimen obtineret. Vita excessit post insignia merita, anno 736.

6. Gobertus 782.
7. VVimarus.
8. Nantharius.
9. Dadbertus.
10. Hardradus, venationis licentiam à Carolo Magno obtinuit, & utiliter præfuit.
11. Odlandus sive Odlaudus.
12. Nantharius II. cujus tempore disciplina mirificè effloruit. Vixit temporibus Ludovici Pij Imp. Aug. sub hoc numerus Monachorũ ad 130. crevit.
13. Fridogisus mortuo anno 821. Nanthario succedit, cognatus Caroli Magni Imp. homo totus sæcularis, & totius destructor disciplinæ, qui optimos quosque ejecit & opes Cœnobii omnes dilapidavit. Præfuit annis 14. & obiit 834.
14. Hugo filius Caroli Imp. sæcularis obtruditur. Hic B. Grimbaldum recepit in Monachum, virum eximiæ sanctitatis & magnorum meritorum.
15. Adelardus Abbas filius Henrjci Comitis, cujus tempore S. Volquinus corpus S. Bertini metu Danorum abscondit, & Henricus seu Henrocus Abbatis parens sub filio Monachum professus est. S. Folquinus obiit anno 855.
16. Hugo II. Canonicus sæcularis, pulso optimæ vitæ Adelardo obtruditur, anno 861. Normannis Cœnobium invadentibus quatuor, qui soli remanserant Religiosi, diversis affecti suppliciis Martyrio coronati sunt.
17. Adelardus, Hugone extincto an pulso, ad honorem repetitus, Monasterium è cineribus resuscitavit, & præclarè meritus, in S. Amandi Cœnobio morbo præoccupatus, ad immortalitatis præmia evolavit.
18 S. Hunfridus ex Prumiensi postulatus Cœnobio, miræ sanctitatis radiis locum illustravit. Pulsus tamen per summam injuriam est, scelere Aulicorum Caroli Calvi, obiit vir Sanctus anno 869.
19. Hilduinus Canonicus sæcularis, Caroli Calvi Consiliarius & Protonotarius, Cœnobio obtrusus, utilissimus nihilominus fuit, & perdita omnia recuperavit & restituit, qui scribitur: Bono fine ad Dominum migrasse anno 877.
20. S. Fulco Rhemensis postea Archiepiscopus & Martyr insignis, sub quo Dani denuo Monasterium vastarunt, quod ipse præclarè restituit, & anno 885. Archiepiscopus est creatus.
21. Rodulphus, quod modicæ eruditionis esset, Hucbaldum Elnonensem evocans, Monachum eruditione præcipuum, tantus Abbas ejus sese Magisterio subdidit & plurimum profecit ita ut inter meritissimos Abbates haberetur. Obiit ex phlebotomia cum ex incisione brachium intumesceret, anno 892.
22. S. Fulco ad eamdem Abbatiam denuo postulatus, dum Balduinus Comes Flandriæ illam sacrilegè exambiret, à fratribus exoratus, ne sanctum canibus traderetur, ipse Monasterium insigniter restaurans, dum rerum ejusdem satagit, scelere Comitis è medio tollitur anno 900.
23. Balduinus Flandriæ Comes Sacrilegus, & parricida rerum Monasterii potitur, gravissimis deinceps malis Religiosos opprimentibus.
24. Adolphus sacrilegi parentis Balduini filius; illo mortuo ceu hæres impietatis atque sacrorum, pro Abbate se gerit, ad causam dicendam ad tribunal divinum raptus anno Christi 933.
25. Arnulphus Balduini item Comitis filius, idem Monasterium, ut proprium hæreditate usurpavit, cujus cum conjux periculosissimè laboraret gravi infirmitate & prodigiosa S. Bertini ope convaluisset, compunctus Comes de restituendo Cœnobio & restaurando serio proposuit, & mox exequutus. Sanctum Gerardum Blandinii Abbatem evocans, eidem Monasterium cessit anno Christi 944.
26. S. Gerardus, collaborante Comite disciplinam restaurare aggreditur, solutiores tamen in libertatem Monachos, paucos ad observantiam revocare potuit, cumque nec precibus nec minis & castigatione apud alios proficeret, invocato brachio sæculari, inobedientes expulit, quos postmodum Comes inquietos & incorrigibiles ultra mare, ne alios turbarent, in Angliam transtulit. Rebus tandem omnibus compositis, ipse resignata Abbatia Blandinium redit Anno 947.
27. B. Agilo, ex Monasterio S. Apri huc à S. Gerardo evocatus & Abbas designatus, insigni sanctimonia suis præluxit.
28. Widondus S. Gerardi nepos, ab eodem, mortuo Agiloni sufficitur, cujus tempore Comes omnia suæ Ditionis Monasteria Sancto Gerardo commisit reformanda & gubernanda, quæ numero 18. extitere.
29. VVido nepos S. Gerardi à Comite expetitus, dum juvenili ætate, gaudia sequutus, rigorem laxat à Sancto avunculo exauctoratur, à quo ægerrimè impetrat Comes, ut S. Bavonis Cœnobio præficeretur.
30. Hildebrandus Comitis Flandriæ Arnulphi nepos pro eximiis vitæ meritis Abbatiam adeptus, talem se pastorem præbuit, ut Monasterium hoc omnibus aliis exemplar disciplinæ esset, & laudatissimæ perfectionis. Sub hoc corpora S. VValerici & Richarii, non sine miraculis huc translata sunt. Post quartum regiminis annum Hildebrandus non sine gravi Bertinensium luctu translatus est à Comite ad S. Vedasti reformandum, quod & præstitit, & magna ubivis perfectionis exempla reliquit.
31. Ragenoldus à S. Gerardo Abbas designatus, sanctè præfuit, amabilis & ipse omnibus ac desiderabilis. Occurrit cum Reliquiis SS Audomari & Bertini Noviomagum ad Imperatorem, ut prædia Monasterii recuperaret. Tandem curæ cessit anno Christi 961.
32. Adelolphus à Ragenoldo Coadjutor assumptus, vix annum eo functus munere, decessit.
33. Hildebrandus, idem qui supra denuo ad Monasterii hujus assumptus regimen, S. Anselmum Cantuar. Archiep. recepit exulem, & diu apud se retinuit, ipse munere suo æterna cum laude perfunctus.
34. Balduinus Abbas, sub quo flagrantibus ambitione & odiis disciplina Monastica plurimum intepuit.
35. VValtherus.

36. Tun-

36. Turgandus sub quibus nihil plausu dignum.

37. Olbertus, sub quo gravissimum Cœnobii exortum incendium, ope Sanctorum Audomari, Bertini, & Vincentii, sive ut alii volunt, S. Benedicti, trium columbarum specie circum locum volantium, consopitum memoratur.

38. Hemfridus, obtinuit ab Henrico Imp. bonorum in Germania superiore sitorum confirmationem. Vita excessit anno 1021.

39. Rodericus è S. Vedasti postulatus pro reformanda disciplina, rem strenuè aggreditur, sed proficit nihil, Numine deinceps terroribus agente ut refractarii cogerentur; Cœnobio inprimis igne absumpto, cumque nec sic corrigerentur, subitæ mortis flagello, (ita ut dum alter sepeliretur, alter mortuus nunciaretur) conterriti, qui supererant cæteri, disciplinam denique apprehenderunt, & pii pastoris jussa sequuti, promptos sese per omnia exhibuere. Obiit meritissimus Præsul Rodericus anno 1043. cum jussu Comitis, recens fundatum S. Winoci etiam curare fuisset coactus.

40. Bovo genere præstans & eruditione Roderici Magistri imitator strenuus, dum exustam Basilicam de novo molitur, corpus S. Bertini à Folquino olim absconditum reperit, & solemniter elevat. Romam profectus & ex itinere ad S. Dionysii Parisiense delatus insignes ejusdem Divi meretur Reliquias. Moritur anno Christi 1067.

41. Heribertus non minus Generosa origine quam morum præstans dignitate, intaminatissimo maximè enituit Castitatis Virgineæ flore, ne hunc perderet solo tectus stramine sub dio nudus recubans, corpus immani frigore duriśimè habuit. Excoluit insigniter ornamentis Ecclesiam, ædificiis necessariis Monasterium, & præclarè per omnia meruit. Decrevit ut Bertiniensi quovis mortuo, præbenda ejusdem anno integro Sacerdoti cuipiam transmitteretur, qui pro defuncto quotidie celebraret; sed & mediam quotidie denariorum libram, alteri adnumerari ordinavit, qui & ipse quotidie pro mortui requie DEUM interpellaret. Fuit Philippo Regi inprimis charus, à quo Abbatia S. Germani Antissiodorensis donatus fuit. Obiit post multa virtutum exempla anno Christi 1081.

42. Joannes I. Abbas, ex Priore bono, Præsul optimus, ita humilis, ut non pateretur quemquam sibi assurgere, Amor & delicium suorum omnium fuit. Contra Advocatos & Comites Flandriæ rem fortiter gessit. Monasterium cum villa terrifico absumptum incendio, præclare restauravit; Bibliothecam instruxit. Mortuus & hic est, intumescente ab phlebotomia brachio, ac proin sacris omnibus munitus, rogatus an peculium haberet, *nec obolum quidem*, respondit. Inde crucem afferri rogans ante ipsam prostratus oravit. Sciens Fratrem offensum ab alio, vocatum enixe rogat pius pater ut alteri indulgeat, quod pro sua obtinens reverentia, pacem commendans & suis relinquens feliciter obiit anno 1095.

43. Lambertus vir incomparabilis, eruditione non minus clarus quam Religione, in omni scientia professorem egit, pro concione tamen perorans, plurimum potuit. Abbas electus concordibus votis, ornamentum Cœnobii non solum, sed totius Belgii fuit, tanta mentis industria & in agendis præditus dexteritate ut nil in propriis aut alienis, nil in Regularibus vel Ecclesiasticis, nil in sæcularium placitis vel Clericorum Synodis tam difficile esset, quod suo non expediret judicio. Reformationem sui Monasterii incredibili patientia in adversis & constantia suscepit; & cum plerique adversarentur, Cluniacenses denique induxit, & rebelles aliorsum distribuit. Sed & Auctor fuit, ut plurima alia Monasteria ultro expeterent Reformationem, ipse per annum integrum, (simulato Romam itinere) Cluniaci sub S. Hugone sese in Monachicis exercuit. Ecclesiam & Monasterium mirifice excoluit. Ea in pauperes charitate fuit, ut ornamenta etiam Ecclesiæ famis tempore, eoque inter tabulam argenteam expenderet. Tandem anno 1124 Paralysi tactus, triennium superstes, inter verba: In manus tuas commendo Spiritum meum feliciter exstinguitur anno 1127.

44. Joannes II. Petro Leonis Antipapæ favens ab Innocentio Papa excommunicatur, Romamque profectus, nusquam postea comparuit.

45. Simon I. Gandensem insimul Abbatem egit. Non diu tamen hic præfuit Cluniacensibus ejus Confirmationi obnitentibus, qui lubens ad prius Monasterium rediit & 12. annis religiosissimè supervixit.

46. Leonius sive Leo Laubiensis insimul Abbas, de Monasterio præclarè meruit, & anno 1146. cum Comite Flandriæ aliisque Principibus ad Terram Sanctam profectus, ibidem Roberto Regi Galliarum charissimus & utilissimus extitit. Domum reversus, suos inter se collisos feliciter reconciliavit. Ipso Festo S. Bertini cum 12. Abbates ad S. Bertini convenissent, concubia nocte Monasterium exarsit, quod Sanctus suam Solemnitatem non pateretur adeo lautè celebrari, quod tamen Leonius præclare restauravit. Claruit ejus tempore B. Joscio hujus loci Asceta ex cujus ore oculis & auribus quinque rosæ prodiere aureis MARIÆ litteris prodigiosè insignitæ. Sub extrema cæcus effectus Abbas, arte medicinali nonnihil opis sensit, sollicite tamen ut antea circa gregem suum agere non potuit, paulo post, optima apud omnes opinione defunctus, anno 1163.

47. Godescalcus ex Abbate Hamensi electus Bertiniensis. Suscepit exulem S. Thomam Cantuariensem, qui antequam eo occurreret, monitus est: quod ad magnæ Charitatis viros venturus esset, quibus tamen eo quod piscibus carerent, carnium manducandarum facultatem elargiri deberet. Respondit Sanctus: Dominus providebit; & mox in sinum ejus grandis & delicatus piscis exiliit, quem Fratribus dono attulit, & aliquot dies cum iisdem remansit, quem abeuntem etiam Abbas comitatus est. Vita excessit magno sui relicto desiderio, etsi initio plures pateretur difficultates. 1176.

48. Simon II. Electus cum spe remittendæ arctioris disciplinæ; vice versa propagandi sacri rigoris studio plurimum incubuit, & vel invitos denique evicit. Varias Cœnobio Sanctorum

Reliquias intulit, & in majori altari collocavit. Claruit sub eodem S. Bernardus cogn. Pœnitens æternum Monasterii hujus ornamentum Demum Simon quartana correptus febri, cum convalescere desperaret, resignans, paulo post obiit anno 1187.

49. Joannes ab Ipra ex Laubiensi postulatus Cœnobio, vir venerabilis, prudentia & pietate commendabilis, vultu placidus, moribus optimis excultus, virtutibus apprimè nitidus extitit. Exules Cantuariæ Monachos ultro exquisivit ut hospitio reciperet, eosque numero septuaginta, processionaliter cum cruce obviando recepit & 12. dies retinuit, ac dein Priori cum 16. hospita tecta per annum & ultra tribuens, reliquos per alia Cœnobia distribuit & benè accommodavit; cui ob tantam Charitatem Innocentius Papa per litteras, gratias retulit. Præfuit Joannes annis 44. quam religiosissimè & ad præmia æternitatis perrexit anno 1230. Monasterio summa in pace relicto.

50. Jacobus I. ab Religione, prudentia & industria egregiè commendatus, ad Clarum mariscum denique se recipiens relicta Abbatia Numini se devovit.

51. Simon III. optimæ Conversationis, interfuit Concilio Lugdunensi in quo varia Monasterio privilegia impetravit, obiit 1250.

52. Gillebertus Alexandro IV. Rom. Pont. charus fuit, ob magnificentiam & munificentiam in Romana Curia, Abbas Aureus audiit. Mytræ usum & multa alia impetravit, idem denique novæ Ord. Reformationi Cistercienſi se consecrans meritis clarus è vita migravit. 1265.

53. Jacobus II. ob humilitatis gratiam, nunquam mitræ usum admittere consensit, & Gillebertum sequutus idem Cœnobium subivit.

54. Willelmus impetratum mitræ usum primus admisit, mortuus 1271.

54. Joannes IV. Disciplinæ Religiosæ Zelator strenuus, ea de causa multa à suis passus, Concilio Lugdunensi interfuit, ubi Reformatores quidem minus tamen conducibiles impetravit, quorum improbitate offensus tædioque laborans, Abbatiam resignavit anno 1278.

55. VValtherus, à licentiosis electus, ut libertatem eorumdem foveret, quadriennium dissimulans; lectiores quosque in Monasterium & religiosiores evocans donec numero deterioribus prævalerent, convictosque rei malè administratæ Officiales, ab officio quemque suo deponens, rei domesticæ curam ipse suscepit; Monasterio mirè consuluit & solidam introduxit Reformationem, obiit 1294.

56. Joannes Iperius vir eruditus & de re Historica optimè meritus.

57. Eustachius Gomer, de quo & posteris aliquot nihil præter nomen.

58. Ægidius.

59. Henricus.

60. Alelmus Bristel.

61. Joannes de Louy.

62. Jacobus de Conde.

63. Joannes VI.

64. Alardus.

65. Joan. de Chreboual.

66. Joannes VIII.

67. VVilhelmus è Monacho S. Petri Catalaunensis Episcopus Virdunensis & Tornacensis Cancellarius Aurei Velleris, de Monasterio hoc optimè meritus.

68. Joannes de Lannoy.

69. Jacobus du Val.

70. Antonius de Berghes Henrici Episcopi Cameracensis cognatus.

71. Inglebertus de Spaigne.

72. Gerardus d'Hamericourt singularibus ornatus dotibus, primus postea Audomarensis Episcopus plurima laude digna complevit, aliaque inter splendidum Audomaropoli Collegium struxit, in gratiam præsertim pauperum studiosorum. Idem Patres Societatis in Belgium introduxit, quibus in eadem urbe illustre collegium condidit. Vita excessit anno 1577.

73. Vedastus Grevet.

74. Nicolaus Maintroij.

75. Guilelmus Gentael, præfuit anno Christi. 1610.

76. N. Abbas Bertinensis, petente parte maxima Religiosorum & consentiente Capitulo Exemptorum Monasteriorum in Belgio, introduxit anno 1635. Reformationem Cassinensem, vocatis ex Monasterio S. Dionysii in Hannonia, S. Adriani & S. Petri Affligemiensis Monachis, qui suos instituerent, sed anno 1637. à Religiosis non reformatis, motis difficultatibus, Reformatio hæc fuit dissipata.

77. Dominus Antonius Laurius electus sub annum 1641. Reformationem denuo aggressus, similiter nihil profectus habuit, Indisciplinatis Sacræ Regulæ monachis, etiam sæcularium manus contra S. Benedictum armantibus ejusque Leges eversas cupientibus qui utinam interea saniora admiserint consilia priusquam, in manus incidant, de qua non possint evadere, cujus gratiam adeo protervè, contempsere.

## BIGARDIA MAJOR.

Monasterium Illustrissimum Virginum DEO dicatarum sub Regula S. P. Benedicti, inter Bruxellas & Affligemium fundatum circa annum Domini 1131. à Godefrido Barbato Duce Brabantiæ ad instantiam S. VVivinæ quæ spreto sponso Carnali, ibidem sese Numini emancipavit, prima Ejusdem loci creata Abbatissa, locum iræ sanctitatis radiis illustrissimum reddidit, & multas illic egregia Virtute & præclaris animi dotibus cultissimas Christo Sponsas copulavit, quas inter S. Emwara præcipuè enituit.

## BIGARDIA MINOR.

Monasterium illustre Nobilium Virginum Ordinis S. Benedicti prope Bruxellas, fuit initio Prioratus, sacræ Reformationis Cistercientis in monte B. M. V. prope Pepingam, per Joannem de Monte Equitem fundatus, sed postea in Abbatiam erectus dotatus per Godefridum de Lovanio, Henrici II. Ducis Brabantiæ F translatus est in locum de Obigandis, eo quod aquæ penuriæ locus prior laborarat; & quia ab Genarali Reformationis Cistercienſis non reciperentur Moniales, Henrici Epi-

scopi authoritatem faciente nigrum habitum eædem Moniales suscepêre anno 1253.

## BLANDINIENSE.

Illustrissimum antiquissimumque Benedictini Ordinis prope Gandam in Monte Blandinii Cœnobium, fundatum est à S. Amando Belgii Apostolo & Benedictini Ordinis promotore præcipuo, anno Christi 608 tanquam trophæum gloriosissimum, triumphatæ in eodem monte, ubi vel maximè viguerat Idololatria, & impia sacra frequentabantur: sed & tota provincia proscriptæ Idololatricæ Superstitionis. Dotavit eumdem locum Regia munificentia Dagobertus Rex Galliarum, multique deinceps alii Principes locum extulere. Syllabus Abbatum sequens est.

1. S. Amandus, Idem Fundator & Abbas primus, vir verè Apostolicus, & incomparabilium meritorum, cujus præconia toto orbe terrarum celebrantur. Loco præfuit ad annum usque 617.

2. S. Floribertus ab ipso S. Amando successor designatus, ejusdem laboris Apostolici meritissimus socius; unde & ipse vir Apostolicus dici meruit, qui etiam tanto Zelo & fidem Christi, & Monasticum promovit Ordinem, ut Exemplar Sanctitatis, & Speculum totius Religionis haberetur. Vixit in Prælatura annis 22. Migravit ad Dominum anno 639.

3. S. Joannes præ cæteris discipulis à S. Amando specialiter dilectus, Tertius in Monte Blandinii dignissimum Abbatem egit, inde ad Elnonense Monasterium anno Christi 658. postulatus, ubi ad annum usque 678. superstes fuit ipsoque anno Ecclesiam S. Stephani ibidem condidit.

4. Baudemundus S. Amandi & ipse discipulus. Scripsit, tanquam Secretorum prædicti Magistri sui & Patris custos fidelis ejus Testamentum, ex quo magna ejus patet humilitas, sic enim concludit: Ego Baudemundus peccator, &c. scripsi. Idem eruditione haud leviter præstans, ejusdem Patris sui vitam & gesta posteris descripta commendavit, quem librum falsò nonnulli Miloni adscribunt. Vixit ad annum 730.

5. Alla sive Alta vir venerabilis, (quem alii Baudemundo anteponunt,) ob egregia vitæ exempla etiam S. Vedasti & Amandi Cœnobia gubernavit. Eidem DEUS, ob eximiam vitæ sanctimoniam secreta sua revelare dignatus est, cujus laudes Molanus & alii prosequuti sunt.

6. Ferricus, de cujus tamen rebus gestis nil tabulæ veteres memorant.

7. Beatus Cœlestinus, quem Scotum natione fuisse nonnulli opinantur. Martyrisque titulo condecorant, eo quod exilium aliasque injurias à Carolo Martello sit perpessus. Sub hoc tanta hujus Monasterii disciplina, ut S. Columbanus Junior in eo elegerit Institutum Inclusorum S. P. Benedicti.

8. Ainardus sive Einhardus, Caroli Magni Cognatus, ejusdem Cancellarius vir doctissimus, qui alia inter Martyrium SS. Marcelli & Petri nec non eorumdem ad hoc Monasterium translationem descripsit. Vir vita moribusque præstans magna cum laude plura alia Cœnobia administravit, claruit anno Christi 812. & 825.

9. Schorannus Abbas.

10. Folradus.

11. Lindanus sive Liardus.

12. Canocus; de quibus nihil præter nomen.

13. Adelmus Comes Commendatarius à Carolo Calvo impositus anno 864.

14. Robertus I. anno 870. sub quo & Antecessore altera vice ab Normannis Monasterium expilatum fuit. Obiit ex moerore, vir cæteroquin observantioris vitæ promotor diligentissimus, ex quo tempore dispersi Monachi, exules mansere ad annum usque 937. quo à S. Gerardo ad meliorem observantiam vocati sunt & revocati.

15. S. Gerardus post 67. annorum intertitium, ab Arnulpho Flandriæ Comite, secundo Cœnobii Conditore, ad restaurati loci gubernationem exoratus, dispersos congregans Monachos, multas ab efferatis injurias pertulit, qui etiam ad ipsas sacras aras operanti insidias struxêre. Sed calamitatibus omnibus superior, patientia & charitate de omnibus triumphavit, & denique felicissime disciplinam restituit, reque optimè gesta VVolmaro locum commendans, ad alia reformanda Cœnobia animum adjecit.

16. Wolmarus dignus Gerardo discipulus, Othoni & Lothario Impp. charus, solertissimus disciplinæ Monasticæ fautor & promotor.

17. VVido S. Gerardi nepos, ab adolescentia sua ab avunculo suo educatus, optimè præfuit & anno 996. mortalitatem exuit.

18. S. Adalvvinus sive Odvvinus, licet nulla ejus acta extent, pro Sancto tamen à multis sæculis est habitus, quod etiam evidentibus signis factum piè credendum est. Præfuit etiam Bononiensi Abbatiæ, cui & Privilegia ab Othone Imp. meruit. Obiit anno 995.

19. Rodulphus annis 47. præfuit.

20. Richardus biennium præsedit.

21. Wichardus annis 24. ad clavum sedens, is ipse fuisse videtur, qui dicitur Lotharingiæ & Belgii Cœnobia reformasse.

22. Everelmus S. Popponis nepos, cujus gesta eleganti Stylo composuit, fit Abbas hujus loci Anno 1058. idem insimul Altimonsis in Hannonia Abbas exitit.

23. Fulcardus. Huic dicata est Vita S. Berthulphi quæ extat apud Surium, qui in hoc fallitur, quod Bertinensem Abbatem dicat, qui fuit Blandiniensis. Idem altare sive Commemorationem fidelium defunctorum instituit, & in eo corpora SS. Berthulphi & Amalbergæ aliaque collocavit; præfuit annis 33. cujus memoria est in benedictione.

24. Sigerus hujus nominis Primus 6. annis regimen tenuit.

25. Ansbaldus sive Ansboldus paucis annis ad clavum sedit.

26. Arnoldus, sub quo connitentibus Flandriæ Comite & hujus matre, nec non Joanne Tervanensi Episcopo promovente, introducta est Reformatio Cluniacensis, quam Arnoldus verbo & exemplo amplificavit. Mortalitatem exuit anno Christi 1132.

27. Gisle-

27. Gislebertus de quo nihil præter nomen, & quod sexennium præfuerit.
28. Sigerus eo nomine secundus. Vita excessit anno 1159.
29. Erenboldus, uno solum mense Abbas existens, præmaturâ morte ablatus est.
30. VValtherus, vir singularis pietatis, de quo ita Chronicon S. Gisleni: *Anno 1161. obiit VValterus Abbas Blandiniensis.*
*Vir bonus & prudens, carnem super omnia ludens, &c.*
31. Hugo, ab Adelisâ Domina Teneremundæ impetrat vectigalium exemptionem. Carnem exuit anno Christi 1180.
32. Gerardus II. Contemporaneus Arnulphi II. Suessionensis, & familiaritate eidem junctus.
33. Hugo II. Novellæ Ord. Reformationi Cistercienli plurimum favit & benefecit. Fuit charus Principibus à quibus multa Privilegia meruit. Obiit 1203.
34. Hugo III. Interfuit translationi S. Amati anno 1206. celebratæ.
35. Arnordus sive Arnoldus, qui anno 1230. pedum resignavit Theodorico.
36. Theodoricus non diu præfuit.
37. Sigerus & ipse brevi regimine fuit.
38. Arnordus denuo ad clavum sedit, unico superstes anno.
39. Robertus II.
40. Robertus III.
41. Joannes II.
42. Ægidius.
43. Theodoricus corpus S. Florberti transtulit 1258.
44. Balduinus de Laxo.
45. Fulco de quo nihil præter nomen.
46. Joannes III. Comitis Flandriæ cognatus cujus filiam Margaretham è sacro fonte suscepit.
47. Balduinus II.
48. Joannes de Riche.
49. Gerardus à Munte.
50. Gerardus de Lennaert.
51. Joannes de Maighem.
52. Burcardus de Munte, vir præstans, tumultu Gandæ exorto, cum periclitaretur Monasterium, dexterrimè rem composuit. Obiit anno 1442.
53. Philippus Conraud Præsul spectatissimus, à totius Belgii statibus ad Regem Galliæ pro pace componenda legatus.
54. Philippus de Canneburg.
55. Joannes de Canneburg.
56. Gerardus de Gnesburg.
57. Franciscus ab Elsant.
58. Ghislenus Termesman, de quo & antecessoribus nil præter nomen.
59. Lambertus, vir præstantissimus, eximiis animi dotibus præditus, & valde Religiosus. Vidit Belgium ardere Hæresum dissensionibus, suumque in cineres redactum Cœnobium. Inde Romam profectus atque Casinum, compositis patriæ rebus redux, Reformationem promovit, reductis exulibus Monachis & optime meritus fine superioris sæculi in Domino requievit.
60. Fredericus Dyne cœptis antecessoris institit, & Cœnobium pro virili restauravit.
61. Columbanus Duraux, vir plurimum eruditus, relictis ingenii monimentis celeberrimus, contra Acatholicos etiam multa doctè composuit, quem meritis prosequuntur laudibus Gazæus & Svvertius. Edidit etiam MS. Commentarium in S. P. Benedicti Regulam Blandinii asservatum. Obiit Anno 1616.
62. Joachimus Senietede quo solum nomen habens.
63. Everardus Rim, optimo primum Zelo ductus pro Reformatione laborans, suos informandos Affligemium misit, sed anno necdum elapso, suasu nonnullorum suos revocavit, à proposito resiliit, & paulo post obiit.
64. Gaspar ab Isabella Belgii Principe singulari Ordinis Reformationis promotrice pro eadem propaganda ad Abbatiale munus promotus, pro singulari animi demissione aliquot annis honorem recusans, cogente demum Rege & eruditorum consilio acceptans, multas ab reclamantibus Reformationi perpessus injurias & calamitates, expulsus denique est, & alius subrogatus.

## BLANGIACENSE.

Virginum Benedictinarum illustre admodum Cœnobium à B. Bertha Blangiaci Comitissa exstructum, quæ Sigifrido Comiti primum nupta, illo viduata totam se Numini consecrans, JESU Domini nostri, ejusdemque Divinæ Matri Monasterium condere gestiens, rem quantocius aggressa, dum jam confecisse videretur, subito omnem structionem corruisse doluit; minime tamen cœptis desistens, & successisse sibi gratulata, dum ad S. Rictrudem inviseret, collapsi denuo Cœnobii sonus ad ejusdem aures devenit. Consternatam Rictrudes erexit, & consilium piorum, Numinisque voluntatem exquirenda voluit. Ita triduano præmisso jejunio, locus divinitus est designatus anno Christi 682. Agathonis Papæ 2. Theodorici Regis 12. inventique quatuor lapides in crucis figuram positi, designataque cœlesti manu Ecclesiæ fundamenta. Mox structio de novo cœpta & feliciter consummata, ac dein plures convocati Episcopi & Ecclesia consecrata, Beata Bertha se ipsam ibidem includente, & duas juxta filias Gertrudem & Deotilam Numini in cucullo offerente ac devovente, nec non lectissimam virginum coronam Sponso Virginum congregante.

## S. BLASII NORTHEIMENSE.

Ordinis Benedicti percelebre Cœnobium, ad honorem Salvatoris divinæque Ejusdem Matris nec non S. Blasii Episcopi & Martyris fundatum est anno Domini 1050. ab Othone Magno Illustri Duce Saxoniæ & Bavariæ, Comite Northeimensi, & conthorali ipsius Richenza Henrici Tertii Imp. filia. Quod ipsum Monasterium primis quasi initiis anno Domini 1128. per Adolphum Comitem de Dassel hostiliter combustum, Sigfridus Fundatoris Nepos Comes de Boumeneburg, Henrici Ducis Saxoniæ frater, de novo struxit, & innovationem Fundationis & Privilegiorum apud Marcolphum Archiepiscopum Moguntinum impetravit. Præfatus etiam Adolphus pœnitentia ductus, & ab excommunicatione absolutus, templum restauravit & plumbo texit, obiit Otho Fundator 3. Id. januarii anno 1083.

CATA-

*CATALOGUS LOCI PRÆSULUM HIC EST:*

1. VVaramundus obiit anno 1086.
2. Ortgarius mœrore extinctus post incendium 1128.
3. VVaramundus II. obiit 1147.
4. VVicelinus mortuus anno 1154.
5. Beringerus vita excessit 1161.
6. Regenhardus moritur anno 1168.
7. Hadamarus obiit anno 1176.
8. Egilo mortalibus valedixit anno 1178.
9. Knothardus defunctus 1192.
10. Udalricus denascitur anno 1197.
11. Henricus valedixit mortalibus 1200.
12. Adolphus obiit anno 1201.
13. Hermannus mortuus 1210.
14. Richardus decessit anno 1214.
15. Bartholdus vivis exemptus 1217.
16. Hermannus obiit anno 1221.
17. Ernestus moritur anno 1224.
18. Alexander obiit anno 1245.
19. Euerhardus decessit anno 1255.
20. Henricus anno 1268.
21. Theodoricus obiit anno 1295.
22. Bartholdus II. mortuus anno 1301.
23. Albertus bre . extinctus 1303.
24. Bartoldus III. vita functus 1311.
25. Henricus eodem anno extinctus.
26. Ernestus anno Christi 1325.
27. Henricus è vivis obiit 1337.
28. Hermannus obiit anno 1344.
29. Eckbertus moritur anno 1351.
30. Henricus onus cum vita ponit 1389.
31. Joannes obiit anno Christi 1399.
32. Joannes valedicit mortalibus 1407.
33. Theodoricus mortuus 1415.
34. Joannes immature obiit 1418.
35. Theodoricus obiit 1432. sub cujus regimine ex hoc Monasterio anno 1430. Joannes Dederot postulatur ad Monasterium Clusense, ubi & Reformationem Bursfeldensem primitus incepit, unde ad Bursfeldense expetitus, ibidem est prosequutus. Fuit autem patria Mündensis, quæ est civitas Ser. Ducum Brunsuicensium; ad confluentiam VVerræ & Fuldæ, ubi nomen Visurgis exoritur, quod monere voluimus, ne Mindæ ad Visurgim item sitæ, tanti viri origo referatur.
36. VVasmodus obiit anno 1443.
37. Henricus mortalibus valedixit 1457.
38. Joannes mortuus 1463.
39. Henricus anno 1477.
40. VVernherus Abbas obiit anno 1480.
41. Bernardus vita excessit 1496.
42. Bartholdus naturæ concessit 1506.
43. Henricus obiit anno 1523.
44. Bartholdus morte abreptus 1530.
45. Henricus anno Christi 1548.
46. Joannes Beckmann, sub cujus regimine Ericus Dux Brunsuicensis Monasterium Senatui Northeimensi oppignoravit pro septem millibus talerorum Joachimicorum, unde Abbas relictis aliquot Fratribus cedere coactus fuit, & Hildesii exulans an. 1570 postulatus ad Monasterium Clusense, ibidem Abbas anno 1572 ad supera migravit.
47. Jacobus Bruns anno 1575. Abbas electus, & ipse ob nimias persecutiones cedere coactus in Monasterio S Michaelis Hildesiano delituit, ubi etiam senex vitam finivit anno 1616. Nullo proin superstite vacavit Abbatia donec Ferd. II. Imp. edicto publicato super Restitutione bonorum Ecclesiasticorum, alia inter, hoc etiam Monasterium anno 1629. die 9. Sept. recuperaretur. Proin anno eodem 4. Octobr. per Deputatos Ordinis & Congregationis Bursfeldensis eligitur & ex Monasterio S. Godehardi Hildesiano postulatur:
48. Franciscus Molitor, qui obtenta licet imperatoris Protectione, & Archiepiscopi Moguntinensis confirmatione, turbato Imperio, post publicæ Pacis Monasteriensis Instrumentum; ad suum Professionis Monasterium redire coactus, ibidem superstes anno etiamnum 1662. morabatur.

## BRUNSHAUSENSE.

IN Ducatu Brunsuicensi VVolffenbeittel, Benedictini Ordinis nobile Virginum, DEO dicatarum Cœnobium: fundatum à Brunone I. Saxoniæ Duce in honorem S Bonifacii, non longè à Gandersheimio ad Gannem fluvium, cum Basilica magnifica. Hodie obtinent virgines acatholicæ.

## BROUNEBOUGIANUM.

BEnedictini item Ordinis Virginum Sanctimonialium, in Belgio Monasterium fundatum à Clementia, Fructuaria Flandriæ Domina, anno Christi 1039. quod in suburbanis olim Brounebuogensibus structum, ob incursus hostiles in ipsum dein oppidum translatum est, jussu Caroli V. Imp. anno 1551. Abbatissarum Syllabum, uti potuimus, perbrevem damus

1. Godildis, Clementiæ Fundatricis soror.
2. Adelis sive Adelheides.
3. Egina.
4. Heriendis à Guisne.
5. Joanna de Rasinghien.
6. Agnes de Niepa.
7. Sara de Merins Claruit anno Christi 1284.
8. Mathilde de Zomernighem.
9. Joanna de Fiemes, anno 1315.
10. Maria de Chapelle, anno 1459.
11. Claricia.
12. Elisab. de Hersellis.
13. Bonna de Viesfuille anno 1469.
14. Ursula de Viesfuille 1475.
15. Maria de Stainbourg anno 1503.
16. Adriana de Nojelle.
17. Antonia de Nojelle.
18. Maria de Moerbecke, alias à S Audomaro.
19. Maria de Bernemicourt anno Christi 1577.
20. Antonia de VVillecys, 1600.
21. Barbara de Bailleur, 1603.
22. Jacquelina de Lannoy anno 1621.
23. Maria de Bouuieres

SS. Reliquiæ in hoc loco habentur: De Cruce Domini. De lacte Matris ejus. De Cruce S. Petri. De brachio S. Pantaleonis Martyris. De capite S. Quintini Martyris. Item S. Benedictæ & XI. millium Virg. De SS. Leodegario, Amando, Hieronymo, Georgio Martyre, Vincentio, Audomaro, Lamberto, Bertino, Blasio, Margarita, Agatha, Apollonia, &c. & de capite S. Florini.

## CAPELLENSE.

Benedictini Instituti inclytum Cœnobium, fundatum anno Christi 1090. ab Eustachio Boloniæ sive Bononiæ Comite & conjuge ejusdem Ida, parentibus Godefridi Bullonii sive de Bovillon & Balduini, Regum Hierosolymitanorum, ad honorem B. M. V. vulgo de Capella juxta Calesium, in loco dicto Brocham, & Monachis Hamensibus crediderunt, ubi Ida prædicta undecim de Capillis, B. M. V. quos ab Hastulpho Rege summis precibus impetravit, cum aliorum Sanctorum reliquiis religiosè condidit.

## CATLENBURGENSE.

Illustre virginum sanctimonialium Cœnobium à Theodorico ultimo Comite de Catlenburg conditum, sub annum Christi 1100. Illud anno Christi 1346. à scelesto quodam homine nequiter succensum atque exustum, sacræ virgines è cineribus feliciter resuscitarunt. Sed superiore sæculo sectariorum denuo scelus evertit, & Domus DEI, in arcem seu Palatium Ducale conversa fuit.

## CELLA APOSTOLORUM.

Vulgo S. Ghisleni, Benedictini Ordinis felicissimum Monasterium in Belgio, Fundatorem habuit Religiosissimi nominis Principem, Dagobertum Regem, Clotharii Magni filium, erga Divi Benedicti Ordinem munificentissimum, qui Ursidungum & Hornutum, insigni liberalitate in usus Fratrum Religiosorum tradidit, anno Christi 630. Carolus Magnus Imp. totum penè Monasterium cum Basilica restauravit tempore Elephantis Abbatis sui Nepotis. Ottho Magnus secundi Fundatoris titulum meruit, Cœnobium per vastationem Nortmannorum in integrum restituendo, dotando & ditando, committente inprimis Brunone ejusdem fratre Archiepiscopo Coloniensi. Sed & S. Henricus Imp. Aug. Benefactorem singularem egit, pluresque alii Principes, Sancta Waldetrudis, Gislebertus Dux Lotharingiæ, Godefridus Dux Einhamensis & Comes Hannoniæ, sed & Balduinus Hannoniæ Comes, qui omnes locum sanctissimum mira benevolentia coluere & excoluere.

I. Reliquiæ SS. hujus Monasterii sunt; corpus S. Ghisleni qui relicto Episcopatu Monachum altera vice professus, eximia vitæ sanctitate refulsit, in hoc suo Monasterio conditus, quem Franciscus van der Burch theca argentea admirandi operis inclusit, de qua non vereatur dicere Chronographus Hannonius: *Quod nulla Hannoniis præstantior extet in oris*, cæterum caput ipsius in argentea asservatur statua.

II. Corpus S. Leocadiæ Virg. & Mart. urbis Toletanæ in Hispaniis Patronæ, in Cella Apostolorum divinitus depositum anno 714. in eâ mansit ad annum 1580. quo Rege Hispaniarum petente & Gregorio XIII. in Virtute obedientiæ præcipiente, in Hispanias magna Regnorum omnium gratulatione receptum fuit, retento tamen uno ex ossibus, quod est in magna veneratione.

III. Corpus S. Sulpitii Episcopi, quod anno 992. vel 93. ex Normannia attulit Simon Abbas hujus Monasterii.

IV. Corpus S. Patraliæ virg. & Mart. quod à trecentis hoc loco magno in honore fuerat, ut multum errent, qui vicissim pro corpore S. Leocadiæ dono datum opinantur.

V. SS. Lamberti & Bellerii discipulorum S. Ghisleni hujus loci Monachorum.

VI. Corpus S. Nazarii Mart. illius, ni fallatur scriptor, cujus natalis dies 12. Junii in Calendario Romano celebratur.

VII. Magna pars corporis S. Dagoberti Regis & Martyris; nec non brachium ejusdem, publicæ venerationi expositum.

VIII. Pars notabilis capitis S. Matthæi Apostoli & Evangelistæ, miraculo comprobata.

IX. Caput S. Mauronti Abbatis Patroni Duaceni.

X. Maxima pars capitis S. Jonati primi Abbatis Marchianensis.

XI. Brachium S. Landoaldi S. R. E. Archipresbyteri.

XII. Caput S. Salamenæ Reginæ virg. & Mart. ex Societate S. Ursulæ, hujus neptis.

XIII. Ex eadem Societ. habentur hic ossa plurima.

XIV. Vertebra spinæ dorsi & aliæ reliquiæ S. Macharii Patriarchæ Antiocheni.

XV. Os notabile S. Drogonis opilionis.

XVI. Os brachii vel tibiæ unius militis ex Thebæa Legione.

XVII. Pars magna crucis Dominicæ.

XVIII. Pars reliquiarum S. Mariæ Oegniacensis.

XIX. Articulus S. Laurentii.

XX. Duæ partes non modicæ corporis S. P. N. Benedicti. Sed & minores, magnorum tamen Cœlitum reliquiæ plurimæ hic asservantur: de Brachio S. Stephani Protomart. & stola ejusdem. Brachium S. Cassiani, cum testa capitis. Costa S. Cæciliæ V. & Mart. Brachium S. Rictrudis, &c.

## CELLA MARIÆ.

Ordinis S. P. Benedicti Diecæseos Passaviensis intra Montana Austriæ Inferioris versus Styriam Cœnobium, Viennâ Austriæ Metropoli 6. milliaribus dissitum. Fundatores habuit Henricum & Rapatonem duos germanos fratres Dominos de Schwarzenburg, sub annum Christi 1134. His de idoneo ad construendum Cœnobium loco laborantibus, S. Leopoldus tunc temporis Austriæ Marchio, hæsitantes præveniens, in proprio fundo, suisque sumptibus Oratorium in honorem DEIparæ Virg. construi curavit, factamque à prædictis fratribus Fundationem anno 1136. in festo Purificationis B. M. V. Neostadii in præsentia multorum Austriæ Procerum, solemniter confirmavit, & circum jacentium sylvarum agrorum & pascuorum donatione haud parum auxit. Traditio etiam antiqua habet, prænominatos fratres Fundatores, acceptum à S. Leopoldo locum arboribus & senticetis horridum propriis manibus purgasse, atque pro Oratorii fabrica, idoneum reddidisse. Colitur in hoc Monasterio ab accolis & vicinis antiqua sed devota DEIparæ Virginis Jesulum sinu gestantis sculpta imago, constansq; fama est, hanc iconem, antequam peregrinatio ad Cellas Styriæ initium sumeret, non solum vicinorum, sed & longe distantium visita-

vificatione celebrem extitisse. Habuit præterea Monasterium hoc olim pro alendo congruo Fratrum numero, sufficientes reditus, donec anno 1529 à Turcis Viennam obsidentibus, & paulo post, excursione per Styriam facta, altera vice, cum omnibus pagis & villis ad Monasterium pertinentibus, cæsis etiam aliquot Religiosis, miserrime vastatum fuisset. Hinc Abbas Joannes ejus nominis V. ne Monasterium omnino desolatum jaceret, necessitate compulsus, meliora Monasterii bona vendidit, & ex collecta pecunia illud partim restauravit, partim etiam subsidium, quod eo tempore ad bellum contra Turcam, ab omnibus Monasteriis & sacris ædibus exigebatur, dissolvit. Numerus & series Abbatum sequens est:

1. Azelinus.
2. Hardwicus.
3. Volcardus.
4. Maganus.
5. Noradinus.
6. Henricus I.
7. Henricus II.
8. Joannes I.
9. Albero.
10. Godescalcus.
11. Ebergerus.
12. Richardus.
13. Udalricus I.
14. Otho.
15. Herbordus.
16. Henricus III.
17. Rudolphus.
18. Leopoldus I.
19. Conradus.
20. Joannes II.
21. Henricus IV.
22. Leopoldus II.
23. Vdalinus.
24. Georgius I.
25. Petrus.
26. Joannes III.
27. Michael I.
28. Laurentius Gruober.
29. Joannes IV.
30. Augustinus.
31. Nicolaus.
32. Jodocus.
33. Benedictus de Amberga.
34. Udalricus II.
35. Christophorus.
36. Joannes V.
37. Simon Piscator.
38. Innocentius VVunsam.
39. Michael Grien.
40. Ægidius Lanius.
41. Caspar Renck.
42. Paulus Leitner.
43. Jacobus Stingel.
44. Caspar Hoffmann.
45. Laurentius Reits.
46. Joannes VI, Metwolck.
47. Erardus Christianus.
48. Georgius Schedler.
49. Vitus Perckhofer.
50. Valentinus Stambler.
51. Anselmus Schyring ex Monasterio Gottvicensi postulatus, cui DEUS & divina Mater Nestoreos Jovialibus jungant annis, & æternum benedicat.

Periit Monasterium hoc miserabili incendio anno Christi 1603. insigniter tamen deinceps restauratum atque exornatum.

## CLARI MARISCI.

ORdinis Benedictini Reformationis Cisterciensis præclarum in inferiore Germania Cœnobium, constructum & fundatum anno Christi 1140 à Theodorico Elsatio Flandriæ Comite decimo octavo. Abbates sequentes præfuere:

1. Genfridus sive Goffridus Melliflui Doctoris Bernardi discipulus, totius Religionis exemplar, octavo Regiminis sui anno beato fine quievit.
2. Wilhelmus & ipse discipulus S. Bernardi, ex Priore Monasterii Abbas electus, transtulit Monasterium è veteri Curia, ad locum ubi hodie spectatur. Vita excessit anno 1169.
3. David à S. Audomaro, religiose admodum præfuit annis quinque ac totidem mensibus. Deinde ultro resignans, vitæ reliquum in sancta conversatione transegit.
4. Everardus præfuit annis undecim, & aliquot mensibus.
5. Fernandus præstitit quadriennium, & honorem cessit.
6. Gerardus de Spineto, præsedit annis 5. mensibus 4. diebus quatuordecim.
7. Adam, obiit 3. Cal. Martii, de anno non constat.
8. Gerardus de Campania, præfuit annis 3. & 10. mensibus.
9. Nicolaus de Cambron præfuit annis 4. mensibus 7. diebus 20. Resignavit 1208
10. Lambertus, sedit ad clavum annis 13. mensibus fere octo.
11. Michael anno uno, mensibus 7. diebus undecim.
12. Mennerius Lombardus, præfuit mensibus solummodo novem & diebus sedecim.
13. Simon de Marquetta summa cum laude Abbatem egit annis 32 mensibus 3. diebus 20. Senex & plenus dierum officio sponte cessit.
14. Robertus de Bethimia, sedit annis octo, & totidem mensibus ac diebus.
15. Arnulphus rexit annos fere 16. & cessit 3. Cal. Junii.
16. Nicolaus de Steinfort cognomine Mangiers, præfuit annis octo minus duobus mensibus & diebus 9 cessit undecimo Cal Aprilis.
17. Anselmus Rolin, præfuit triennium, mensibus 5. cessit anno 1253. 18. Sept.
18. Renerus de Marquetta Sacræ Theol. Doctor, præfuit biennium & resignavit.
19. Petrus de Divione præstitit annis fere sex.
20. Henricus ab Ipra rexit prudenter annis ferè 15. & resignavit.
21. Sagalo de Atrebato, præfuit annis 7. mensibus 10. diebus 7. obiit 17 Septemb. anno 1313. sepultus in Claævallis Capitulo ubi in magna sanctitatis opinione habetur.
22. Henricus de Ipra, iterato electus, uno anno præfuit, & obiit 2. Oct 1313.



23. Joan-

23. Joannes Brieure Sacræ Theol. Doctor & Professor, mitissimus hominum, solatium Religiosorum, pacis conciliator, unico anno præfuit, & resignans, vitæ reliquum in sancta traduxit conversatione.
24. Franciscus Sandre anno uno præfuit.
25. Lambertus Vout, de Arekes oriundus, rexit strenuè Cœnobium annis 14. obiit anno Christi 1340. die 24. Januarii.
26. Paulus de Balliolo, prudenter præfuit annis 4. mensibus 6. obiitque 4. oct. 1345.
27. Jacobus Mincke annis 20. vigilanter præsedit, dein sponte resignavit, & plenus dierum anno 1380. mortalitatem exuit.
28. Joannes Godberons, Monachus Dunensis præfuit annis 21. obiit 4. Oct. 1386.
29. Petrus Ruthe annis 13. mensibus 8. diebus 26. obiit 2. Julii anno 1400.
30. Georgius de Campania, annis undecim, obiit 19. Augusti anno 1411.
31. Joannes Cheers, vir solidè eruditus, utiliter præfuit annis 27. obiit 17. Febr. 1438.
32. Rolandus Monachi, ex Cellario Abbas annis 10. obiit 3. Maij 1448.
33. Joannes Serlamins, aliàs Galien, præsedit annis 17. resignavit 1465.
34. Ingeranus Creybeen, rexit annis 9. mensibus 5. Sub hoc nova Ecclesia per Jacobum Insulensem Episcopum fuit dedicata. Ingeranus obiit 22. Nov. 1484.
35. Jacobus de Lieure annis undecim, sponte resignans ipso anno obiit 17. Aug. 1496.
36. Ægidius Willers, vir venerabilis, præfuit annis 22. mensibus 6. obiit 22. Aug. 1518.
37. Ægidius de Ponte præsedit annis 7. Mortuus 23. Maij anno 1525.
38. Ludovicus Hartauld annis 19. obdormiit in Domino 30. Maij 1544.
39. Robertus Pepin Abbas Religiosissimus & optimè meritus. Obiit 2. Oct. 1547.
40. Antonius de Croix nobili genere ex Priore præfuit annis 28. mensibus 7. diebus 29. obiit 25. Januarii 1577. Ejus symbolum: *Salvum me fac DEUS.*
41. Antonius de Canteleu Audomarensis nepos superioris ex sorore; monachus Prior & Coadjutor. SS. Theol. Licent. laudabiliter præfuit annis 12. mensibus 4. diebus 21. obiit 4. Julii anno 1589. Ejus symbolum fuit: *Contine & sustine.*
42. Hubertus Raul, Audomarensis, Prior, insigni facundia vir, SS. Theol. Baccalaureus, præstitit annis 4. obiit 21. Dec. 1594. vita longiore dignus, Ejus symbolum: *Sperans non infirmabor.*
43. Morandus Blomme prudenter Monasterium gubernavit annis viginti, obiit 27. Martii anno 1615. Ejus symbolum: *nescit obedientia moram.*
44. Martinus Tirant, vir pius, misericors omnibusque amabilis. Hic secundo regiminis anno usum mytræ impetravit, obiit 6. Oct. 1621. Symbolum: *DEus mihi scopus.*
45. Ægidius de Mont, hujus loci professus, & Monialium S. Columbæ in Blendeca Confessarius, præfuit annis 12. obiit 21. Sept. 1632. Altare majus 50. pedum altitudine confici curavit ex pretiosissimo diversi coloris marmore, ut & organum majus, cujus majores tubi seu fistulæ pedum 22. Ejus Symbolum erat: *Ascende in Montem.*
46. Georgius de Haffrenghes, ex Priore Abbas, Ejus Symbolum: *gaudet patientia duris.*

## CORONÆ SPINEÆ.

Cisterciensis Congregationis amplissimæ, Regulæ Divi Benedicti illustre in Regno Bohemiæ Monasterium, fundatum ab Ottagaro Rege Bohemiæ Duce Austriæ & Styriæ, Marchione Moraviæ anno Christi 1263. altero lapide ab Urbe Krumlaviensi, quod tantis postea floruit opibus, ut non Spinea, sed Corona Aurea vulgo appellaretur. Verum ab impio Ziska pessimè habitum & eversum, Monachis per summam crudelitatem per varia supplicia in mortem affectis, quos inter nonnulli ad duas in atrio Cœnobii Tilias suspensi, grandi miraculo, Martyrum deinceps apud Numen gratiam prodidere, cum ex eo tempore, arborum illarum folia præter naturam, caputia Religiosorum illorum referrent, & repræsentarent, quæ passim cum summa admiratione spectantium circumferuntur. Nec æquiores postea in Cœnobium, post illam vastationem restitutum, Rosenbergii Barones ac Domini, qui pulcherrimo titulo Protectionis, ex Protectoribus, prædones effecti; creditum fidei suæ Monasterium sacrilegè opprimentes; sacra Numini in proprios usus cogere non veriti, Petrus inprimis, nobiliora quævis, oppida, villas & possessiones, hæreditario, ut dicebant, jure, sibi appropriarunt. Verum is ipse potissimus rapinæ Auctor, piorum acquiescens monitis & Numinis inspirationi, non solum quæ abstulerat, Monachis reddidit, sed & posteros insuper suos, siquid tentare ejusmodi deinceps præsumerent, execratus Diris omnibus devovit, qui tamen extremæ ejusdem voluntati non modo non satisfecerunt, verùm etiam impiè criminantes eamdem, ab ipso tanquam mentis impote factam, novam confirmationem super cassatis ac annullatis à Petro Regiis (quas olim à Wladislao Rege extorserat) litteris, alienationem bonorum Monasterii concernentibus, à Ferdinando Imp. importune falsis prætextibus impetraverunt: quatenus illis alienata bona retinere liceret, quod masculinus sexus è thoro legitimo superesset. Qui tandem hoc præsenti sæculo, divino sic sanciente Judicio, omnino extinctus est, ut tantæ olim Familiæ, quæ æternum duratura tot opibus subnixa videretur, hodie nec umbra quidem superesse comprobetur. In tilias supra memoratas, nonnullis sic ludere placuit:

*Hic ubi capparum sacra symbola germinat arbos*
*Quondam sanguineo rore rigata fuit.*
*Dum quadringentos bis senos mille, nepotum*
*Stirps annos numerat Ziska per arma furit.*
*Inde viros sacros (Abbas Rutgere fateris)*
*Strangulat, & ramo cappa renata viret.*

Nec dissimiliter alius:

*Siste viam cernens tiliam, devote Viator*
*Qua viget, & nullo stat moritura die.*
*Symbola Martyrii, cappas mirabere natas,*
*Cum ramus virides induet udus opes.*
*Talia, sed nolens, patrat miracula Ziska,*
*Dum perimit sacros reste furente viros.*

Et alius:

Ziska Kazyss, *versum rectum est tibi nomen & omen,*
*Evertis, Latia est, lingua Boema Kazyss.*

*Quin-*

*Quingenta evertis Cœnobia, templa cremasque*
*Et quodcunque pium est, impie Ziſka Kaziſ.*
*Sola tui ſceleris bene conſcia pullulat arbos,*
*Ævo quam nullo Ziſka ſceleſte Skaziſ.*
*Annoſa Tiliæ, cappata hac germina creſcent*
*Semper, nequitiæ ſtigmata Ziſka tuæ.*

Allaboravit æterno merito plurimum in reſtitutione bonorum hujus Monaſterii Ferdinandus II. Auguſtiſſimæ Sanctiſſimæque memoriæ Imperator, & reſtituta procul dubio in integrum fuiſſent, ſi tunc documenta originalia monſtrari potuiſſent, quæ poſtliminio recuperavit Rever. Dominus Andreas Pauman, hujus loci meritiſſimus Abbas, & Reverendiſſimi Præſulis, qui hodie rerum potitur optimus ſucceſſor. DEUS, quod ſuum eſt, cuique aſſignari faciat, & in uſurpatores, quem ſtrinxit jam pridem gladium, clementer contineat ſi forte exemplo Roſenbergenſium, & tot aliarum hâc ipſâ ex cauſa extinctarum, & depauperatarum ſacri auri contactu, reſipiſcant.

## CORBEIENSE.

ORdinis Benedictini longè illuſtriſſimum olim hodieque Archiſterium, cujus parte II. Germaniæ Abbates dedimus, breviorem autem & correctiorem modo nacti Catalogum, etiam ſubjiciendum duximus.

1. S. Adelhardus Ludovico Pio ex Corbeia Gallica evocante primus Corbeiæ Saxonicæ Abbas, conſtitutus anno 817. qui primitus Monaſterium trans Viſurgim in ſylva conſtruxit, inde vero propter loci incommoditatem, cum conſenſu Fundatoris prædicti, ad locum, ubi hodie viſitur, tranſtulit, anno 822.
2. S. Warinus frater Regis Galliæ, præfuit ſanctiſſimè & feliciſſimè, annis 33. qui Reliquias S. Viti è S. Dionyſii Pariſienſi huc tranſtulit, 14. Junii 825. Ad ſuperos migravit anno Chriſti 856.
3. S. Adelgarius, & ipſe 33. annis præſtitit, Archiepiſcopus Bremenſis creatus anno 889. mortuus eſt Bremæ anno Chriſti 909.
4. Danckmarus 8. præfuit menſibus ſolummodo & anno 890. vita exceſſit.
5. Avo præfuit annis 4. obiit 893.
6. Bavo, dictus Amator Fratrum, Hiſtorias ſuæ ætatis ſcripſit, obiit anno 904.
7. Godſcalcus annis 9. præſtitit. Reliquias S. Juſtini Mart. Corbeiæ intulit, obiit 913.
8. Bavo II. annis 10. vitam mortalem deſeruit anno 923.
9. Volckmarus I. Otthoni Imp. familiariſſimus, præfuit annis 35. obiit anno 958.
10. Bavo III. triennium præfuit, acquiſivit Præpoſituram Gröningen, obiit anno 964.
11. Gerbernus, ſedit ad clavum annis 14. obiit anno Chriſti 978.
12. Ludolphus Monaſterium gubernavit annis viginti, mortuus anno 998.
13. Diethmarus I. annis 15. ſub hoc Abbate S. Henricus Imp. cum conjuge ſua Kunegunda anno 1003. Corbeiam inviſit, & aliquamdiu ſubſtitit, obiit 1013.
14. Hoſed annis 9. ſub quo oppidum Corbeiæ fulmine accenſum periit, obiit 1022.
15. VValo annis 12. inde exauctoratur anno Chriſti 1034.
16. Diethmarus II. annis 12. ſub quo civitas nuper reſtaurata denuo incenditur. Abbas hic diverſos ſcripſiſſe libros memoratur, obiit anno 1046.
17. Ruthardus poſt annos 4. deponitur 1050. Fit poſtea Abbas Hirsfeldenſis.
18. Arnolphus de Falckenberg, annis 5. Hic anno 1055. fit Abbas Weiſſenburgenſis & Limburgenſis, & anno ætatis ſuæ 98. Epiſcopus Spirenſis creatur, ubi 4. annis præfuit quam religioſiſſime & ætatis 102. deceſſit ſepultus ad S. Guidonem.
19. Saracha annis 16. ſub hoc civitas Corbeienſis Huxeriam transfertur, obiit 1071.
20. VVernherus regimen tenuit annis undecim mortuus anno 1082.
21. Fridericus anno 1085. deponitur.
22. Marquardus 3. an. inde eligitur in Epiſcopum Oſnaburgenſem anno 1088.
23. Erckenbertus præſtitit Abbatiæ annis 28. Vita exceſſit anno 1116.
24. Volckmarus II. Comes de Bemerburg, præfuit ſexennium, obiit 1122.
25. Adelbertus annis 5. obiit 1127.
26. Henricus I. anno I. obiit 1128.
27. Henricus ſecundus præfuit triennium, mortalitatem exuit anno 1131.
28. VVichboldus annis 43. Hic à Conrado III. & Frid. I. Impp. inſignia impetravit Privilegia aureis & Characteribus & Sigillo. Caſtrum Fürſtenberg Comiti ab Eberſtein in feudum conceſſit, obiit 1174.
29. Conradus, triennium præfuit & vita exceſſit anno Chriſti 1177.
30. VVedekindus Spiegel Dominus in Deſenbergh, annis 19. Arcem Kogelberg condidit, & cum Archiepiſcopis Colon. perpetua fœdera ſancivit, obiit 1196.
31. Diethmarus III. de Stockhauſen, annis 3. Scripſit Hiſtoriam ſui temporis, ob. 1200.
32. Hugoldus annis 29. Interfuit Comitiis Herbipol. cum Rege Philippo, obiit 1229.
33. Hermannus I. Ruhgravius in Daſſel, annis 30. obiit 1259.
34. Thimo annis 12. ſub hoc Huxaria à Simone Epiſc. Paderbornenſi capta eſt atque vaſtata, obiit Thimo anno 1271.
35. Henricus III. Dominus ab Homburgh. annis 28. conſtruxit arcem VVerneburgum ad Viſurgim, obiit 1299.
36. Rupertus annis 6. præſtitit, ædificavit arcem Thonnenburgh, obiit 1305.
37. Theodoricus I. à Dalwigh annis 16. ſtruxit arcem Fürſtenauw, obiit 1321.
38. Henricus IV. Spiegel in Deſenberg, annis 39. Fit Epiſcopus Paderbornenſis authoritate Innocenti VI. Pont. Max. ubi ſedit annis 18. obiit 1378.
39. Reinerus à Dalwigh electus 1360. præfuit annis 5. Sub hoc anno 1363. Brachelenſes poſtridie S. Viti Corbeiam hoſtiliter invadentes opera atque ope Huxerienſium repulſi cæſi & in fugam acti ſunt, obiit 1365.
40. Erneſtus Dux de Sale, ob ingenitam Generoſitatem Ducem magis agens quam Abbatem, exauctoratur ſecundo regiminis anno.
41. Bodo Comes de Pirmundt electus 1376. præfuit annis 5. obiit 1372.

42. Theodoricus II. altero anno regiminis deponitur. Consenuit in Monast. Helmarshausen.
43. Arnoldus Wolff, Monasterio consuluit annis 26. Vita excessit anno 1400.
44. Wilbrandus Comes ab Hallermöndt annis sex. Inde eligitur Episcopus Mindensis, cui Ecclesiæ 16. annis præfuit, & ibidem obiit.
45. Theodoricus III. à Rheins, sedit ad clavum annis 17. obiit 1423.
46. Mauritius Comes à Spiegelberg, præsedit annis 23. mortuus 1446.
47. Arnoldus II. de Malsburgh, præstitit annis 26. moritur 1472.
48. Hermannus II. à Stockhausen ex Abbate Helmarshausano in Principem Corbeiensem postulatus, præfuit annis 7. obiitque anno 1479.
49. Hermannus III. à Bomelburg annis 25. sub cujus regimine per Dominos Joannem Abbatem S. Michaelis, & Henningum Abbatem S. Godehardi Hildesianum Corbeia Congregationi Bursfeldensi se adjunxit. Obiit 1504.
50. Franciscus Ketteler annis 43 ob. 1547.
51. Gaspar ab Hertel. an 8. obiit 1555.
52. Reinhardus à Bucholtz optimè præfuit annis 30. vita excessit 1585.
53. Theodoricus IV. à Berninghausen annis 31. Diœcesim suam reformavit, & novum Calendarium introduxit, templum partim restauravit. Obiit 1616.
54. Henricus ab Aschenbruch, post 6. annos depositus, obiit in Marsbergensi præpositura.
55. Joan Christophorus à Brambach cum summa laude inter innumeras adversitates præfuit annis 16. Obiit anno 1618.
56. Arnoldus III à Waldoiss professus celeberrimi Monasterii S. Pantaleonis Coloniæ, ex Abbate Iburgensi anno 1618 18. Maji in Principem Corbeiensem postulatus, inter plurimas, quas cum summa animi moderatione patientissimè tulit adversitates, utilissimè præfuit annis 24. obiit 1661. 3. Octobr.
57. Bernardus Christophorus à Gaalen Episcopus Monasteriensis post longiorem deliberationem unanimi Capitularium voto, ad succurrendum afflicto rerum statui, eligitur Administrator.

Ex hoc Monasterio celeberrimo & de Germania meritissimo, magna omnino hujus ejusdem ornamenta & sydera prodiere. Pauca recensemus

1. S. Anscharius sive Ansgarius, primus Bremensium & Hamburgensium Archiepiscopus, Suecorum Danorum & totius Septentrionis Apostolus, ut hic totus, in colenda & adornanda tanti Patris & Tutelaris avita domo Professionis ejusdem, obligatissimus teneatur.
2. S. Rembertus secundus Bremensium Archiepiscopus & Tutelaris, magnus & ipse Apostolus.
3. S. Altfridus Hildesheimensis Episcopus & Patronus, Hildesianæ Episcopalis Ecclesiæ Conditor meritissimus; diversorum Monasteriorum, Essediensis, Asswedensis, & Seeligenstattensis Fundator.
4. Ludolphus & ipse Episcopus Hildesianus ex hoc Monasterio postulatus.
5. Carolus Dux Aquitaniæ Pipini filius ex hoc Monasterio ad Archiepiscopatum Moguntinum postulatus & evectus.
6. Thiagrinus S. Ludgeri nepos, Episcopus Halberstadiensis.
7. Herbordus Abbas Erfordiensis.
8. Paschasius Ratpertus, monimentis egregii ingenii relictis celeberrimus.
9. S. Adelgarius Archiepiscopus Bremensis sextus.
10. Hoierus sive Hogerus Archiepiscopus Bremensis VII.
11. Unno sive VVinno Archiepiscopus Bremensis & Hamburgensis nonus.
12. VVidekindus celeberrimi nominis Historicus.
13. Thiatinus secundus Pragensis Ecclesiæ Episcopus.
14. Bruno ex Duce Saxoniæ Monachus XVI. VVerdensis Episcopus renunciatus; ac demum summus Pontifex creatus & Gregorius V. appellatus. Othonem III. Imp. coronavit & Electorum S.R.I. Collegium primus instituit.
15. Siffridus decimus tertius Episcopus Monasteriensis.
16. Algerus Monachus eruditione & scriptis contra Berengarium Hæresiarcham celebratissimus.
17. Conradus Abbas ad S. Michaelis Hildesheimense postulatus.
18. Hugo Foletus scriptis libris celeber.
19. Erhardus Monachus & ipse relictis ingenii monimentis viris magnis accensus.
20. Bernardus Comes à Diessen Episcopus Paderbornensis.
21. Hugoldus SS. Theol. Doctor & ipse in Sancti Michaelis Hildesianum Abbas postulatus.
22. Bernardus Comes de Lippe Episcopus Paderbornensis è Corbeia postulatus. Ut plurimos alios Illustres taceamus.

## CORTENBERGENSE.

Benedictini Ordinis Abbatia celebris virginum DEO dicatarum, à venerabili Columba, quæ haud longe ab Bruxellis & Lovanio in Cortenbergensi Ecclesia Inclusorum divi Benedicti amplexa fuerat institutum, fundata, cum omnes sibi obvenientes à parentibus & cognatis opes, eodem convertisset. Auxit fundationem Brabantiæ Dux, fuitque Monasterium cum Ecclesia consecratum anno Christi 1105. in honorem B. M. V. & S. Amandi. Fuit ibidem asservatum corpus B. Columbæ prædictæ, quod tamen anno 1572. rabie Calvinistarum periit.

## CREMIPHANENSE.

De Benedictini hujus spectatissimi, Cœnobii fundatione & Abbatibus satis prolixè parte 2. Germaniæ egimus, hic damus, quæ ulteriora huc usque accepimus.

1. Fatericus ex Inferiore Altaichio cum colonia Ascetarum à Fundatore evocatus, Abbas primus institutus fuit anno Christi 777. Sub hoc sequenti statim anno 778. consecratum est Monasterium solemnissime ab Udalrico Archiepiscopo Laureacensi, Virgilio Salisburgensi, & Simperte Ratisponensi, quo tempore, aut non multo post corpora SS. Valentini & Corbiniani, illud Tridentum, hoc Frisingam transtulerant. Fatericus optimè de suis meritus, ad præmia æternitatis evolavit anno salutis 790.

2. VVolff-

2. VVolframus, disciplinæ ab Antecessore introductæ sedulus propagator.
3. Sighardus, vir prudentia, consiliis rei domesticæ administratione haud inglorius paterfamilias, præfuit annis 31. obiit anno Christi 859.
4. Burckardus electus 860. cui collatum ab Imperatore fuit territorium Nezlpach, qui & in Privilegio quodam, *Abbas venerabilis* nuncupatur. Idem, ut & plures successorum Sacellani Cæsarei titulum meruit, præfuit annis 27. & vita excessit senex optimè meritus anno Christi 886.
5. Snelpero; sub quo ad bona Cœnobii jam collata, plura alia accesserunt dono Arnulphi, qui filius fuit Carolomanni, nimirum Neuenhouen, Ecclesia in VVels cum omnibus ad eam pertinentibus, & quidquid duo Comites Eberspergii habuere inter Champ & Persnich. Sub hoc contigit Abbate vastari ab Ungaris Monasterium, & quinquaginta Religiosorum Martyrum triumpho nobilitari. Sed ne solum id esset ab vastato Cœnobio infortunii, Arnolphus cognomento Malus, malum malo adjecit, dum prætextu Provinciæ contra hostes propugnandæ, Episcoporum & Abbatum jura & reditus sibi tradi à Cæsare contendit & impetravit; ita ut à morte Snelperonis, Abbatia aliquamdiu penitus vacaret. Quin & tertium ad cumulum malorum, Christiani Passaviensis Episcopi avaritia accessit, qui destitutum capite Monasterium, ad suam pertinere jurisdictionem asseverans; quin & prædia in Pöttenbach ceu propria usurpavit, quæ tamen denique DEI timore ductus restituit. De anno obitus Snelperonis non constat, adeoque nec de numero annorum quibus Abbatia vacavit.
6. S. Godhardus, de quo satis parte 2. Germaniæ nostræ egimus.
7. Sigmarus anno Christi 1012. post multorum vacationem annorum Abbas designatus, procul dubio ex lectissimis fuit, ut qui sub sanctissimis Episcopis floruerit, à quibus ipse aptissimus regimini judicatus sit. Præfuit annis viginti; & conscribi jussit supellectilem Ecclesiæ, sive præreptam hostibus, sive suâ cura & diligentia conquisitam, dignam quæ pro simplicitate sanctioris sæculi memoretur: Calices argentei quatuor; aureus unus. Casulæ quatuor; cappæ coccineæ decem; Talares, id est, Albæ viginti sex. Stolæ sexdecim; Cruces deauratæ quatuor; de argento una. Candelabra de auro & argento duo. Thuribulum æneum deauratum unum, aureum unum. Ut videas etiam priscos patres nostros, decorem Domus DEI promotum cupiisse. Obiit Sigmarus 1040.
8. Gerhardus præfuit annis decem & vita excessit VI. Cal. Febr. anno 1050.
9. Erchenbertus. Hic mitra primus, quam Synodo Moguntinâ à Leone IX. impetrasse verosimile est, insignitur. Hujus tempore Monasterium ab Engelberto Episcopo consecratur, quod forte per incendium aut raptores execratum fuerat. obiit Abbas 8. Cal. Julii.
10. VVolframus, sub quo prædia in Pettenbach monasterio restituta sunt, melius tamen alii sub Alremo factum contendunt. Obiit pridie Cal. Octobr.
11. Pezelinus, sub quo S. VVisintho Presbyter hujus loci Cœnobita vixit & devixit, ante altare S. Thomæ, hodie Omnium Sanctorum tumulatus, cujus deinceps ossa exhumata, & cum Fundatore asservata quiescunt. Sub eodem Pezelino, absumptum incendio Cœnobium memoratur.
12. Diethericus à B. Altmanno Episcopo Passaviensi institutus, ut & collapsam disciplinam, & incineratum Monasterium restitueret, quod & præclare præstitit & coloniam Monachorum ex Monasterio Göze seu Görze adduxit; ex quo & ipse assumptus fuerat, ægerrimè ferentibus hujus loci Cœnobitis, & optimum Abbatem, in patientiæ virtute plurimum exercentibus, qui nihilominus rem sedulo curans, Monasterium & Ecclesiam construxit, & à B. Altmanno dedicari impetravit. anno 1082. in honorem Salvatoris & SS. Agapiti & Blasii. Vita excessit V. Idus Decembr. Ejus sigillum eburneum nostra ætate repertum in quo cum infula non est sculptus, licet Antecessor Ehrenpertus, infulatus in lapide exsculptus habeatur.
13. Hoholdus, prædium quoddam Pachlein comparavit. Mortuus est 5. Cal. Julii, de anno nil memoratur.
14. Berchtoldus, decessit è vivis decimo nono Calendas Februarii.
15. Alramus. De hoc viro & Cœnobio ita pervetus vitæ S. Altmanni Scriptor: *Is locus* (nempe Cremiphanium) *postmodum per Alramum virum generosum & habilem ad prædicandum, tanta Religione & honestate est immutatus, ut cæteris circumquaque Abbatiis, prædiis, ædificiis, libris, picturis & aliis ornamentis sit prælatus. Insuper & viris eruditis & artium egregiè peritis, insigniter usque hodie fulgeat exornatus*, &c. Hujus item tempore VVelfo Dux Monasterio donodedit Steinporz & sylvam Prenbach anno 1093. Alramus impetravit ab Henrico Imp. restitutionem prædiorum in Pöttenpach, quæ Udalricus Episcopus aliquamdiu usurpaverat. Idem Ecclesiam Parochialem in Kirchdorff construxit, quam anno 1119 Udalricus prædictus consecravit. Adjunxit demum sibi Coadjutorem anno 1120. senio confectus, an morbo alio, & plenus dierum in Domino obdormiit anno 1122. 5 Idus Martii.
16. Hermannus, triennium solummodo superstes fuit obiitque prid. Cal. Januarii. Anno 1125.
17. Udalricus I. creatus Abbas anno 1120. præfuit annis undecim mortuus anno 1131.
18. Udalricus II. electus 1132. præfuit annis 15. cujus tempore Adelheides de VVildperg vidua Ernesti Comitis ab Hohenperg, dedit Monasterio locum Ecclesiæ Pechstal & sylvam Praumste, item locum in Monte S. Martini ubi Ecclesiam construxit quam Regimbertus Episc. consecravit 1140. Albertus Comes de Rebgau dedit prædia in Viechtwang ut illic Ecclesia conderetur 1155. sed & Pillungus de Pernstein prædium in Gaizlaren, & aliud in Schlachstheim contulit. Vita excessit Udalricus Anno 1147.
19. Albertus sedit ad clavum annos 13. sub hoc collata Cœnobio prædia in Leübenbach, Puochkirchen, & Chazbach. Obiit 4. Cal. Aprilis 1160.
20. Martinus, gubernacula tractavit annis quinque, sub quo Monasterio tradita filialis Ecclesia in VVeigersdorff, & Huoba Lochkirchen. Obiit 1165.

21. Alra-

21. Alramus II. ex Garsten postulatus. Sub cujus regimine collata sunt Monasterio: prædia varia in Perchwvindt, in Heitenheim & Vinea in Erlach. Ipse Abbas emit vineam in Plickersperg, & cum sedisset annos novem exauctoratus est à Theobaldo Episcopo anno 1173. obiit 3. Nonas Julii.

22. Udalricus III. postulatus ex Garsten, fratruelis S. Berchtoldi, & Prior illius loci, Comes ab Haimburg. Sub hoc Basilica Monasterii igne absumitur. Henricus Dux prædia in Hortenbach, & Crembs, confirmat, quæ VVelffo Dux ante obtulerat. Otthocharus Styriæ Marchio donat vineam in VVirthiching. Fuit Udalricus à patruo suo S. Berchtoldo prodigiosè dolore pedum liberatus. Comitatus fuit Leopoldum I. Ducem Austriæ ad terram sanctam; sed in reditu apud Accaron morbo correptus è vivis excessit, circa annum Christi 1182.

23. Mangoldus natione Suevus Comes Bergensis Berchtoldi III. Marchionis Istriæ sororis Gisilæ filius & Henrici ac Diepoldi Pataviensium Episcoporum frater germanus Abbas S. Georgii Hercyniæ à Theobaldo Episcopo suo fratre intrusus, eidem in Episcopatu successit, & tribus insuper Annis Abbatiam juxta retinuit, donec à Sede Apostolica dimittere cogeretur. Obiit demum Episcopus V. Idus Maji anno 1215.

24. Conradus eligitur anno 1206. ex Seitenstetten postulatus triennium præfuit postea exauctoratus est. Sub ipso denuo Ecclesia Monasterii incendio periit.

25. Rudolphus electus anno 1209. annos decem præsedit. Struxit Sacellum DEIparæ quod Eberhardus Archiepiscopus consecravit, item Dormitorium & duo latera Sacri ambitus.

26. Bernardus de Achleütten, emit curtes Silenbach, Gruob, Laup. Tampach, & Grauenperch, vir per omnia utilis & benè meritus, obiit sub annum 1230.

27. Henricus ex Comitibus de Plein, præfuit annis 17. fuitque Asceta Tegernseensis, inde postulatus, ut Monasterium reformaret anno 1232. initium reformationis faciendo. Cœpit eodem anno ruinosam restituere Ecclesiam, quod dum moliretur S. Agapiti Mart. corpus è summo altari, in DEIparæ transtulit, à quo tempore admirandis ipse cœpit radiare prodigiis, & varia se invocantibus beneficia impertiri. Sub eodem Abbate Privilegia Monasterii confirmata sunt & à summo Pontifice & à Cæsare, multaque Monasterio dona obvenere. Obiit 1287.

28. Ortolphus, ob rem minus feliciter administratam exauctoratus, vitam deinceps privatam exegit.

29. Berchtoldus ab Otthone Episcopo suffectus, laudabiliter & utiliter præsedit, cujus tempore collati sunt Monasterio redditus in Carinthia, & receptæ Ecclesiæ in Vorchdorff & VVeisskürcken. Ipse multa impignorata redemit, & Domum Infirmorum construxit, sed & Basilicam Cœnobii de novo condidit, & testudinibus concamerari curavit. Obiit 1275. ante aram S. Crucis inhumatus, 13. Cal. Dec.

30. Fridericus ab Aich vir nobilis, præfuit raro exemplo totis 54. annis, utiliter, & redditus annuos plurimum auxit, nec non ornamenta Ecclesiæ varia comparavit, Bibliothecam auxit, vexationes adversariorum & contentiones auro redemit, vir per omnia meritissimus, qui denique ætate confectus & laboribus ultro resignavit.

31. Fridericus II. de Rizendorff, & ipse egregiis dotibus & moribus, qui quæ dissoluere antecessor cœpit debita, magna dexteritate penitus sustulit. Consecratus fuit Abbas anno 1326. ab Alberto Pataviensi Episcopo, præfuit annis 20. obiitque 3. Id. Febr. 1346.

32. Christianus Ottstorffer, vir pomparum & splendoris amantior quam conveniens erat, præfuit triennium solum & multos superfluos sumptus dissolvendos successori reliquit. Obiit anno 1349. festo S. Elisabethæ.

33. Ernestus Ottstorffer cognatus Antecessoris, sed ejus dissimillimus, Oeconomus nimirum felicissimus, constructor nihilominus plurium ædificiorum, & qui in cultum Ecclesiæ plurimum expenderit. Migravit è vita anno 1360.

34. Conradus II. Suevus duos solum annos cum dimidio præfuit, & multa à Rudolpho Austriæ Duce sustinuit, obiit 8. Idus Junij anno 1363.

35. Henricus II. de Gruob, suo hoc utrumque dormitorium cum Sacello B.M.V. incendio periit, sed & Cœnobium haud pauca damna à prædonibus & militibus accepit. De obitu ejus non constat.

36. Henricus III. de Sulzbach Capellam S. Joannis in oppido absolvit. Obiit 1376.

37. Martinus II. Baro de Polheim, præfuit annis 23. mortuus sexta Julii 1399. Romam profectus, de novo veterem mitræ concessionem innovari impetravit, & Templum S. Sigismundi construxit.

38. Stephanus de Austria, sex annis præstitit, & diem extremum clausit anno 1405. pridie Calendas Februarii.

39. Hermannus ex Monasterio Mettensi assumptus senex & simplex, multa reperit debita, quæ non minuit, sed auxit. Resignavit demum in manus Visitatorum Abbatiam, retenta pensione, anno 1419.

40. Jacobus, Treitelkoffer. Hic exemit Monasterium debitis sex millium talentorum, minime juxta negligens magna struere ædificia, & augere decorem Domus DEI, nec non numerum librorum Bibliothecæ. Præfuit annis 35 *commendatissimus* honestatis amator, prudentique ac utilissimus Pater familias. Obiit 13. Maji anno salutis 1454.

41. Udalricus IV. Schoppenzaun, Juris Canonici Baccalaureus, vir quidem moribus incultus sed honestate probitatis conspicuus, qui & Monasterii redditus multum ampliavit, & splendorem Basilicæ plurimum promovit. Quin & ædificia plura construxit & multa alia præclare gessit. Tribulationibus sui temporis omnibus superior, majore studio & dexteritate damna compensavit. Præfuit annis 30. & senex sanctè in Domino obdormiit anno 1484. nona Julii.

42. Benedictus Praun, vir prudentiæ fama illustris & vitæ honestate spectatissimus, idem in fornace tribulationis bellorum bene exercitus, obiit 29. Julii 1488.

43. VVolfgangus VVidmann, præfuit profuitque annis 12. & vita excessit anno 1501.

44. Georgius ad clavum sedit annos quatuor, mortuus anno 1505.

45. Joannes I. Bohemus natione laudabiliter præfuit annis 19. fuit Maximiliano Imperatori à Consiliis

Consiliis & Confessionibus. Organum in templo & sedilia confici curavit reque benè gesta 9. Decembris, obiit anno 1514.

46. Leonardus, plurimum à pietatis & virtutum studiis commendatus, per sesquiennium præsidens immature decessit 6. Junii anno 1526.

47. Joannes II. Habenzagl. vitâ devotione animi & precum assiduitate apprime commendatus, tenuit gubernacula annis 18. Condidit conclavia Regia & Abbatiam novam, idem ingeniosè curavit confici principales aras & tabulas pretiosas. Humana reliquit anno 1543. sepultus in medio templi.

48. Gregorius Lechner Bavarus ex Schardingen. Primus in suo Monasterio Scholas juventuti aperuit, dein vicinam marcam totumque Monasterium pluribus & magnificis structuris excoluit. Monasterium dein eleganti & firmissimo muro & turribus circumdedit & munivit. Præfuit laudabiliter annis fere 15. & 26. Aug. anni 1557. ex hac mortalitate decessit.

49. Marcus VVernher ex VVeisskirchen, præfuit annis 7. Inde nescio qua de causa evocatus obiit anno 1565.

50. Jodocus Sedelmayer patria Ingolstadianus, vacante Abbatia electus anno 1568. præfuit annis 4. obiit 1571.

51. Erhardus Voit nobili genere ex VVirttenbergia oriundus, postulatus fuit ex Thierhaupten superioris Bavariæ. Maximiliano II. & Rudolpho Impp. charus extitit, & post varia meritorum monimenta placide in Domino obdormiit, anno 1588.

52. Joannes III. Spindler præfuit annis 14. multa struxit ad cultum templi & Cœnobii, multa passus est à rebellibus rusticis, quos tamen sua auctoritate ab omnimoda Cœnobii eversione avertit, obiit 1600. 31. Maji.

53. Alexander à Lacu. Hilariensis primum, dein Garstensis, ex hoc Monasterio postulatus Cremiphanensis Abbas fuit. Mox optime mereri aggressus altero statim anno subditos suos felicissimè ab Hæresi revocavit. Summa dein rerum gerundarum dexteritate pollens ad maximorum Principum Aulas expetitus, summis Legationibus felicissime perfunctus est. Romæ Paulum V. ipso convenit, & gravissima cum ipso negotia tractavit. Varia construxit, multa excoluit, magnas à Cæsare gratias retulit, immunitates impetravit. Suis demum omnibus religioso vitæ exemplo præluxit. Vitam mortalem reliquit anno Christi 1613. 19. Maji. corpus arcæ è stanno inclusum in Sacello S. Stephani quiescit.

54. Antonius cognomento VVolffradt, vir incomparabilis, decus immortale Ordinis, de quo satis parte II. Germaniæ nostræ.

55. Bonifacius Negele Welsii in Austria natus, dum viveret Antonius sui memor nominis, ut nemo melior & ad regendum quoque aptior videretur. Proin superstite illo Prior electus, amabilem se omnibus præbuit, verum eo mortuo in Abbatia suffectus, ad pessima prolapsus consilia, cum Monasterio præfuisset annos 4. menses 5. & dies 15. jussu Cæsaris, Archiducis Episcopi, & Consistorialium pedum posuit anno 1641. die 2. Decembr. memorabili exemplo, adeo subitum rapi ad inania & vana, animi tam excelsi, nemine non & lapsum & fortunam tanti viri miserante.

56. Placidus Buechauer Schongoviensis electus die 7. mensis Sept. 1644. Supplere per omnia quæ Bonifacius neglexit seu perdidit, implere & superare etiam quæ Antonius studuit statim aggressus, nullam non Ecclesiam, nullam non domum Parochialem Cremiphanio quaqua versum obnoxiam demereri studuit, magna etiam in Cœnobio molitus, ante omnia suis prælucere exemplo studuit, id, quod vix alius pari gratia assequutus, ut cum ipse suos omnes ex voto haberet, ipse ex voto omnium esset, amor & delicium suorum omnium, nemo ut filiorum esset, qui se paterna vinci pietate pateretur, nec reperire sit unum qui non parenti optimo de suis sponte adjiceret annis, si per amorem summi omnium parentis liceret, qui Charitas ipsa est, & à nullo se vinci patitur Charitate; à quo omnem Gratiam tanto Præsuli apprecamur, & ex voto filiorum tam charorum ominamur.

## EX PRÆCIPUIS SACRARUM RELIQUIARUM QUÆ CREMIPHANII RELIGIOSE ASSERVANTUR SEQUENTES SUNT:

1. Corpus & ossa sanctissimi Martyris Agapiti Tutelaris & Patroni hujus loci, ferè omnia, paucis desideratis, qui annos natus quindecim, sub Aureliano Imp. & Antiocho Præside, post varia tormenta Martyrii palmam obtinuit; in insigni & argentea theca eleganter elaborata decenter collocatum & conservatum.
2. S. Polycarpi Martyris & Episcopi Smirnensis pollex integer in Chrystallina, gemmis & argento deaurato pulchre exornata theca inclusus.
3. Costa integra Regiæ virginis & Martyris S. Ursulæ in argenteo & passim deaurato pectorali imagine decenter inclusa, item ex Sociis ejusdem caput integrum, & pars notabilis de Reliquiis S. Cordulæ.
4. Pars notabilis S. Andreæ Apostoli in vasculo argenteo deaurato.
5. In argenteo & hinc inde deaurato pectore, cranium S. Agapiti Martyris hujus Cœnobii Tutelaris.
6. In magna Hierotheca ex ebeno ad modum altaris efformata & variis ex argento celaturis elegantissimè exornata, cranium integrum S. Bonifacii Archiepiscopi Moguntini & Mart. Magni Germanorum Apostoli, una cum viginti aliis ejusdem Martyris notabilibus partibus.
7. In altera consimilis formæ Hierotheca, similiter exculta pars notabilis de brachio SS. Thebæorum Martyrum, cum multis aliis Reliquiarum fragmentis.
8. In Cruce ex puro auro affabrè elaborata, pars magna & notabilis de ligno SS. Crucis, in qua humani generis Servator expiravit.
9. In alia crystallina Cruce argento deaurato circumornata duæ notabiles partes de eadem Sanctissima Cruce.
10. In duobus ex puro argento brachiis gemmis & auro exornatis, brachium S. Vincentii Martyris; in altero os non absimile de brachio Divi Secundi Martyris.

11. Item

11. Item in pede crucis argenteæ in qua depositio Domini de Cruce repræsentatur costa ferè media de S. Valentino Episcopo, & alia plura fragmenta Sanctorum DEO soli cognitorum.
12. Item in alterius crucis pede ex ligno ebeni in qua argentea Crucifixi imago, sat magna de S. Magni Confessoris Reliquiis portiuncula.
13. In tertiæ crucis ex ebeno pede, in qua non absimilis argentea Crucifixi imago, S. Papiæ & alterius Sancti duo magna frusta.
14. In quartæ crucis consimilis pede plurimorum Sanctorum ossa & pignora.
15. Item in Altariolo aureo, insignis & magna pars alicujus Sancti incogniti.
16. Item in aureo Pacis instrumento, variæ ex omnium Sanctorum Choris Reliquiæ.
17. Item pars magna de Ossibus S. Cassiani.
18. Item fragmentum costæ S. Candidi Martyris.
19. Fragmentum insigne de brachio S. Agapiti Romani Martyris.
20. Item in vasculo ex ebore, pars magna & insignis de pede, an brachio S. Exuperii Martyris.
21. In vasculo crystallino de virga qua Christus Dominus noster cæsus fuit, particula satis notabilis.
22. Item in arca lignea multorum Sanctorum Reliquiæ soli DEO cognitæ.
23. In duabus arculis ex ebeno & crystallo affabrè factis, pars magna de S. Timotheo, minores autem particulæ de SS. Henrico Confessore, Laurentio Martyre, S. Erasmo, S. Vito Mart. Wolfgango Episc. Wilhelmo confessore, Valentino Martyre, Maximiliano Episcopo & Martyre.
24. In altera autem arcula pars notabilis ex Societate undecim millium Virginum, cæteræ in minore quantitate de S. Joanna vidua, de S. Richilde Virgine, de S. Emerentiana Virgine & Martyre, de S. Barbara Virgine & Martyre, de S. Dorothea Virgine & Martyre, de S. Constantia Virg. & Mart. de S. Agatha Virgine & Martyre.
25. Item de S. Maarini Abbatis & Martyris corpore magnum & insigne fragmentum, &c.
26. In argentea imagine S. Liborii Episcopi Paderbornensis & plurimæ Sanctorum Reliquiæ in notabili quantitate.
27. Item Sanctorum Felicis & Agapiti Reliquiæ in magna quantitate. Sed ad alia Monasteria veniamus.

## CRISPINIENSE.

ORdinis Benedictini Illustrissimum in Hannonia Monasterium, prope Castri locum nunc Montes Hannoniæ dictum, fundatum anno Christi 680. à S. Landelino, qui ex prædone præco Christi factus, postquam Lobbiense, Alnense & VVasilariense struxisset Cœnobium, salutem sitiens animarum, in Hannoniam delatus cum sociis Adelino & Domitiano, in prædicto loco fontem divinitus impetrans & eliciens, qui crispatas evomebat aquas, Monasterium illic conditum inde Crispinium appellavit. Abbates subjungimus.

1. S. Landelinus & loci Fundator primus, & Abbas juxta atque Tutelaris, locum admirabili sanctitate initiavit, cujus acta descripsit Surius & Raissius. Ejus successorum nomina & monimenta periere cum Monasterium à Normannis vastatum, & Monachi Martyrio partim affecti, partim fugati essent; Clericis deinceps in locum introductis, donec Canonici sæculares petente Duce Gisleberto ab Henrico I. obtinerent, sed his quoque deficientibus, locus in profanorum manus devenit à quibus Richildis Hannoniæ Comitissa locum redemit, & ut erat Benedictini Ordinis amantissima, huic restituit, & primum Abbatem S. Richardum è Virdunensi Cœnobio introduxit. Sed Abbates, qua possumus serie recenseamus.

1. Rainerus ex Hasnoniensi Cœnobio postulatus, insigni & generis & vitæ pollens nobilitate, egregios educavit discipulos, quorum plures ad diversorum Cœnobiorum regimen evocati sunt. Floruere hic etiam sub Rainero B. Joannes & mirificus ille sanctitate vir B. Albertus Deiparæ dilectissimus, de quibus in Menologio nostro Benedictino, agimus. Obiit Rainerus 1098.
2. Lambertus ex eodem Hasnoniensi Cœnobio postulatus, sub quo disciplina egregie floruit, elevavit corpus S. Landelini & anno 1120. mortalitatem exuit.
3. Hugo Abbas, munus & onus Abbatiale deposuit anno Christi 1126.
4. VValtherus Abbas Cœnobii regimen annis 4. tenuit & vita excessit 1130.
5. Theodoricus Abbas de quo nihil præter nomen reperimus.
6. Algotus, sub cujus regimine S. Aybertus felicissimo transitu cœlos triumpho implevit. Abbas sui Cœnobii jura generose asseruit, & confirmari à summis Pontificibus & Cæsare impetravit, obiit 1159
7. Odo, incertum quamdiu præfuerit.
8. Gerardus uno solum anno præfuit.
9. Balduinus, sub quo mirificè disciplina floruit, quo permotus Albertus Comes multa Monasterio contulit. Obiit Balduinus anno 1180.
10. Joannes, duobus in regimine expletis annis oneri cessit.
11. Gobertus Abbas, & ipse administrationem resignavit anno Christi 1187.
12. Hugo. Immunitatem vectigalium impetrat ab Henrico fratre Balduini, Hannoniæ Comitis, multaque alia bene gessit.
13. Gosselinus Abbas, vitæ tranquillioris amantior, ultro onus resignat.
14. Arnulphus Abbas mortalibus valedixit anno 1212.
15. Guilielmus Abbas, decimas multaque alia summo Cœnobii bono impetravit. Post decem regiminis annos resignavit anno 1222.
16. VValtherus de Capella vir pius & devotus Basilicam à Godefrido Cameracensi Episcopo consecrari impetravit, & corpus S. Landelini solemniter elevari atque transferri.
17. VValtherus III. de Monte Alto, sive Altimontensi Cœnobio postulatus anno 1230. pietatem æque atque rem œconomicam promovit.
18. Ægidius de Tornaco, qui Monasterio à Rom. Pontificibus multa Privilegia impetravit, expetitur ob vitæ merita etiam Abbas Elnonensis.

19. Joannes II. ab eximia prudentia & rerum gerundarum dexteritate commendatus loco huic totos quadraginta annos præfuit, qui Reformationem Cluniacensem Cœnobio introduxit. Sub quo Crispinium in temporalibus & spiritualibus magna sumpsit incrementa, obiit anno 1299.
20. Theodoricus de Loze præsul egregius, disciplinam egregiè propagavit. Mortalitati valedixit anno Christi 1315.
21. Nicolaus de Thulin, jura Cœnobii contra Invasores egregiè defendit contra quos sententiam favorabilem suis impetravit.
22. Theobaldus magni vir nominis, honorificâ Legatione functus est ad Regem Galliæ. Turrim Ecclesiæ aliaque ædificavit. Obiit anno 1353.
23. Ægidius de Tudinio, præfuit utiliter annis 12. obiitque anno 1365.
24. Nicolaus de Tornaco, postulatus ex S. Jacobi Leodiensi Monasterio, vir præstans & qui multa debita dissolverit. Præfuit annis 17.
25. Matthæus Fiefne Decretorum Doctor, omni virtute cultissimus, à Principibus Belgii summo in honore habitus, tanquam oraculum requisitus, egregiam famam Cœnobio peperit, resque ejus feliciter auxit. Ad Regem denique Galliarum Legatione functus paulo post decessit anno 1407.
26. Joannes Labourie, rusticos Monasterio rebelles compescuit.
27. Nicolaus du Parque, pro Concilio Basileensi cum aliis Abbatibus summam pecuniarum haud minimam conferre cogitur. Obiit anno 1433.
28. Guilielmus Rasoir, sedit ad clavum annos 10.
29. Guilielmus de Fabrica alias de la Forge, subesse magis desiderans quam præesse. Sponte resignat. Moritur anno 1460.
30. Guilielmus de Anurehan, ex Abbate S. Michaelis, Crispiniensis postulatus, suos per bella dispersos revocans, benè meritus obiit anno 1469.
31. Joannes Miletus Suessionensis Episcopus Abbas Commendatarius à Pio II. Monasterio impositus.
32. Joannes Pelet, sub cujus regimine Galli Condatum Hannoniæ urbem expugnarunt & Crispinium uno distans milliari, excepta Ecclesia incenderunt. Abbas vixit usque 1490.
33. Petrus Mordan, sive Mordau DEIparæ singulariter devotus, amplum ad latus Chori Sacellum ejusdem honori condidit, cujus ope ad æterna transiit anno 1510.
34. Matthæus le Clercque Abbas senio confectus onus resignavit anno 1534.
35. Antonius de Linge seu Linge, multis contradicentibus electus quod 22. ætatis annum non excessisset Romam profectus Presbyteratus Ordinem & confirmationem obtinuit, mox sequenti anno consecratus, non multo post inutilis Cœnobio comprobatus & exauctoratus est.
36. Ill. Martinus Cuperus Calcedonensis Episcopus, Cameracensis Suffraganeus ex Carmelita, Abbas Crispinii renunciatus, debita dissolvit, disciplinam promovit, inde venerabili Blosio Lætiensi Abbati amicissimus factus, totius Hannoniæ singulare ornamentum & fulcrum extitit. Ipsi Matthæus Moullart S. Gisleni Abbas, Legatione ad Regem Hispaniarum functus, suum interea Cœnobium regendum commendavit. Obiit exul ob bella Belgica in Monasterio Forestensi anno 1572.
37. Joannes de Maysny, turbata per Geusios patria generosum se præbuit, & pro Rege Catholico & Religione omnes ingenii vires, conatus pectoris exeruit, ita ut ipse Rex eidem per litteras gratias ageret. Demum plenus dierum & bonorum operum obdormivit in Domino, 1596.
38. Petrus Aimericus SS. Theol. Doctor è Dominicano S. Andreæ prope Brugas Abbas, inde Crispinii renunciatus summæ apud Belgii Principes Auctoritatis, Contraci Hispanos rebelles coercuit, sumpto venerabili Sacramento & per mediam Legionem transiens, obiit anno 1616.
39. Claudius Lornel è S. Vedasti postulatus, vir miræ frugalitatis innocentiæ & devotionis. Moriturus etsi præ debilitate vix movere posset, sacro tamen Viatico muniendus, ultro è lectulo exiliens illud summa devotione genuflexus excepit, mortuus 1626.
40. Jacobus Ghelueur, Corpus S. Aiberti theca argentea honoravit, cultum Basilicæ sedulo promovit, divinis totum se dedit, & bene meritus decessit anno 1638.
41. Matthias le Moisnier, corpore senili licet & debili vigilans tamen super gregem suum, obiit anno 16. ----
42. Georgius Mesnin turbulentis annis & paucis præfuit.
43. Dominicus Lienart nunc regimen tenet & pace aliquamdiu data cuncta restaurat.

## RELIQUIÆ SANCTORUM HUJUS MONASTERII.

1. Corpus S. Landelini primi Abbatis & Fundatoris hujus Cœnobii in theca argentea & deaurata.
2. Corpus integrum Sancti Domitiani ejusdem discipuli.
3. Corpus integrum Sancti Adelini ejusdem similiter lectissimi discipuli.
4. Corpus S. Aiberti Crispiniensis Monachi in arca argentea, cujus tamen caput sacrum asservatur in statua caput & humeros referente, argentea
5. Dens S. Blasii.
6. Duo dentes S. Adriani.
7. Os S. Barbaræ.
8. Duo ossicula SS. Martyrum Petri & Marcellini.
9. Ossa plura Martyrum Thebæorum.
10. Os S. Nicolai Myrensis Episcopi & phiala plena liquoris è S. corpore fluentis.
11. De ossibus B. Mariæ Magdalenæ.
12. Reliquiæ S. Claræ.
13. De Ossibus SS. Victoris & Ursi.
14. De ossibus S. Elisab. Reginæ Ungar. Minutiorum partium è diversissimis Sanctis Reliquiæ quamplurimæ.

## SANCTI DIONYSII IN HANNONIA.

ORdinis divi Benedicti Splendidum in Hannonia Cœnobium, à Richilde Hannoniæ Comitissa fundatum anno Christi 1076, absolutum an. 1081.

hâc occaſione. Geſſerat grave bellum eadem Princeps contra Robertum Flandriæ Comitem,cumque prælio apud Brocqueriam commiſſo ex utraque parte plurimi occubuiſſent, miſerta eos funerum pia Princeps, ut defunctorum conſuleret animis,in loco ubi olim etiam Monaſteriolum quoddam extiterat, inſignem exædificavit Abbatiam & liberaliſſime dotavit, idque S. Dionyſii & ſociorum nomini ac honori conſecrari curavit. Præcipuum benefactorem filius ejus Balduinus egit, eique Monaſterium S. Petri Montenſis Civitatis ut membrum adjunxit & ſubjecit. Abbates recenſemus.

1. Martinus ex Monaſterio Sylvæ Majoris à B. Gerardo Abbate cum colonia Monachorum miſſus, ſancto vitæ exemplo ſuos præivit. Interfuit Concilio Claromontano ſub Urbano II. & vitam mortalem deſeruit anno 1111.

2. Heribertus ex eodem aſſumptus Monaſterio,â ſingulari laudatus prudentia. Interfuit Concilio Rhemenſi, & obiit anno 1119.

3. Balduinus, incertum quamdiu præfuerit, & vita ac honore deceſſerit.

4. Simon, ſub quo Monaſterium triſti incendio in cineres collapſum memoratur, ſacro tamen theſauro flammis ſubducto.

5. Carolus Abbas,de quo præter nomen nihil prorſus reperitur.

6. Arnulphus, accepit â Nicolao Cameracenſi Epiſcopo Eccleſiam de fontibus, quo etiam procurante lis deciſa eſt ſuper Thenenſi Eccleſia, una cum Eccleſia S. Joannis Leodienſi, anno 1161.

7. Gervaſius, obtinuit ab Helgero Abbate Lætienſi Patronatum de Obercies ſub annuo cenſu. Claruit anno Chriſti 1173.

8. Gerardus Abbas de cujus geſtis, nil dignum memoratu extat.

9. Bartholomæus, vir præſtantiſſimus ſub quo Cœnobium mirè floruit, & ab Obſervantia Regulari decantatiſſimum fuit, cujus intuitu Balduinus Hieroſolymitanus Comes Hannoniæ, multa bona Cœnobio largitus eſt, eaque inter è vicinis ſylvis tantum lignorum pro ſtruendis ædificiis aliiſque neceſſitatibus, quantum opus haberent. Sed & Hugo de Croix in idem munificus extitit benefactor, claruit Bartholomæus anno Chriſti 1199.

10. Marcellus Abbas æterna dignus memoria, Principibus cùm Eccleſiaſticis tum ſæcularibus chariſſimus,in componẽdis rebus & litibus feliciſſimus, extitit, verè pacis Angelus. Pater omnium pauperum extitit, quibus prope portam Cœnobii Hoſpitale ſtruxit & neceſſaria mira charitate providit, & redditus annuos cum conſenſu Conventus, aſſignavit, â quibus receptus eſt ad æterna tabernacula anno Chriſti 1234.

11. Joannes Abbas, cum antea Abbates & Conventus uno tantum ſigillo uterentur, miſertus inquietem ſuorum, quod etiam in minutis toties ob ſigillum convocandi eſſent, proprium ſigillum eorumdem conſenſu confici curavit.

12. Petrus concordibus votis fratrum ſuorum electus Abbas, unde lis non minima, quod contra conſuetudinem non rogato Abbatè Sylvæ Majoris electus eſſet. Delatum Romam negotium eſt, & Petrus nihilominus confirmatus, hac tamen conditione, ut deinceps ſemper licentia ante Electionem â Sylvæ Majoris Præſule peteretur,& hic quotannis ad 8. Dionyſii occurreret, & pro Capitulo quæ emendanda eſſent corrigeret. Superſtes fuit Petrus anno 1247.

13. Auguſtinus vir præſtans, qui juxta hoc Monaſterium etiam S. Amandi Elnonenſe gubernavit.

14. Ægidius Abbas.

15. Guilelmus Abbas claruit anno 1296.

16. Joannes Abbas.

17. Jacobus condidit Eccleſiam de Bouſſoit

18. Guilielmus le Loing, vir pius, tranquillioris vitæ ſtudio reſignavit, 1309.

19. Jacobus de Mous, triennium ſolummodo ſuperſtes fuit

20. Ægidius Abbas, vixit etiamnum anno 1318.

21. Theodoricus de Neufuille, piam inſtituit Confraternitatem, quæ ultra 300. annos duravit, obiit anno 1331.

22. Arnoldus Bellignies, ceſſit oneri anno Chriſti 1359. circa quod tempus ſummus Pontifex, hoc ſibi Monaſterium reſervavit, unde ab eo denominatus quidam, multum Abbatiam vexavit.

23. Joannes, vigilans omnino atque utilis Cœnobio fuit, ad clavum ſedit anno 1370.

24. Nicolaus de Montignies. Abbas Cœnobio plurimum utilis. Vivarium majus, & retinaculum aquarum, opus mirabile confici curavit, uſque hodie firmiſſimum, ſed & pontem ſtruxit prope Cœnobii ingreſſum, aliaque vigilantiæ & induſtriæ poſt ſe reliquit monimenta, claruit anno 1391.

25. Jacobus de Hollande, mortalibus valedixit anno Chriſti 1397.

26. Joannes de Montignies, cujus tempore in Gognies fodina fuit carbonaria ex qua haud minimum cenſus Cœnobio obtigit.

27. Daniel Chauuet ſive Channet, ob excellentiam vitæ integrioris, *vir Virtutum* appellatus. Conceſſit ad ſuperos anno 1417.

28. Guillelmus de Aſſouuille. Hic libertatem omnimodam ab Abbate Sylvæ Majoris,quingentis aureis redemit.

29. Raſſo de Aſſeuuille, in cujus gratiam mater ejuſdem multa Monaſterio contulit. Fuit rebus arduis adhibitus, ob inſignem in gerundis dexteritatem. Interfuit ſolemni Translationi Sanctorum Laubienſium, obiit anno 1469.

30. Philibertus S R.E Cardinalis Abbas loci Commendatarius, qui paulo poſt ſucceſſori Abbatiam hanc reſignavit.

31. Henricus â Bergis Epiſcopus Cameracenſis Abbas II. Commendatarius hujus loci, qui Sigero, ſive Sohero illam ceſſit

32. Sigerus ſive Soherus Abbas tertius Commendatarius. Hic Romam profectus ibidem è vivis exceſſit.

33. Henricus de Bergis extincto Sigero, denuo Præſul hujus loci factus, in diſciplina reſtituenda ſedulus fuit, & ſaluberrimas inſtituens ordinationes, Quintianum S. Ghiſleni Abbatem religioſiſſimum evocans, Reformatorem Cœnobio præfecit. Demum iter Hieroſolymam verſus cogitans prælatura ceſſit, 1487.

34. Jo-

34. Joannes le Fort. Interfuit elevationi S. Ghisleni anno 1491. & Claustrum novum ædificare cœpit. Obiit anno 1511.

35. Ægidius Cambier, amore disciplinæ & vitæ tranquillioris, onus deposuit 1519. & 12. annis privatus supervixit.

36. Joannes d'Orimoy. Jura & Privilegia Monasterii acriter propugnavit, sed & disciplinam Monasticam conservare & augere conatus est. Reliquiaria splendida confici curavit, & cum consensu Conventus, de successore sibi providit anno 1535.

37. Franciscus Debehaut, missus ab avunculo ad Lætiense Monasterium ut Reformationi à Ven. Lud. Blosio institutæ assuesceret, Abbas nunc designatus eamdem omni modo inducere allaboravit, parum tamen ac pene nihil effecit, ipse rigidus ejusdem observator, desiderans ad mortem usque ut Novitius viveret, ac moreretur. Multa laudabilia egit, multaque Ecclesiæ comparavit ornamenta. Produxit bonus pastor vitam ad usque annum 1571.

38. Petrus Rollier, Antecessoris sequutus exempla, suos omni modo lucrari & ad perfectiora concitare studuit. Pauperum pater, famis tempore prodigum pene se prodidit. Mitræ usum obtinuit. In senectute cœcitatem incurrens post 31. in regimine annos laudabiliter exactos, in pace quievit anno 1602. honorificè tumulatus.

39. Joannes Descamps Abbas egregius, ex relictis sibi ab Antecessore pecuniis Conventum Fratrum Minorum condidit; numerum Religiosorum auxit. Fratres Conversos admisit, quod Monachis servire sæculares indignum & plurimum disciplinæ noxium crederet. Obiit anno 1612.

40. Henricus Buzegnies, ex Priore hujus loci, postulatus Abbas Gerardimontanus, inde huc revocatus, Reformationis & sanctioris vitæ studiosissimus, Casinatem disciplinam perfectè introducens, etsi multi initio obniterentur, beato fine quievit anno 1622. vel 23. Exemplar solidæ patientiæ, rigoris Monachici & devotionis.

41. Jaspardus VVinc Abbas Gerardimontanus, Reformationis Belgicæ Auctor & promotor atque propugnator, mox dissolutos ad licentiam à morte Henrici Asceeas, Abbas hujus loci ab Isabella Principe denominatus, ad meliora excitare conatus, infinitas molestias pertulit, donec implorata DEIparæ ope, Victor extitit, & omnium contumaciam flexit. Ad S. Petri demum Blandiniense Abbas designatus, post varias tribulationes perpessas, ad expulsionem usque persecutiones sustinens, cedere demum loco & dignitate compulsus est. Vir præcipuæ Humilitatis, modestiæ & pietatis, qui demum in Affligemiensi se condens Cœnobio, vitæ finem in orationibus & piis exercitiis expectavit, meruitque felicissimum octogenario major, anno 1660. aut non multo post inter magna Ordinis sydera censendus.

42. Martinus Goffart dignus Antecessore successor, Exemplar Observantiæ Monachicæ, eximiæ in DEUM pietatis, in omnes, & pauperes maximè ac peregrinos charitatis, rerum sacrarum scientia, insigni Discretione, virtutum omni cultu merito suspiciendus. Cætera, cum ad portum salutis pertigerit.

## RELIQUIÆ SANCTORUM EJUSDEM MONASTERII.

1. Sacer S. Blasii Episcopi & Martyris capitis vertex, in quo etiamnum apparent ferrei pectinis vestigia, quo caput ejusdem crudelissime compunctum fuit.
2. Brachium S. Valentini Presbyteri & Martyris.
3. Mentum cum dentibus S. Catharinæ, in statua argentea.
4. Articulus S. Stephani Protomartyris.
5. Os notabile S. Agathæ Virginis & Martyris.
6. Dens S Dionysii Areopagitæ, Loci Patroni.
7. Os magnum S. Macharii Patriarchæ Antiocheni.
8. Dejunctura S. Mauri Abbatis.
9. Ossiculum S. Marcelli Papæ & Martyris.
10. De capite & SS. Ossibus S. Nicasii.
11. De costa S. Gisleni Episcopi & Confessoris.
12. De digito S. Laurentii Diaconi Martyris.
13. De Ligno Domini.
14. De S. Autberto Episcopo.
15. Duo corpora SS. Placidi & Hippolyti Mart. Romanorum.

## DUACENSE. B. M.V.

BEnedictini Ordinis Virginum Sanctimonialium nostra ætate fundatum Monasterium dictum Beatæ MARIÆ Virginis de Pace, Reformatarum Benedictinarum, quarum, uti & Cœnobii prima Conditrix & Plantatrix extitit, venerandæ memoriæ Florentia, quæ ex Canonissa Monasterii ad Sabim, monialem Reformationis Cisterciensis in Monasterio Flinensi professa; desiderio deinde, perfectæ totius Regulæ S. P. Benedicti observationis accensa, sociatis sibi nonnullis ex eodem Cœnobio Monialibus, abstinentiam perpetuam à carnibus, & clausuram cum aliis S. Regulæ præceptis amplexata est, Duaci in Monasterio ad hunc finem exstructo in honorem B. M. V. Pacis, ex quo modico tempore duodecim alia ejusdem Observantiæ, quasi palmæ duodecim prodierunt è quibus Leodiense, Namurcense, Bethuniense, Properinghense, Geraldimontense, Mortense, Elnonense, Teneramundense & alia facem Europæ præferunt, & ipsæ virgines viragines se probant, in quarum plus quam virilibus conatibus, omnipotentis manus & gratia, ad confusionem eorum, qui nostræ ætatis imbecillitatem obtendunt, mirè glorificatur.

## EICKENSE.

EIckense virginum Benedictinarum in inferiore Germania Cœnobium prope Mosam fluvium, duobus millibus passuum à vicino oppido Masseicke (nam Belgis flumen prædictum non Mosa, sed Masa vulgo appellatur) loco inprimis eleganti atque opportuno, conditum

ab Adalhardo Comite, Domino Lickensi, & conthorali ejusdem Grinuara, in gratiam filiarum suarum Sanctarum Herlindis & Relindis sive Reinulæ, quæ sese ibidem Numini sub Regula S P. Benedicti devoverunt & consecrarunt; fuitque altera post alteram Abbatissa constituta à Sanctis VVillibrordo & Bonifacio, insignemque ibidem Sacrarum virginum cœtum Numini perpetuo serviturum consecrarunt; sub annum Christi 700. Verum cum tempore, intepescente primævo Religionis fervore & Spiritu, moniales in Canonicas versæ, sed & Monasterium in Collegium conversum, deinceps in oppidum Masecum una cum corporibus prædictarum sanctarum, translatum fuit. Extat etiamnum hodie familiæ Comitum ab Eicken sera posteritas Ferrariæ in Italia, comprobans antiquissimæ Nobilitatis decora in Lælio Comite Roverella, non tam antiquata & debilitata, quam revirescentia semper, non sine Adalhardi & majorum cæterorum immortali in sera posteritate gloria, & vigore redivivo.

## EINHAMENSE.

ORdinis S. P. Benedicti nobile in nobilissima Belgii provinciarum Flandria Cœnobium, fundatum anno Christi 1064. à Balduino Pio Flandriæ Comite, ex ruinis castri Bracbanti, quod Balduinus Barbatus everterat, & Einhamense sive Eyhamense appellaverat, quod magnis immunitatibus extulit Lietbertus Cameracensis Episcopus. Abbates hic habes.

1. VValbertus religione & prudentia spectabilis, postulatus è Monasterio Atrebatensi S. Vedasti, qui rem Monasticam insigniter stabilivit 1064.
2. Lambertus I.
3. Lambertus II.
4. Tancradus.
5. Gislebertus ex Monasterio Affligemiensi postulatus, vir scientia & moribus præclarus, Gandensem juxta Abbatiam gubernavit.
6. Suellardus & ipse ex eodem Monasterio postulatus, novam inchoavit Ecclesiam, qui æmulorum ambitione & persecutione animadvertens Cœnobii bona dissipari, sponte honore cessit, & ad suum Cœnobium rediit.
7. VVillermus, de cujus gestis nihil reperitur.
8. Arnulphus ex Affligemiensi Monasterio postulatus, postea proprii etiam Cœnobii Abbatem egit. Impetravit à Canonicis Rotnacensibus caput S. Cœlestini, quod usque hodie hic colitur.
9. Gislebertus ex eodem Cœnobio assumptus, qui haud minimum Einhamensibus consuluit, & possessiones Cœnobii utiliter auxit. Sed cum Reformationem Ordinis Cisterciensem introducere allaboraret, multas perpessus persequutiones, tandem exauctoratus ad Cistercienses transiit.
10. Lambertus III.
11. Lambertus IV.
12. VValtherus.
13. Sigerus, laudatissimæ vitæ Abbas, qui suos exemplo non minus quam verbo instruxit.
14. Henricus.
15. Arnulphus II.
16. Balduinus.
17. Gerardus.
18. Joannes de Montibus.
19. Ægidius.
20. Gislebertus III.
21. Joannes le Buc.
22. Joannes Iserman.
23. Gerardus II.
24. Joannes de Thoraldo.
25. Godefridus I.
26. VVillelmus Fabri.
27. Gerardus ex Affligemio postulatus.
28. Godefridus de Bracle, qui ex Affligemio sibi sumpsit Coadjutorem, ipse autem erat ex Ordine Minorum.
29. Ottho ab Hersten ex Coadjutore Antecessoris Abbas à Carolo V. confirmatus, data licentia, quoties vellet Coadjutorem ex Reformato Monasterio Affligemiensi sibi adjungendi, & successorem nominandi. Ita literæ confirm.
30. Petrus de Beca.
31. Antonius Bigius.
32. Gabriel Bacquet.
33. Simon VVarnsel, insimul Abbas Geraldimontensis, sub turbis bellicis.
34. Jacobus Lannoy.
35. Jacobus de Roboam Abbas Commendatarius.
36. Hugo d' Enghien.
37. Petrus Ernestus Carnier, cujus diebus, anno nimirum 1588. desolatio loci contigit, per iconoclastas.

## EBSTORFFENSE.

VIrginibus Ordinis S. Benedicti exstructum olim situ eleganti Cœnobium, tribus à Lunæburgo milliaribus, ubi Bruno Saxoniæ Dux cum multis Magnatibus & Episcopis fortiter pugnando occubuerat, anno 876. vel 880. cum Normanni Germaniam bello opprimerent, inde occasione mortuos honorandi sumpta, cum Illustrium corpora à triariis non internoscerentur, simulque sepelirentur. Restituit tanto post honorem loco Ludovicus Brunsuicensium Dux, Episcopus Mindensis, & ipse restauratum consecravit. Hodie Virgines Lutheranæ occupant.

## SANCTI EGIDII MONASTERIENSE.

MOnasterium hoc prænobilium virginum monialium, vulgo tu Sanct. Ilien. sub Patrocinio B. M. V. & S Egidii Abbatis Ordinis S. P. Benedicti, in civitate Monasteriensi, exstructum est, cum Ecclesia Parochiali ejusdem Sancti, tempore Hermanni Episcopi Monasteriensis eo nomine secundi, Comitis de Catzenelenbogen, sub annum Christi 1200. à Ludgero quodam Religioso & prædivite Sacerdote, cujus cum tempore, & crescente ab Virtutibus monialium fama, opes quoque plurimum crevêre. In hoc Cœnobio olim in cultu fuit arbor sive truncus arboris Jesseæ, arte veteri sculptoria expressæ, ad quem plurimæ factæ sunt à populo oblationes, donec ab Anabaptistis, tempore Monasteriensis rebellionis, cum aliis sacris imaginibus è medio tolleretur & exureretur. Abbatissarum Catalogum inserimus.

1. Bea-

1. Beata Alheides, absolutissimæ sanctitatis exemplar, magnis á Numine commendata miraculis, nec cœlestium visionum expers, quæ alias inter gratias, in perceptione SS. Corporis Christi mira dulcedine, magno omnino & continuo miraculo reficiebatur, quam plenam dierum ac bonorum operum, cœlestis virginum sponsus in gloriæ thalamum introduxit 5. Februarii. De hac ita B. Cæsarius libro 9. Quotiescunque corpus Domini à sacerdote suscepit, non panis soliditatem inter dentes, neque panis suavitatem intra fauces sentit, sed ipsum Sacramentum quasi favus mellis, in ventrem defluxit; sic ut mira dulcedine omnia interiora ejus replerentur.

2. Ermengardis Comitissa, vestigiis B. Adelheidis firmiter institit, sub quâ Monasterium in temporalibus & spiritualibus, plurimum incrementi sumpsit, & plurimæ Illustribus natæ Comitum, Baronum & Equitum familiis, hic sese Christo devoverunt. Landolphus item Presbyter S. Jacobi, Bernardi quondam Præpositi Cathedralis Ecclesiæ insignem Fundationem fecit, & Cœnobium dotavit. Claruit Ermengardis 1209.

3. Syradis Comitissa ab Arensberg, & ipsa commendabilis vitæ Cœnobio utiliter præfuit sub annum Christi, 1225.

4. Ode hujus nominis prima, Comitissa de Tecklenburg Otthonis & Mechtildis filia, ob præclaras naturæ & gratiæ dotes, Abbatissa electa, Monasterio strenuè consuluit & profuit, sub annum 1265.

5. Ode ejus nominis secunda Comitissa de Ridberg Conradi filia, ob singularem Zelum quo erga cultum divinum & disciplinam Monasticam ferebatur, unanimi omnium consensu electa. Hujus obitus postridie S. Eustachii commemoratur.

6. Alheides II. Comitissa de Ridtberg. Hæc in ipso Cœnobii porticu ad altare SS. Angelorum Missæ fundationem fecit anno 1325. Ipsa maxima devotione erga Christum Crucifixum eluxit, & vitæ sanctioris exemplo cæteris viam salutis monstravit.

7. Kunegunda ab Ahus, prima de stirpe nobilium Equestris dignitatis, cum priores omnes ex Comitum familiis fuissent. Præfuit laudabiliter sub annum 1339.

8. Margarita de Riken, claruit sub annum Christi 1353. obiit in festo S Matthiæ.

9. Mechtildes de Cleveren, præfuit sub annum salutis 1375.

10. Margarita, ex familia de Herberen castri Idlingen claruit anno 1387.

11. Luphardis, sive Lupana de Bardor, regimen Cœnobii gessit sub annum 1411.

12. Mechtildes II. ex familia Equestri de Cleveren vita excessit 1430. 20. Febr.

13. Gelburgis Dutes electa anno 1430. obiit 3. Martii. Tempore hujus fuit Præpositus S. Egidii Bernardus Kelle, singularis Cultor B. M. V. jacetque sepultus in porticu Cœnobii apud prædecessores Præpositos.

14. Judmodis Dorbar, humanis exempta est, postridie Visitationis B. M. V.

15. Margarita III. dicta de Buck. ex præsenti vita ad æternam migravit 26. Junii.

16. Altrudes de VVarendorp claruit circa annum Domini 1446. obiit 10. Aug.

17. Angela de Kerkring, sub qua in hoc Monasterium introducta fuit Reformatio Bursfeldensis. Claruit sub annum 1465. mortua pridie Annunciationis.

18. Bertha de Beinhem strenua collaboratrix ad Reformationem propagandam, obiit 26. Maji postquam summa cum laude annis 30. præfuisset. Sub eadem ex hoc Monasterio postulatæ fuerunt duæ Abbatissæ ad Monasterium Transaquense Hilburgis de Noredin & Sophia de Dobbe, quæ ibidem laudabiliter præfuerunt.

19. Alheides III. ex familia Bischoping, mortua anno 1503 die 7. Maji.

20. Hildegundes Bischoping. Hæc in statu & ordine Conversarum Sororum quem sibi elegerat ex solida animi demissione, contempta esse in Domo DEI eligens, ex illa nihilominus dejectione assumpta, dignam se summo honore facto comprobavit, & 28. annis laudabiliter præfuit. Vivere aliquot annos in exilio coacta ob Anabaptistarum Regnum urbem occupans, & sacra omnia polluens, patientissime tulit. Mortua est anno 1540. 4. Novembr.

21. Elisabetha Bischoping, vita excessit anno Christi 1565. in Epiphania Domini.

22. Anna Kerckring præfuit Monasterio ad annum usque 1591. obiit 27. Novembr.

23. Lucia I. hujus nominis de VVarendorp. quæ 14. solum dies electioni supervixit, obiit ipsâ die S. Luciæ sanctæ cognominis Patronæ.

24. Gertrudes de VVerne, præfuit cum laude ab anno 1591. usque 1611. obiit 20. Dec.

25. Margarita cogn. Creten. è vita migravit 15. Julii.

26. Agnes de Steueninck, sub qua de novo reformatum est Monasterium. ob. 1615 5 Junii.

27. Agnes de Meruelt, Reformationis reintroductæ Zelosissima promotrix, præfuit annis quadraginta inter magnas patriæ turbationes. Sub ejus regiminis tempore postulata est ex ejus Monasterio Barbara ab Houel in Abbatissam S. Gertrudis prope Osnaburgum; item in Antistitam S. Udalrici Paderbornensis Sophia de VVendt; in Dominam Monasterii Osterholtani Joanna de Dauensperg, obiit Agnes anno 1655. ultima Februarii. In Necrologio Domina de Merrfeld appellatur.

28. Lucia II. ex familia de Baer, præfuit laudabiliter 5. annis, pietati & observantiæ Regulari singulariter addicta. E vita piissimè migravit anno Christi 1660. ætatis 70. Professionis 53 die 12. mensis Februarii.

29. Margarita, hujus nominis Quinta è familia de Buck, præest hodie magna cum laude.

## ELNONENSE.

### VULGO S. AMANDI IN PABULA.

Benedictini Ordinis magnificum in Belgio Monasterium, fundatum anno salutis reparatæ 617. à S. Amando, primo deinceps loci Abbate, dotatum à Dagoberto Rege, in Ordinem divi Benedicti munificentissimo, & Carolo Calvo cujus filii hic in litteris ac pietate instructi fuerant, per Hucbaldum ac Milonem Monachos, patre illorum gratias referente, & locum Regia munificentia excolente. Abbatum seriem nunc accipis.

1. S. Amandus loci Fundator idemque primus Abbas, magnus Belgii Apostolus, qui cum decem Cœnobia Benedictini Ordinis condidisset, istud tamen præ aliis specialiter dilexit, & sacrum corpus suum ad supera transiens Elnonensibus reliquit.
2. Ursus à S. Amando ad Conversionem Gentium excurrente, successor designatus, cum ali quamdiu sanctissimè præfuisset, mortalitatem exuit superstite Magistro & antecessore.
3. S Jonatus ab Amando, Urso substitutus, cum antea Marchianensi Cœnobio præfuisset, huic præesse & prodesse jussus, magna se vitæ sanctitate commendavit. Hujus diebus S. Rictrudes corpus Adalbardi Comitis mariti sui, ab impiis occisi Elnone sepeliit.
4. Sanctus Joannes ex Abbate Blandinii hujus loci Antistes, qui Ecclesiam in honorem S Stephani construi & sacrari curavit anno 676. in eamque è S. Petri Oratorio corpus S. Amandi transtulit.
5. Wenegistus, qui plurimum sancta & assidua sollicitudine Monasterio profuit.
6. Genebertus.
7. Firminus.
8. Guntbertus.
9. Gerhardus.
10. Sarewardus.
11. Ostingus.
12. Ermentheus, qui omnes in generationibus suis habentur in laudibus.
13. Gislebertus anno 750 circiter floruit, ob egregias virtutes Episcopatus Noviomensis infulas meritus & consequutus.
14. Agilfredus, nepos Caroli Magni Leodiensis Episcopus & Abbas S. Bavonis Gandensis in omni gubernatione laudatus.
15. Arno, idem Rhementis Archepiscopus dicitur etsi in horum Catalago non reperiatur, forte quia hinc postulatus, ante consecrationem, ut author existimat, obierit.
16. Adalricus, cujus diebus dum Sacrum corpus S. Amandi elevaretur, & Lotharius ædituus, devotionis ergo asservandum dentem eruere conaretur, recens inde sanguis manum ejus purpuravit, anno 809.
17. Rotfridus nobili ortus genere, de quo nihil præter hoc notatum habetur.
18. Adalhardus tempore Ludovici Pii loco huic præfuit, ipsi peculiariter dilectus, in cujus gratiam multa Rex Cœnobio contulit.
19. Gislebertus eo nomine secundus.
20. Hildericus Abbas.
21. Adalhardus II. è gremio assumptus, ob egregiam sui gregis curam plurimum laudatus.
22. Alfridus, incertum cujus sedis, Episcopus ab Aula commendatus, optimè tamen præfuit, sub quo studia mirificè in Monasterio floruere, Milone inprimis magni nominis Scriptore, Scholas gubernante, cui summorum Principum filii, cotq; inter Drogo & Pipinus Caroli Calvi Imp. filii fuere commendati, qui tamen juvenili ætate immaturius morte abrepti Elnone sepulti sunt. Milo autem ipse anno 872. post multa relicta ingenii monimenta decessit.
23. Carolomannus, & ipse hîc in studiis educatus, post Alfridum Abbas renunciatus, pluribusque Abbatiis impositus, rebellionis demum accusatus & exoculatus Sylvanecti... missus est exulatum. Sub hoc S. Cyrici Martyris corpus, Nivernis huc translatum est anno 880.
24. Gozlinus, aliis Gozelinus, cujus tempore anno 882. Normanni Monasterium hoc vastavere, & eos qui remanserant Monachos Martyrio affecere, qui ante majorem postea aram sepulti sunt, pavimento deinceps sæpius Martyrum sanguinem exsudante. Gozelinus Carolo Calvo charissimus extitit, quem & Comitem Palatinum creavit; ex quo tempore Comitis titulus etiam successoribus Abbatiæ hujus remansit. Ille demum Parisiensis Episcopus est designatus.
25. Robertus sub quo Normanni Galliæ infesti esse pergunt.
26. Rogerus, quo tempore Normanni Tornaco potiti crudelissimè sævierunt
27. Lendricus post Normannicam tempestatem præest & Monasterium restaurat, obiit anno 956. 9. Sept. disciplinæ restaurator.
28. Genulphus destruens quod Lendricus ædificaverat, & quæ collegerat dissipans, viginti insuper villas alienat mortuus sub annum 969.
29. Ratherius Leodiensis Episcopus Abbas designatus, vix ingressus Monasterium à Cœnobitis ejectus est.
30. VVericus, qui à Monachis electus, Cœnobium muro circumdedit, & facta à Genulpho debita dissolvit. Sub eo Susanna Roberti Regis Galliæ vidua, loci Religione ducta juxta templum S. Amandi domicilium condidit, & sub obedientia Abbatis vitam exegit.
31. Pabo seu Rabo VVerrico defuncto anno 1019. suffectus, quarto administrationis anno moriens locum alteri cedit.
32. Richardus, qui aulicos suorum mores & licentiam religiosè coercuit, & disciplinam Monasticam reduxit & commendavit. Creditur idem cum S. Richardo Virdunensi.
33. Malbodus, juvenis etiamnum plus licentiæ suis indulsisse scribitur, cum tempore tamen & ipse officium suum præstitit, & 4... annis ad clavum sedit, alia inter cryptam in honorem B. M. V. condidit, sub quo multoties, ut supra dictum fuit pavimentum ubi conditi erant Martyres Elnonenses sanguinem sudavit, unde factum deinceps, ut inibi terram osculari Fratres consuescerent. Obiit Malbodus 1059.
34. Fulchardus, sub quo turris & Ecclesia Monasterii incendio periere, anno Christi 1066. proin S. Amandi corpus in Gallias translatum, magnis à Numine miraculis celebratur. Obiit Fulchardus anno 1076.
35. Bovo vili conditione natus, vilem quoque animo se probavit, dum sacros Ecclesiæ thesauros furari constituit, ulciscente Numine Cancri morbo in facie notatus infelici morte vitam finiit, postquam decennium præsedisset 1086.
36. Hugo Fulchardi Antecessoris nepos egregia virtute Abbas, locum insigniter, tam in ædificiis quam disciplina restituit, & S Stephani Basilicam restauravit 1088. Sed & S. Andreæ Elnonensis corpus reperit, & solemniter transtulit, sub quo & Amandi corpus ex Galliis revectum, miraculis à DEO est honoratum.

37. Hugo

37. Hugo hujus nominis II. ſub quo denuo miraculis S. Amandus refulſit, aliaque inter mulierem quæ mortem ſibi ipſi conſciveras, ad vitam revocavit, præfuit annis 14.

38. Galterus, qui poſt annos quinque oneris pertæſus hoc in Belluacenſi Concilio depoſuit, cum prius S. Cirici corpus inſigni arca incluſiſſet. Reſignavit anno 1128.

39. Abſalon à Patribus Concilii Belluacenſis Abbas deſignatus ſtrenuè munere ſuo functus eſt, in ſacris non minus quam profanis promovendis intentus, ſub quo iterum prodigioſâ ſanguinis Martyrum ebullitio contigit, atque inde anniverſaria Proceſſio inſtituta. Obiit anno 1146. 20. Sept.

40. Galterus II. diſſimillimus primi ob malam & mollem converſationem exauctoratur & ad Claram Vallem pro pœnitentia deſtinatur.

41. Hugo II. ex Abbate Laudunenſi, Humolarienſis, demum Elnonenſis, egregiis ornatus moribus pie & utiliter 19. annis præfuit, & Eccleſiam S. Petri cum toto Monaſterio feliciter reſtauravit, obiit anno 1169. circiter.

42. Joannes, Multas SS. Reliquias, & tria SS. virg. corpora è ſodalitio S. Urſulæ impetravit anno 1173. ſed & anno 1179. partem Crucis Dominicæ meruit, & decenter exornavit, demum ob ſeditionem ſuorum onus ab humeris rejecit.

43. Euſtachius è S. Petri Gandenſi Cœnobio poſtulatus, Fundatorum & Benefactorum honori ante omnia ſtuduit, & ipſis memoriam inſtituit in grati animi conteſtationem, ipſe forma gregis factus vitæ merito inter præſtantiſſimos Abbates haud immerito celebrandus.

44. Arnulphus diſſimilis Euſtachii, ob ineptitudinem exauctoratus eſt, ſub annum 1193.

45. Gautherus, olim Abbas S. Nicaſii Rhemenſis, ob virtutis famam huc poſtulatus, qui re laudabiliter geſta poſt ſeptem regiminis annos ad ſupera conceſſit anno 1199.

46. Joannes III. tempore Balduini Imp. Conſtantinopolitani anno 1201.

47. Guilermus I. tempore Bovinienſis prælii anno 1218.

48. Galterus eo nomine quartus.

49. Herbertus, de annis non conſtat.

50. Joannes Gancreau.

51. VValtherus de Herbaing, anno 1255.

52. Egidius de Tornaco.

53. Henricus de Scandern.

54. Fulco tempore S. Ludovici Regis.

55. Auguſtinus claruit anno 1278.

56. Gillermus II. Hic multas poſſeſſiones acquiſivit circa muros Duacenos, &c.

57. Petrus Gonguars clar. 1325.

58. Theodoricus Dandius, quo tempore Angli cum Hannoniis Tornacum obſidentes, Elnonem incenderunt omnemque terram Monaſterii rapina & igne vaſtaverunt, damno ad libras Flandricas 702000. aſcendente. Obiit Theodoricus anno 1342.

58. Joannes de Vaſſonia, ſub quo Joannes Faijus magni nominis Doctor cucullum Elnone complexus eſt, illectus loci fama & Religione, mortuus anno 1362.

59. Jacobus Sondans cui 24. ætatis anno ob maturum judicium Abbatis munus eſt impoſitum, & vero licet ætas ſenectutis expleret prudentiâ, à perſecutionibus tamen collegarum immunis non fuit, & ita quinto regiminis anno immature deceſſit, 1364.

60. Joannes de Mauritania clar. 1386.

61. Nicolaus de Maricolis.

62. Nicolaus de Maricolis.

63. Nicolaus Loubiert.

64. Matthæus de Launaiis, infirmus corpore, fortis ſpiritu; promotor bonorum ſtudiorum optimis libris Bibliothecam inſtruxit, obiit anno 1422.

65. Leo de Branda, ſtruxit caſtellum de Mota ad Scarpum fluvium & Eccleſiam Cortreci quæ tamen bellicis injuriis anno 1579. periit. Mortem ſubiit anno 1455.

66. Petrus Culcelli, inquietum nactus regimen, ob competitores Philippum Primeurx & Arnoldum Anglande. Accidit ſub illius regimine quarta vaſtatio Cœnobii Clauſtro & Eccleſia triſti incendio abſumptis, bello inter Galliæ Regem & Ducem Burgundiæ graſſante, anno Chriſti 1477. ita ut diu in cinere jacere cogeretur.

67. Petrus Quicque poſt bellorum turbines Abbas eligitur anno Chriſti 1486. qui reſtaurare ruinas aggreſſus ante omnia baſilicam cum inſigni & miræ artis teſtudine molitur anno 1488 Fuit vir magnæ auctoritatis; & anno Chriſti 1500. Carolum V. poſtea Imperatorem & Hiſpaniarum Regem Sacro Baptiſmate abluit Gandaui. Idem poſt quinquennium Brugis, per reſignationem Antonii S. R. E. Cardinalis Epiſcopus Tornacenſis deſignatus, & præſentibus Philippo Archiduce, & hujus conjuge Joanna ſolemniter conſecratus, poſtea quod invito Galliarum Rege creatus eſſet, cedere coactus, ad Monaſterium ſuum revertit, ubi omnia turbata reperiens Valencenas decedens paulo poſt è vivis exceſſit.

68. Carolus de AltoBuſco Abbas hujus loci ac dein Tornacenſis & ipſe Epiſcopus ſub quo optimo primùm loco omnia tam in ſacris quam profanis fuerant, donec Angli Tornacum anno 1513. obſiderent atque occuparent, Carolo vita & honoribus privato.

69. Guilelmus Boulais, Ciſtercienſis reformationis Athleta huic Monaſterio impoſitus, ſui majorem curam habens quam Monaſterii, Gallis anno 1518. Anglos Tornaco ejicientibus, cum divite gaza ad Trudonenſe ſeceſſit Cœnobium nec poſtea rediit.

70. Ludovicus Borbonius Archiepiſcopus Senonenſis & S.R.E. Cardinalis, Abbatia biennio potitus, Carolo V. Tornacum recipiente Abbatia cedere cogitur.

71. Georgius de Egmunda Ultrajectinus Epiſcopus, dum Conventus minimè concors alia pars alium Abbatem deſtinat, conſentiente Carolo Imp. rerum potitur; iiſque quam feliciſſimè conſulit, Monaſterium reſtaurat, æs alienum diſſoluit, prædia redimit, mira in pauperes præditus charitate. Mortuus eſt anno 1559.

72. Antonius Perrenotus Abbas Luxovienſis Archiepiſcopus Mechlinienſis & S.R.E Cardinalis, ſub quo plures clades Cœnobium hoc perpetitur; anno primùm 1566. Geuſiis in ſacra ſævientibus, Monaſterium ob vitæ pericula coactis deſerere Monachis & Duacum profugientibus; iterum anno 1572. Montibus & Valencenis à Ludovico

Nassovio interceptis, Religiosis denuo fugere compulsis. Aquarum deinceps inundatione, nec non bellorum inquiete Monasterium turbantibus. Obiit Antonius anno Christi 1586. Septembris die 21.

73. Joannes Carron, cum annos 74. sub Commendatariis servisset Monasterium, è gremio denique pastor & Abbas eligitur, vir egregius, & ob egregias virtutes Regi plurimum dilectus.

74. Carolus du Barc Abbas valde Religiosus DEO & hominibus dilectus.

75. Nicolaus du Bois, præest nunc Præsul insignis, qui tanquam Job à DEO probatus, multis persecutionibus duris laboribus exagitatus iis denique superatis, totus in reformationem Cœnobii incumbit. Basilicam ita excoluit ut nulla illi similis totis provinciis longè lateque habeatur, de quo modernus quidam scriptor: Insignis morum elegantia, vitæ pietate, eximia in proximos & gregem suum charitate, multa virtutum supellectile, & urbanitate præditus.

*RELIQUIAE SS. ELNONENSES.*

1. Magna & solida pars Crucis vivificæ, per ignem olim probata & illæsa permanens.
2. Corpus S Amandi primi loci Antistitis & Fundatoris in theca argentea.
3. Corpus S. Cyriaci Martyris sive Quirici Nivernensis Episcopi dono.
4. Corpus S. Andreæ Abbatis & Confessoris.
5. Tria corpora ex Sodalitate S. Ursulæ virginis Regiæ & Martyris.
6. Notabilis pars Calvariæ S. Stephani Protomartyris in insigni theca Argentea & phiala sanguinis concreti, de eodem Martyre.
7. Os femoris S. Lupi Archiepiscopi Senonensis & Confessoris.
8. Junctura S. Bassoli Abbatis. Aliæ juncturæ S. Geruasii Mart. & Ursmeri Episcopi. Dens unus S. Joannis Baptistæ. Item unus S. Andreæ Apostoli. Item dens S. Matthæi Apostoli & Evangelistæ. Dens S. Basilii Magni Cæsareensis Episcopi. Dens S. Amati Senonensis Archiepiscopi.

## S. EMMERAMI RATISPONENSE.

ILlustrissimum, & nunquam satis celebrandum Benedictini Ordinis in Bavaria, & in ipsa Ratisponensi urbe, spectatissimum Monasterium, fundatum à Theodone Bavariæ Duce in expiationem cædis S. Emmerami Episcopi, sanctissimo viro à Lamperto filio illatæ anno Christi 696. Insigniter deinceps auctum & dotatum à Carolo Magno Imp. & posteris, maximè ab Arnulpho Imp. qui illud etiam civitatis muro inclusit. Cætera leges tomo I. Germaniæ nostræ sive hujus Operis. Nunc quem dare omisimus, Catalogum loci Præsulum damus:

1. Apollonius primus Monasterio Abbas impositus anno Christi 697. præfuit annis 13.
2. Sandradus viginti quinque annis, 7. mensibus diebus 28. regimen tenuit.
3. Alaboldo claruit anno Christi 735. præfuit annis 16. mensibus undecim, diebus 7.
4. Babo ad clavum sedet annis viginti sex, mensibus 10.
5. Sigismundus tempore Caroli Magni anno 777. creatus, præstitit annis 18. mens. 5. d. 10.
6. Richpaldus præfuit annis 16. mensibus novem diebus 16. Moritur anno Christi 821.
7. Sigefridus, sub quo Embrico Episcopus à Carolo Crasso impetrat in Commendam præfatum S Emmerami Cœnobium à morte scilicet Sigefridi Episcopis cessurum, infinitis inde malis Carolum vexantibus & Cæsareo demum throno dejicientibus. Præfuit Sigefridus annis 7. mensibus 9. diebus 13.
8. B. Ramuoldus, resignante libertime usurpatum 156. annis Monasterium ab Antecessoribus Episcopis, S. VVolfgango, Abbas instituitur anno 974. præfuit annis 26. mensibus 5. d. 17. cujus sacrum corpus S. Henricus, postea Imperator suismet humeris ad sepulchrum detulit, & in eodem composuit; quin & clavem ad sarcophagum tanquam magnum thesaurum, secum ubique circumtulit. Ramuoldi sanctitatem multis miraculis Numen commendavit.
9. VVolframus quinquennium præfuit, mensem unum, diem unum
10. Richoldus 22. annis Abbatem egit mensem I. dies 28. oculis demum captus.
11. Hartuicus unico an. mensibus 10. d. 28. præsedit.
12. Burcardus ex Augia Divite postulatus, cum 6. annos, menses 8 & totidem dies præstitisset Romæ vita excessit, sepultus in Vaticano.
13. Udalricus septennium rebus præfuit menses 11. dies 29.
14. Eckenpertus brevi magistratu Monasterium rexit anno 1. mensibus 10. diebus 13.
15. Peringerus Abbas S. Emmerami & Tegernseensis, annis 3. mensibus 6. diebus 13. obiit 1049.
16. Reginhardus, sub quo repertum S. Dionysii Areopagitæ corpus in cistis duabus, in quarum altera caput ejusdem Martyris, altera reliquum corpus, eveniente tunc magno prodigio, capite nimirum ultro sese cum reliquis ossibus jungente. Exstat super hac ipsa inventia Diploma S. Leonis IX. Papæ testis oculati. Facta est Inventio anno 1052. eo ipso anno datis litteris Non. Octobr. Præfuit Reginhardus annis 14. mens. 10. dieb 28.
17. Eberhardus Abbatis munere functus annis 6. mensibus 4. diebus 11. obiit 1070.
18. Rupertus annis 25. mense uno, diebus 8. obiit anno Christi 1095.
19. Reinhardus Monasterium gubernavit annis 15. mensibus 11 diebus 17. obiit 1110.
20. Theodoricus Abbas fuit annis novendecim, mensibus 3. diebus 7. mortuus, Anno 1129.
21. Engelfridus post regimen annorum 13. mensium 4. dierum 11. extinguitur 1143.
22. Berchtoldus ex Admont postulatus præfuit annis 6. mens. 3. dieb. 19. obiit 1149.
23. B. Adalbertus vir sanctus, sub quo tamen altera vice Monasterium exustum fuit ipse nihilominus rebus pro virili consuluit, præfuit annis 27. mensibus 6. diebus 5.
24. Peringerus II. vir præstantissimus alia inter merita, magnis sumptibus per longa terrarum spatia aquam lympidissimam per tubos plumbeos Cœnobio induxit, præfuit annis 25. mensibus 10. diebus 22. mortuus anno 1201.
25. Eberhardus II. annis 16. mensibus 2. diebus 28.
26. Udalricus II. suo munere functus annis 2. mensibus 9. diebus 28. obiit anno 1220.

27. Berch-

27. Berchtoldus II. rexit Cœnobium annis 15. mensibus 6. diebus 26. obiit 1235.
28. VVulfingus lituum tenebat annis 11. mensibus 4. diebus 28. extinctus anno 1247.
29. Udalricus III. cum annis octo præfuisset, postulatus est Abbas in Anhausen.
30. Fridericus de Theiirn usum Mitræ impetravit, gubernavit Cœnobium annis octo, mensibus 7. & 9. diebus. Mortalitatem exuit anno 1271.
31. Udalricus IV. de Prunn, vix gustavit honorem 3. mensibus diebus 9. & obiit Anno eodem.
32. Haymo varie tentatum Cœnobium ægrè servans, post annos 5. & 3. menses ac dies 29. sponte resignat.
33. VVolfgangus violenter obrusus post annos 5. menses 2. dies 4. morte abripitur.
34. VVernherus ex Abbate Prüfelingensi hujus loci antistes, rexit Cœnobium annis 11. mensibus 7. diebus 19. mortuus anno Christi 1292.
35. Carolus cum annos tredecim in Abbatia explesset cum 8. mensibus & 11. diebus ad immortalia abiit anno 1305.
36. Henricus de Wünzer Abbatem egit annos 6. menses 7. dies 16. extinguitur 1312.
37. Balduinus plurima patitur ab Nicolao Episcopo, Doctore Juris Utriusque, quondam Regis Bohemiæ Cancellario, qua ex causa pius & sedulus cæteroquin Abbas, pro suis tuendis Juribus Avenionem concedere cogitur, ubi obiit ipso festo S. Udalrici an 1324. in Cathedrali ibidem sepultus.
38. Albertus de Schmidmüllen, constans Balduini adjutor, unanimi consensu eidem subrogatus approbante & statim confirmante electionem Joanne XXII. Pont. Max. moxque conatus Episcopi reprobante. Præfuit utiliter Albertus annis 31. mensibus sex & undecim diebus (alii 17. dies habent) obiit anno 1358.
39. Alto Tannsteiner, magnus cultor crucis Dominicæ, quam pretiosissimè ornari auro & gemmis curavit, rexit annis 27. mens. 3 dieb. 8. ob. 1385.
40. Fridericus de Weidenberg, sub hoc Dormitorium Religiosorum incendio periit, quod tamen anni spatio reædificavit, præfuit an. 10. m. 5. d. 1. ob. 1395.
41. Joannes Hauner annis 7. mense uno diebus 20. obiit anno 1402.
42. Udalricus Pettendorffer, magnis exagitatus tribulationibus, morte absolutus requievit 1423. cum 20. annis 6. mensibus 23. diebus jactatus esset.
43. Wolfhardus Strauß vir præclarus & optimè meritus, præfuit annis 27. mensibus 7. die uno, sponte resignans.
44. Hartungus de Pfersfeldt, ex Abbate Michaelfeldio prope Bamberg. postulatus, magna rerum experientia, sapientia & eloquentia Ludovico Duci Bavariæ gratissimus, à quo Romam missus, rebus feliciter confectis in reditu vita excessit anno 1458. præfuit annis 7. mensibus 9. dieb. 22.
45. Conradus Pebenhauser, sub quo pestilenti lue 16. Conventualium extincti sunt, cumque Dn. Abbas cum reliquis Asceris Votum ederent, de Festis SS. Joan. Bapt. & Sebastiani feriandis, nemo deinceps peste laboravit. Ipse obiit 1465.
46. Michael Teyer subsellia Chori splendida condidit, ultimo Ecclesiæ incendio absumpta, post annos regiminis 6. menses 2. dies 4. extinctus anno 1471.
47. Joannes Tegernbeck, felix œconomus, Assertor libertatis, divini honoris promotor. præfuit 22. annis uti ipsi ipsa die electionis prædictum & obiit anno 1493.
48. Erasmus Münzer utilissimè præstitit, multa utilia struxit, charus omnibus, ita ut mortuum non minus Civitas quam Asceræ lugerent, obiit 1516. 23. regim. & 7. m.
49. Ambrosius Münzer nepos ex fratre mortui amore electus & ipse utiliter præfuit annis 18. mensibus 4. diebus 18. mortuus anno 1535.
50. Leonardus Pfenningmann, vir præstans infirmorum studiosissimus obiit anno 1540.
51. Erasmus II. Nittenavver bonus Oeconomus, ob. 1561.
52. Blasius Baungartner opt ob. 1575.
53. Ambrosius Mayrhofer Turris majoris structor ob. 1580.
54. Hieronymus VVeiß devotissimus, ob. 1609.
54. Hieronymus Fewrii Principibus charus, utilissimus Monasterio, obiit 1623.
55. Joannes Nablas hinc in Metten postulatus 1625. utrobique strenuè præfuit, obiit 1639.
56. Placidus Judman, sub quo Suevica bella, & incendium turris & Ecclesiæ, obiit 1654.
57. Cœlestinus ad magna natus, Ecclesiæ mirificus restaurator, Monasterii amplissimi à fundamentis conditor, Præsul, quem omnis posteritas celebret & miretur, Vivat, perennet!

## FIDEMIENSE.

Benedictini Ordinis in Germania inferiore Cœnobium, fundatum anno Christi 995. sive juxta alios anno 1081. à duobus egregia nobilitate Anglis, qui peregrè Romam occurrentes, cum Monastico insigniri Ordine desiderarent, moniti à Rom. Pont. sunt, sibi ipsis locum eligere, & Monasterium cum sua benedictione construere, & in S. P. Benedicti Leges & Regulam jurare, quod reversi in Belgium prope Cameracum, loco qui Femii dicitur, electo præstitere adjuvante pios conatus Cameracensi Episcopo & locum honori Sancti Stephani consecrante. Catalogum Abbatum imperfectum, nec eo ordine damus, quo cæteros, cum nomina non ordine annorum ponere liceat, sed ordine mensium desumpta ex Necrologio, uti cujusque anniversaria memoria, celebrari est solita. Primus tamen Abbatum fuit Stephanus, unus ex duobus primis loci Fundatoribus Anglis, qui quamdiu præfuerit aut quando regimen cœperit, & vivere desierit nusquam reperitur.

Januario mense obiere: Joannes I. Joannes II. de Castillon. Bartholomæus. Petrus. Theodoricus.
Mense Februario obiit Sigerus Abbas.
Mense Martio obiere: Gerardus. Joannes. Egidius. Stephanus.
Mense Aprili nullus.
Mense Majo Ægidius Lyestes.
Mense Junio: Guibertus vel Humbertus. Robertus. Joannes de Georgies.
Mense Julio: Goluinus mortuus anno 1338. VValtherus Abbas.
Mense Augusto: Joannes de Folie. Guilelmus de Haspra.
Mense Septembri: Thomas. Joannes Liest. Claudius.
Mense Octobri obiit Nicolaus Liest.

Mense

Mense Novembri: Egidius Sandres obiit anno Christi 1500. Petrus.
Mense Decembri vita excessit: Simon Abbas.
Qui postera ætate vixere in regimine ordine annorum sequentes sunt: Jacobus le Piere. Philippus de Henyn turbulentis temporibus, armis latè grassantibus præfuit. Claudius de Couvelieu. claruit anno 1580. Rolandus Buiret ex gremio assumptus ob. 1587. Jacobus Brase postulatus è S. Andreæ in Castello, obiit anno 1595. Franciscus de Bouviers postulatus ex Aquicincto.

## FISCHINGENSE.

Celebre Benedictini Ordinis in Helvetia, Constantiensis Diœceseos Monasterium, duplex aliquamdiu, virorum unum alterum Sacratum DEO virginum. De anno Fundationis non constat, neque quando primùm fuerit S.P. Benedicti Regula introducta, vero simile est ex Archivo Episcoporum Constantiensium & Cathedrali quondam Bibliotheca, exules Roma & Italia Christianos, jam sub annum Christi CIV. eodem se subduxisse, & metu persecutionis inter nemora illic densissima abdidisse, ac dein sedem, cum sacra Eremicolarum in commune absque certa Regula viventium, fixisse, ac DEO summo in vitæ rigore, & extrema paupertate fideliter serviisse, unde usque hodie creditur, nemus illud der Brueder Waldt cognominari. Fama est, rogatu ab Eremitis conversorum, conditam illic à Tockenburgi Dominis Ecclesiam, donec eremitæ, sparsa jam passim Regulæ S.P. Benedicti fama, eamdem amplecterentur, & Tockenburgii Ecclesiæ Cœnobium adjungerent. Lyreri sententia non abjicienda est, cum revera credatur Princeps Romanus Curio in Ecclesiola Omnium SS. perantiqua, quæ intra muros Cœnobii est sub altari ejusdem tumulatus. Seriem Præpositorum ac dein Abbatum damus.

1. Adalbertus Baro de Wangen Præpositus I. obiit 20. Aprilis sed annus non memoratur.
2. Anonymus cujus tamen insignia visuntur.
3. Gregorius.
4. Sigismundus.
5. Marquardus Abbas I.
6. Albertus de Trungen, Anno 972. obiit 18. Maji.
7. Luitoldus de VVeillenberg, cl. 981. ob. 23. Martji.
8. Burcardus am Steig Abbas IV. cl. 987. ob. 2. Julii post què 42. annis nomen Abbatis nullū reperitur.
9. VVernherus à Seedorff. clar. 1029. Iterum silentium & interstitium 68. annorum.
10. VValtherus Mörler 1097. ob. 12. Maji.
11. Joannes I. clar. 1100. obiit 4. Martii.
12. Udalricus à Brigantio ob. 30. Martii quo tempore Cœnobium casu aliquo plurimum periit.
13. VValtramus de Castelvvart ex Petrusio postulatus, alter Cœnobii Fundator. ob. 2. Apr. 1146.
14. VVilhelmus Hillauvver. cl. 1148. ob. 2. April.
15. Nicolaus Sturzeneck. clar. 1152.
16. Rudolphus de Münchvveil. 1159. obiit 1. Apr.
17. Rudolphus de Schaffhusa. ob 6. Maji. 1176.
18. Chuno 1177. ob. 27. Maji. quo tempore vixit S. Idda Comitissa loci Patrona.
19. Henricus de Münchvveil 1183. ob. 27. Febr.
20. Burcardus II. ab Huntzickon. 1203. ob. 9. Maji.
21. Christ. Schvvendi de Schvvanberg 1209. ob 1209
22. Diethmarus de Reinauvv. ob. 1234. 13. Junii.
23. Joan. Iber à Luttenberg. ob. 1244. 1. Martii.
24. Conradus I. de Landenberg electus 1244. præfuit optimè annis 34. Ante quem multa damna acceperit Monasterium, quæ ipse reparavit, multa comparavit, obiit 7. Martii 1278.
25. Henricus à Creüzlingen, obiit 1283. 27. Febr.
26. Henricus Huober ab Elgg. Ob. 10. Oct. 1289.
27. Jacobus à Prevost, plurima emit, etsi multa passus bello Austriaco, ob. 5. Febr. 1297.
28. Conradus II. de Glotten. Huic Henricus à Sterneck donat Nidern Schönauvv, ob. 8. Jun. 1316.
29. Rudolphus à Rechberg, ob. 1339. 21. Maji.
30. Eberhardus ab Hultegg. ob. 17 Januarii 1346.
31. Nicolaus Stüzing, ob. 9. Jan. 1356.
32. Diethericus, obiit 2. Aug. 1370.
33. Jacobus Betenteur VVylensis, sub hoc exustum fuit Cœnobium, obiit 12. Octobris 1387.
34. Joannes Herlin præfuit optime annis 48. emit Dominium Landsperg cum præfecturis Keilberg & Buoch, Anno 1414. Monasterium totaliter exuritur, caput S. Idæ illæsum inter cineres reperitur. Restituitur Monast. à fundamentis cum Ecclesia. Paulo post emit Abbas Dominium Büchelsee, cum arce & Præfecturis Balkerschvveil & Niderhofen, pluraque alia. Tandem ob senium resignat, 1435. Moritur 1436. 5. Aug.
35. Joan Mettler ex Schvviz, non felix Oeconomus, ob. 1165.
36. Henricus Scheulin postulatus è S. Galli, tumulum S. Idæ ornat. præfuit annis 45. ob senium Administrator jungitur, ob. 1510.
37. Joannes Mayls ex Administratore Abbas cognatus Zvvinglii, quem frustra lucrari conatus, m. 1523.
38. Henricus Stall, cogn. Seebach Tigurinus. Fit Apostata. Monasterium variè distrahitur.
39. Marcus Schencklin à Catholicis statum Monasterii miserantibus anno 1540. è S. Galli postulatur. Idem insigniter restituto Monasterio anno 1553. moritur 19. Maji.
40. Joannes Rudolphus Rütti sive Rüttimann VVylensis præfuit annis 3. ob. 1556.
41. Henricus Landtsperger Rapersuillanus, multa debita reperit, obiit peste in Bethvvisen 29. Decembr. 1565.
42. Henricus Gelli ex Dübach, solus ex peste superstes cum uno fratre Gaspare Egger. Primùm Administrator, dein re benè gesta Abbas creatus. Hic paulo post etiam F. Gaspare mortuo duos Presbyteros sæculares sibi adjungit donec Novitios ad professionem admitteret. Præfuit utiliter annis octo, obiit 1574.
43. Christophorus Brunner ex Rorschach. Restaurator meritissimus, obiit 1594.
44. Jacobus VValckmaister ex Rorschach, ob. a. 1598
45. Benedictus Rennhaas Rorschachensis electus 21. Jan. 1598. Reformator strenuus disciplinæ, Oeconomus utilis. Dominium Lömnis emit, ob. an. 1604.
46. Matthias Stehelin ex Fischingen, minus felix Oeconomus, resignat an. 1616. superstes 20. annis.
47. Placidus Brunnertschvveiler ex Syrnach electus 15. Sept. Anno 1616. Alter Cœnobii Fundator. Emit Dominium Spieglberg.

## FORESTENSE.

Benedictini Ordinis Monasterium in Germania Inferiore perinsigne, fundatum sub annum Christi 1000 à B. Fulgentio Affligemiensi Abbate, in loco haud procul Alosto, quem dono dederat Gillebertus Princeps. Balduini Alostani & Odelilius, quem honori

honori DEIparæ dedicatum ipsa Oda cum filia Ludgarde divini Numinis servitio se consecrantes, inhabitaverant. Verum cum incommodior is paulo post appareret, fundationem transferri placuit, & Forestum sive VVorstum transponere Moniales, locum concedente Francone Castellano Bruxellensi, & confirmante atque approbante Odone Cameracensi Episcopo, ad cujus spiritalem Jurisdictionem locus pertinebat, mansitque Affligemiensi Cœnobio subditum, ad usque tempora Guidonis Cameracensis Episcopi, qui Cœnobium virginum Abbatiæ titulo sublimavit. Abbatissarum brevem syllabum damus.

1. Petronilla filia Sigeri Templarii Ordinis Equitis, Castellani Gandensis.
2. Mathildes.
3. Aicana.
4. Catharina.
5. Bellefortia.
6. Jolendis.
7. Aicana II.
8. Joanna Ildesdana sive Hesdana.
9. Maria Traziniaca.
10. Catharina Bouchoutana.
11. Maria Liekerkana, quæ Reformationem & arctius vitæ genus cum perpetua clausura junxit an. Christi 1501. Nec plura nomina haberi poterant.

Præfuit novissimis temporibus Maria le Petit, quæ Monasterium ab Hæreticis desolatum, spoliatum & incensum restituere generosè conata fuit, & triginta, insignis generis nobilitate virgines (qui numerus ante eversionem duplo major fuit,) ibidem congregavit.

### RELIQUIÆ IBIDEM ASSERVATÆ ET HOSTIBUS PRÆREPTÆ.

1. Corpus S. Alenæ virginis & Martyris, quæ locum illum suo longo incolatu, jam multo ante, tempore S. Amandi illustravit, sub annum Christi 650. Unde apparet à B. Fulgentio locum illum potius restauratum quam fundatum fuisse. Extat in ipso Cœnobii Cæmeterio arbor nucis avellanæ ab ipsa Sancta plantata etiamnum ibidem peregrinis celebrata.
2. Duo capita ex Societate undecim millium virginum S. Ursulæ sociarum.
3. Unum caput Sancti militis è Legione Thebæorũ.
4. De præsepio Christi Domini.
5. De vestibus & capillis B.M.V.
6. De costa S. Petri Apostoli.
7. De S. Agatha virgine & Martyre.
8. De ossibus & pedo S. Gert. virginis & Abbatissæ.
9. De oleo S. Diometrissæ.
10. De SS. Joannes Baptista, Paulo, Philippo, Bartholomæo, Jacobo Majore, de SS. 7. Dormientibus & plures aliæ particulæ minores.

### FRANCKEBERGENSE.

Illustre virginum Cœnobium, fundatum sub annum Christi 1220. à Conrado de Reitenburg Wederovio, Episcopo Hildesheimensi, ante Goslariam, nunc vero intra muros inclusum, sub Ducatu Brunsuicensi VVolffenbuttelano.

### FREDELSHEIMENSE.

Virginum Benedictinarum illustre olim Cœnobium, fundatum A.C. 1070. in Ducatu Calebergensi, situm intra Erichsburgum atque Hardegsen.

### GEMBLACENSE.

Celeberrimi nominis in Inferiore Germania Benedictini Ordinis Monasterium, fundatum anno Christi 920. à S. Guiberto, è Ducibus Austrasiæ orto Principe, qui castrum suum Gemelaus in Domum DEI convertit, & ipse demum se Numini in cucullo devovit, à morte tamen hûc delatus etiamnum requiescit. Abbatum Catalogum satis copiosum subjicimus.

1. Erluinus vir Sanctus, primus Cœnobii hujus Abbas instituitur anno Christi 922. præfuit annis sexaginta & amplius. Martyrii æquè atque confessionis gloria celebratus; utpote qui viginti novem ante obitum à Laubiensibus Asceris, quos ad saniora revocare disciplinæ studia conabatur, pessimè tractatus fuerit & cruciatus, oculorum evulsionem passus, & linguæ abscissionem, exemplar tot annis mirificum patientiæ & vitæ sanctioris. Migravit ad superos A.C. 987. quarto Idus Aug.
2. Herivvardus, præfuit ferè triennium, & vita excessit 5. Nonas Maji.
3. Erluinus Junior, primi consanguineus, præsedit annis 23. mortuus 7. Cal. Junii.
4. Olbertus, aliis Obbertus, *vir moribus*, ut ait Sigebertus, Religione, gennina Scientia, viris doctisque aut conferendus, aut præferendus. Is Laubiensis primum Monachus Fulbertum Carnotensem Parisiis Magistrum habuit, & ipse dein Laubiis Magister Burcardum, postea VVormatiensem Episcopum discipulum meruit, & insignia ingenii illustris monimenta edidit, ob sanctitatis opinionem etiam novum S. Jacobi Leodiensis Cœnobii regimen suscipere coactus. Præfuit Gemblacensibus annis 37. S. Jacobi 18. & hic decessit prid. Id. Julii anno 1048.
5. Mysach, cognomento Mathelmus, vir amabilis & Ecclesiæ DEI utilissimus, præfuit utilissimè annis 28. obiit 3. Id. Novembr. 1071.
6. Thietmarus, corpus S. Martyris Exuperii è Thebæa Legione Vexilliferi ex auro & argento divite Lypsanotheca recondit. Sub hoc mellifluus Doctor Bernardus, Abbas Claravallensis in Monasterio divertit, & casulam suam Sacerdotalem, donum Ecclesiæ gratiosissimum contulit. Præsedit loco Thietmarus immortali cũ laude añis 23.
7. Lithardus, disciplinæ Monasticæ amator & promotor insignis. Sub hoc magnis prodigiis commendatum à Numine corpus S. Guiberti solemniter elevatum fuit anno Christi IX. Cal. Oct. 1110. Sed & anno 1112. Sigebertus cognom. Gemblacensis scriptor egregius, vita excessit die 3. Non. Oct. obiit Lithardus 3. Nonas Februarii.
8. Anselmus eximiæ scientiæ & immortalis memoriæ Abbas, Sigeberti Gemblacensis Chronicon ad annum usque 1135. prosequutus est, qui confectus senectute & corporis imbecillitate 23. Prælationis anno 8. Cal. Maji anno 1135. memorato obiit. Sub eo Godofridus Barbatus Brabantiæ Dux, Monasterium variis privilegiis ornavit, & Basilica diu desolata variis fidelium largitionibus splendida consurrexit.
9. Arnulphus postulatus è S. Nicasii Rhemensis, ab ipsomet Innocentio II. Romæ fuit consecratus, & corpore S. Marii Persæ Mart. multisque aliis SS. Reliquiis donatus, vita excessit sub annum Christi 1155.
10. Joannes Abbas, de quo nihil præter nomen, & videtur paulo post electionem extinctus.
11. Odo, de quo similiter uti & de successore nihil habetur.
12. Joannes II.

33. Guibertus sive VVibertus. Multa de S. Martini Episcopi miraculis & alia conscripsit. Mortalitatem exuit anno Christi 1208.
34. VVilhelmus. Is anno 1215. Concilio Lateranensi interfuit, aliasque inter Sanctorum Reliquias digitum S. Nicolai dono accepit.
15. Henricus Abbas.
16. Arnulphus.
17. Guilhelmus.
18. Godefridus.
19. Joannes III. ex gremio assumptus, demum Affligemium Abbas postulatus, vir Sanctitatis opinione clarus, magnæ & Sanctæ illi Lutgardi Abbatissæ familiaris, quæ etiam jam jamque moritura de Joanne hoc dixit, se illo nihil charius sub sole relinquere. Obiit Joannes sub annum 1261. 16. Cal. Maji.
20. Joannes IV. de Bronio dictus, fortè inde postulatus, obiit anno 1259.
21. Radulphus, incertum quando decesserit, sepultus fuit in S. Martini.
22. Arnulphus III. de Eustris obiit anno 1300. sepultus ante aram B. M. V. feria IV. ante Simonis & Judæ.
23. Godefridus II. Sepultus & ipse ante aram B. M. V. 1323. pridie Cal. Ianuarii.
24. Arnoldus de Rosiers obiit anno Christi 1346. 3. Decembr. cum Godefrido & Arnulpho ad aram DEIparæ sepultus.
25. Lambertus, vita excessit anno Christi 1378. 30. Ianuarii.
26. Nicolaus de Rippemont præfuit annis 22. mortuus est anno 1400.
27. Ioannes del Harte dictus de Chaumont.
28. Ioannes de VValhanio dictus Lanselot, electus anno 1421. præfuit 19.
29. Ludovicus de Doingnies, è S. Ursmari postulatus anno 1440. 15. Septembr. vita defungitur anno 1457. die 7. Decembr.
30. Otho quondam Præpositus in Meersen, mortalibus valedixit 3. Aug. 1277.
31. Ioannes de Garniers, vivere desiit anno Christi 1495. in Choro sepultus.
32. Ioannes de Ditre, mortalibus valedixit 21. Febr. anno 1500. sepultus in Choro.
33. Otho de Vincorio electus duntaxat & confirmatus decessit.
34. Antonius de Bossines, & ipse quamprimum quinto electionis die Lovanii moritur.
35. Arnoldus de Solbruck, de annis regiminis & obitu non constat.
36. Matthæus de Floreffia, mortem oppetiit anno 1517. festo S. Augustini.
37. Antonius Pipinus, in humanis esse desiit anno salutis partæ 1541.
38. Arnoldus de Monte Bruxellis consecratus 1543. obiit 1549. in Choro sepultus.
39. Bernardus de Forder præfuit utiliter 8. annis obiit 1557. sepultus ante S. P. N.
40. Lambertus Hanquart. Ejus Epitaphium sic habet:

*Hic jacet R. D. Lambertus Hanquart, hujus loci Abbas, qui cum viginti uno fere annis, præfuisset, & non pauca sanctioris vitæ, probatæque prudentiæ testimonia posteritati reliquisset è vivis excessit anno Domini 1578. mensis Augusti 28. die Orate pro eo.*

Symbolo usus fuit: *sola manet Virtus.* Vixit sub eodem, eodemque anno mortuus est Ioannes de Pastura loci hujus Prior, vir religiosus & eruditus, scriptor insignis, qui alia inter Commentarium in Psalmos & Cantica edidit, sed & in Canonem Missæ, ob. 27. Decemb. anno quo Abbas.
41. Joannes Gaudrel, postulatus è Monasterio S. Vedasti Atrebatensis.
42. Ludovicus Sombeck, vir Religiosus & doctus, edidit librum sub titulo *Funiculi triplicis.* In quo Passionis, Mortis & Crucis Dominicæ Mysteria & documenta sanctorum Patrum verbis expressa sunt: Appellatur in Epitaphio: *Sanctorum semita morum, Doctrinæ Jubar & Religionis honos.* ob. 1609. æt. 76. Prælaturæ 27 Sacerdotii 52. Professionis 57.
43. Philippus Clerman, & ipse è S. Vedasti postulatus, obiit 9. Oct. anno 1625.
44. Carolus de Ursselle è S. Bertini postulatus, consecratus anno 1628. à Joanne Episcopo Namurcensi, ob anno 1635. 3. Novembr. æt. 68.
45. Gaspar Benselle laudatissimæ vitæ Præsul, & disciplinæ Religiosæ promotor. Symbolo usus est: *Bene qui per se.* obiit 8. Novembr. 1653.
46. Joannes Draeck ex Monasterio S. Trudonis, cujus Priorem egerat, assumptus superstite etiamnum Antecessore Abbas constituitur, vir insignis & eruditus, hodie laudabiliter præest.

## CATALOGUS SS. RELIQUIARUM QUÆ IN HOC NOBILISSIMO ET CELEBERRIMO MONASTERIO ASSERVANTUR.

1. Corpus gloriosissimi Christi Confessoris, & Fundatoris hujus Illustrissimi Cœnobii S. Guiberti, cum scapulari ejusdem.
2. Corpus S. Exuperii Vexilliferi Legionis Thebeorum & Martyris.
3. Corpus unius Martyris ex Collegio S. Gereonis, qui in persecutione Maximiani Coloniæ, caput gladio gloriosè objecit.
4. De S. Maclovio alias Machuto Monacho & Episcopo Alethensi, ossa tibiarum & brachiorum, pars parva etiam cranii, coxendicis medietas, & multa minorum ossium fragmenta.
5. De Sanctis Mario Persa Martyre, qui sub Claudio passus fuit, & Fortunato Episcopo: Caput separatum, medietas majoris ossis, & coxendicis, brachiorum fragmenta, capilli & duæ laguncula hodie vacuę, quæ cruore videntur continuisse.
6. Corpus integrum unius ex sodalibus S. Ursulæ Virg. & Mart. & plura aliorum ex eadem societate ossa.
7. Caput ferè integrum, etsi in plures partes diffractû S. Clementis Episcopi Metensis in Lotharingia.
8. De Cranio S. Nucii monachi Confessoris, ex Regis filio subulci.
9. Digitus S. Nicolai Pataræ, in Lycia Myrensis Episcopi, singularis in naufragio Patroni, dono Archiepiscopi Neopatrensis, cujus litteræ extant.
10. Casula cum stola & manipuli S. Bernardi Doctoris melliflui.
11. Brachium S. Jacobi.
12. Dens S. Petri.
13. Dens S. Pauli.
14. De Ligno Domini.
15. De Sepulchro Domini.
16. De præsepio ejus.
17. Duæ spinæ Coronæ Domini.

18. De

18. De Syndone Domini.
19. De altari super quo Christus Dominus fuit præsentatus.
20. De Capillis, vestimentis & Camera cœlorum Imperatricis.

## S. GEORGII HERCINIÆ.

*De hujus Fundatione agimus parte I. Germaniæ. Seriem Abbatum damus.*

I. HEnricus I. ex Monacho Hirsaugiensi & Priore S. Georg. Electus anno 1086. d. 6. Decem. Qui Hezelonis, primarii Abbatiæ S. Georgii fundatoris, Parentum, Avorum, Proavorum ossa ex VValida villa & S. Georgii Basilica ad monasterium suum transtulit. Vir strenuus & regularis disciplinæ integerrimus Zelator, obiit anno 1087. eodem quo ante annum electus die.

II. Anonymus Hirsaugiensis Asceta, elect. an. 1087.

III. Beatus Theogerus ex Monacho Hirsaugiensi, & primo Reichenbacensi Priore, electus a. 1088. fundator Monast. Luxheim in VVestria; Amptenhusen in Hercinia; & S. Marci in Alsatia. Aliorum Reformator, nempe SS. Udalrici, & Afræ Aug. Vind. Ottenburensis in Suevia; Admontensis in Stiria; Gengenbacensis & Hugshofensis in Alsatia. Septingentorum septuaginta religiosorū Pater fuit; è cujus ac discipulorum schola 9. Sancti, 1. Martyr, 1. Patriarcha, Archipræsules 2. totidem Episcopi, & 37. Abbates, prodière. Morientium singularis Patronus, iisdem à Deo inducias impetravit, ut dignè ad mortem sese disponere possent. Privilegia à Summis Pontif. Urbano II. & Paschali II. obtinuit; quibus, inter alia, plena & Advocati & Abbatis pro libitu eligendi libertas concessa, & sub specialem sedis Apostolicæ protectionem monasterium susceptum. Utrumque decretum Pontificium, Henr. V. Imperator corroboravit, suasq; insuper immunitates largitus est; quibus Abbati & Conventui monast. S. Georgii etiam Advocatum constituendi, & si inutilis fuerit, eundem removendi potestatem concedit. Episcopus demum Metensis Theogerus creatus, ob. a. 1120. die 29. April. quo die ipsum etiam Philippus Ferrarius Catalogo suo generali Sanctorum, quem Urbano VIII. dicavit, adscripsit.

IV. VVernherus I. Baro de Cimbern Fundator monastst. sacrarum virginū Fridenweiler in Hercinia; S. Joannis propè tabernas Alsaticas; Ursprіngensis in Suevia; S. Georg. in Hercinia. Ex his primum per revelationem & mandatum B. V. M. & S. P. N. Benedicti (à quibus è præsenti mortis periculo prodigiosè ereptus fuit) ex patrimonio S. Georgii extruxit dotavitque. Quædam, ut S. Gangolphi Crauchtalense in VVestria, & VVargam villam (Widersdorff) in Lotharingia restauravit, & pro Cranchtalensi privilegium quoque ab Honorio II. Papa obtinuit. Aliis nonnullis Abbates dedit, nempe VVeingartensi Gottfridum monachum & priorem suum, Decus & Firmamentum Monastici ordinis appellatum; Gengenbacensi Fridericum; Prüfflingensi B. Erbonem, itidem Priorem S. Georgii, alterum Eliam & Joan. Bapt. celebratū; Mallersdorffensi B. Epponem prophetiæ spiritu clarum, obiit vir sanctus 14. Dec. a. 1134.

V. Fridericus elect. anno 1135. resignavit anno 1138.

VI. Joannes I. elect. a. 1138. Bullam ab Innocentio II. Pontifice obtinuit, quâ monasterio S. Georg. cœnobia Luxheim, S. Joannis, S. Gangolphi, Fridenwiler & Amptenhusen; item villæ & Ecclesiæ Stetten, Flözlingen, Käms, VValda, Ingeltingen, Leidringen, Achara, Schweningen, Müllheim, Stephanswiler, Fockenhusen; cum prædiis Blimsingen, Eggen, Degernaw, Eissetten, Esingen, Degelwingen, Magenheim, VVivelingen, Baltranshofen, Tindenhofen, Gugenwald, Schlatt, Beckhofen, Grieningen, Ascheim, Einbach, Arnoldsbach, Trudenheim, Altheim, Endingen, Schopfheim, Budenheim, Eggboldsheim, Olthofen, Schafoldsheim, & quibusdam sedibus tributariis VVormatiæ, (iis videlicet, quas Leutfridus quidam prædives civis VVormatiensis S. Georgio obtulit, cum impetratis à Deo per B. Theogerum induciis ad mortē sese ritè parare voluisset, à quo etiam S. Georg. dæmonem abegit, defuncti animâ in cœlum deductâ) ab eodem Pontifice confirmantur. Resignavit anno 1141.

VII. Fridericus secundò, mortuus anno 1154.

VIII. Cunthramnus, huic Fridericus I. Imp. cœnobium Luxheim, situm in Metensi Dioecesi, tanquam Monasterii S. Georgii proprietatem, confirmavit. Obiit anno 1168. die 9. Decembris.

IX. VVernerus II. ex Priore mortuus anno 1170.

X. Mangoldus, cui Alexander III. Pontifex Bullam Innocentii II. cum Villis & Ecclesiis Mestetten, Türnwangen, Mülihausen, Furtwangen, Thennenbrunn, Turbach, Selbach; item cœnobia Luxheim, S. Joannis, S. Nicolai in Rupoldsaw, Fridenwiler, Amptenhaus. Urspringen, (quæ à monast. S. Georgii jure proprietatis obtineri asserit) cum prædiis Neifara, Tübingen, Husen, Bickelsperg, Seitingen, Guningen, Clengen, Uberachen, VVilerspach, Tuñingen, VValwis, Stainenbruñ, Engen, Husen, Bedenheim, Behlen, &c. confirmavit Pontificalibus à Lucio III. pro se suisq; Successoribus, ob regularis disciplinæ observantiam (ut loquitur Pontif.) donatus est, resignavit a. 1187.

XI. Albertus, electus anno 1188.

XII. Mangoldus secundò electus a. 1191.

XIII. Theodericus, mortuus a. 1209.

XIV. Burcardus I. electus a. 1209. mortuus a. 1220. die 24. Septemb.

XV. Henricus II. electus a. 1220. sub eodem exustum est cœnob. a. 1224. cui rursum erigendo B. Conrad. Cardinalis Episc. Portuensis, Apostolicæ sedis Legatus proventus Ecclesiarum, in quibus Monast. jus obtinet Patronatus, ad triennium concessit, datis literis Schaffhusii a. 1225. die 8. Jan. Privilegiorum quoq; confirmationem à Frider. II. Imp. obtinuit, obiit a. 1259. die 25. Martii.

XVI Dietmarus, electus a 1259 quem Deus de Nobili à VVerenwag, ob illatam injuriam, vindicans, eundem Nobilem leprâ percussit, decessit a. 1269. die 12. April.

XVII Eberhardus I. sub eo Rudolph Com. de Habspurg (qui postea Augustus salutatus est) Cœnob. Amptenhusanum, ob bella & incendia penè desolatum, ceu alter fundator, restauravit, ejusdemque propietatē Monast S. Georg confirmando de novo transcripsit; quod una è cœtu Sanctimonialium, illic degentium, eidem Imperium, ob reverentiam venerabili Sacramento exhibitam, ipsi & posteris à Numine decretum, prædixisset. Refloruit mox ab hac restauratione peregrinatio ad S. Sebastianum, loci Patronum; cujus opem plurimi contra grassantem luem pestiferam experti sunt: Ipsum verò Monast. templum Octavianus Bononiensis; Landulphus Averianus, Kambaltus, Camerinus; aliique sex Episcopi suâ præsentiâ honorantes indulgentiis decorârunt, quos postmodum

dum Epiſ. Conſtantienſ Henricus, Gerard. & Rudolphus imitati, etiam ſuas addidêre; quin & ipſe ſummus Pontif. Urbanus VIII. eidem Eccleſiæ 7. Altarium Baſilicæ Vaticanæ indulgentias, & in altari S. P. Bened. pro defunctis alias, ad ſeptenniū valituras, concedere dignatus eſt. Porrò inſignia Auſtriaca in eodem Cœnob. adhuc Avorum memoria non uno loco extabant. Hungariæ quoq; Regina Agnes, Alberti Cæſaris filia, Rudol nepus in Amptenhuſanas Moniales benefica fuit. Quin etiam Henricus Com. de Fürſtenb. Dn. in Bare, Parthenonem Amptenhuſanū à vectigalium penſitatione per territorium ſuum a. 1306. exemit.

XVIII. Waltherus hic fraternitatem ac participationem omnium beneficiorum & meritorum cum Udalrico Abbate & Conventu Zwifaltenſi a. 1283. menſe Junio inſtituit. Similem quoq; participationē Walth. iniiſſe creditur cum illuſtri Cœnob. S. Galli Privilegiorum & imunitatum cujuscunq; tenoris (conſequenter imediate etiā Imperii Protectionis) confirmationem abs Rudol. Cæſare vel Ipſe, vel ejus Anteceſſor, a. 1282. Auguſtæ obtinuit: cum illic Comitiis Imperialibus intereſſet: in quibus etiam S. R. Imp. Princ, creatus creditur, uti docebunt ſequentia. Teſtes hujus confirmationis, inter alios, fuêre Conradus Dux de Teck; Albertus & Burcardus fratres Comites de Hohenberg; Henr. C. de Fürſtenb. Diepold. de Bernhuſen, &c. deceſſit Waltherus 12. Mart. incertum quo anno.

XIX. Burcardus II. Mortuus circa A. C. 1290.

XX. Bertholdus. De cujus licentiâ tres fratres, nobiles de Burgberg, Hugo, Crafto & Conr. Sacellum omnium Sanctorum in ædibus Abbatialibus prope Capitulum converſorum, an. 1295. fundârunt, dotâruntq; conditione adjectâ, ut trinâ voce hebdomadatim ſacrum ab uno Conventualium inibi legeretur, ſcilicet feriâ ſecundâ pro defunctis, feriâ ſexta de S. Cruce, & Sabbato, de B. V. Mariâ, quod dein Bonifac. Proepiſ. Conſtantienſis a. 1297. ſacravit. Obiit Berthold circa A. C 1307.

XXI. Uldaricus I. de Deck. An de Teck Ducum familia? Electus circa A. G. 1307. ſequenti cum ſororibus Ord. S. Dominici de domo Patrum (in der Vätter Samlung) Villingæ Mancipiorū quorundam tranſactionem inſtituit. Triennio poſt Bruno Parochus in Villingen, Burcardus & Rudolph. Nobiles de Triberg, fratres Deo & S. Georg. 120. Marcas argenti, Burcardus etiam, auctarii loco, 112. libras obulorum tradidêre, ut quotidie in tribus Aris Sacelli B. V. M. tria ſacra legerentur. Añо de hinc 1316. Bonifacius Gerardi Epiſc. Conſtantienſ. Suffraganeus, Monaſt. S. Georgii, ejusq; Sacella 4. ſub eodem Udalrico Abbate (an fortuito caſu, an Auſtriaco, & Bavarico bello?) exuſta, cum ambitu & Cæmiterio pridie Idus Octob. reconciliavit. Ejusdem Udalrici Abbatis tempore Magiſtra & Moniales in Fridenwiler datis ad Joannem Epiſc. Argentinenſ. literis, atteſtatæ ſunt, Cœnob. S. Joannis, ſicuti ſuum Fridenwilerenſe, Monaſt. S. Georg. eique Abbatibus pleno jure in ſpiritualibus & temporalibus ſubjacere; quam atteſtationem Abbas S. Petri in Hercinia ſylva ſigillo ſuo a. 1328. roboravit. Deceſſit Udal. circa a. 1334.

XXII. Henricus III. cujus inſignia eadem cum Stadionenſibus, vel de Lapide, aut de Pflumern fuêre. Sub eo Johannes Stälin Patricius Villingan. Henrici & Annæ de Walſtein filius, prædia quædam in Mönchweiler, & Stockburg, inſuper & ſe ipſū Monaſt. S. Georgii a. 1339. tradidit. Diethelmus Abbas Augiæ divitis tradēs Henrico Abbati quoddam mancipium a. 1337. eunde'n gratioſum Dominum vocat. Deceſſit ſubitâ morte in Monaſt. Gengenbacenſi, quo ex viſitatione Lotharingica, Weſtriaca, & Alſatica diverterat, mortuus in lecto repertus A. C. 1347. die 7. Octob.

XXIII. Udalricus II Nobilis à Truchtelfingen, ſub ipſo Monaſt. S. Georg. totum deflagravit, ut per viginti annos non fuerit ibi habitatio hominum, & divinus cultus totaliter ſublatus ſit, imminuto (haud dubio pergraſſantē tunc univerſo orbē peſtilentiam) Religioſorū numero bonisq; Monaſt. magnâ ex parte oppignoratis. Ipſe verò Udalric. privilegium inſigne à Carolo IV. Imper. pro immunitatibus Monaſt. ſui a. 1354. impetravit; verùm diſſolutè vivens exauctoratus eſt a. 1359.

XXIV. Joannes II. Com. de Sulez Poſtulatus ex Augia majori A C. 1359. ad Augiam remiſſus a. 1364.

XXV. Udalricus ſecundò mortu us Rottwilæ 9. Martii a. 1368. ejusdem añо vitæ penultimo fundatus eſt in Monaſt. Urſpringenſi anniverſarius Bucardi Eitelii & Burcardi dicti Longi, de Ellerbach.

XXVI. Eberhardus II. Canzler. nobili ortus genere, electus A. C. 1368. Hic Monaſt. ſuum præclarè reſtituit & cum incorporatis Aſceteriis reformavit. Baſilicam S. Georg. ædemq; S. Laurentii Parochialem cum ſex Sacellis ſingulari in Deum divosq; pietate, incredibili penè celeritate, reſtauravit; quæ cum Cœnobio, ambitu & duobus cœmiteriis à Petro Suffraganeo Henrici Epiſc. Conſtantienſis 14. Kal. Octob. A. C. 1370. conſecrata ſunt. Cultum divinum, aucto Religioſor. numero, ſedulo promovit: æs alienum diſſolvit: oppignorata redemit. Cellam S. Petri (dimidio miliari à S. Georgio abſitam) ab Augienſi Cœnobio emit. Jus Patronatus cum aliis bonis in Mönchweiler, Advocatiam Kürnachienſem ab Udalrico de Neuneck comparavit; trāsactiones varias cum Epiſcopo Argentinenſi Lamberto; cum Reinoldo Duce Urslingenſi; Henrico Abbate S. Blaſii, Walthero de Rechberg, Commendatore Rottwilano; Joanne de Bodman ſeniore, Conradi filio! Egelwardo, Egelolpho, & Erhardo de Falckenſtein, Dominis in Ramſtein; Benzone de Wehrſtein; Marquardo de Aw; Joanne Schenck de Stauffenberg; Jacobo Domino in Gerolzeck, Henrico de Blumberg, Dno. in Carpfen; Brunone de Hornberg; Conrado de Thañheim 3 aliisq; inſtituit. Piè deceſſit 11. Dec. A. C. 1382. Fundatoris ſecundi titulo meritò decorandus.

XXVII. Henricus IV. Griwelius cognomento. Hic arcem Kürneck Joanni Haimburger Patricio ac Conſuli Villingano a. 1385 vendidit. Sequenti compoſitionem cum Monaſt. Amprenhuſano fecit. Mancipiorum permutationes varias cum Nicolao Epiſcopo Conſtantienſi, Henrico Abbate S. Blaſii, Joanne de Bodman ſeniore Equite, Henrico Mayer Nobili de Troſſingen, Friderico de Tanneck, inſtituit, obiit circa A. C. 1391.

XXVIII. Joannes III. Electus circa A. C. 1391. nam ſequenti controverſiam, ob decimas Dürnwangenſes compoſuit, variaq; mancipia eodem & ſequentibus annis, cum VVernhero Abbate Augiæ divitis, Joanne Abbate S. Blaſii, Berchtoldo de Falckenſt. equite, Rudol. de Fridingen, VVernhero de Roſenfeld equite, & Margarita, de Königs-

nigseck, permutavit. Vir opere & sermone potens, in spirituali regimine suis ita præfuit, ut dignus habitus sit, qui tempore concilii Constantiensis Capitulo ord. S. P Benedicti Constantiæ anno 1417. in Monast. Petri domûs celebrato cum aliis tribus Præsulibus Ludov. Tunorchii Abbate Burgundo, Thomâ S. Mariæ Eboracensi Anglo, & Sifrido Elwangensi præsideret. Nec minor eidem in temporalibus successus extitit. Principis titulo ipsum non subditi solùm, sed viri auctoritate primarii & civitates Imperiales dignati sunt. Ipse summus Pontifex Bonifac. IX. motu proprio Capellam in Tintenhofen incertum quo casu à Cœnobio S. Georgii alienatam, eidem Monast. A.C. 1401. reunivit & incorporavit. Sed & Mart. V prædecessorum suorum privilegia S. Georg. concessa confirmavit, obiit Joannes A. C. 1427. 31. Januar.

XXIX. Silvester Billing. quæ familia olim Eslingæ celebris fuit. Permutationes mancipiorum cum eodem fecêre Nicolaus Abbas S. Blasii Joannes Abbas in Stein, dece. sit circa A. C. 1444.

XXX. Henricus V. Ungericht, patriciâ familiâ in Sulz Wirtenbergiæ oppido natus. Hic Dynastiam Tribergensem A.C. 1441. loco pignoris obtinuit. Mancipia quædam cum Nicolao Abbate S. Blasii, Egone & Joanne Comitibus de Fürstenb. Landgraviis in Barei VVernhero & Gottfrido Baronibus de Cimbern, Dominis in Mösskirch; permutavit Conradus de Falckenstein, ejusque sororii VValtherus Steymaier Sculretus in VValdkirch, & Joannes Branthof Henrico mancipia quædam vendentes eundem Principis titulo dignantur. Margarita quoque nobilis de Grienenb. Alberti de Klingenb. vidua, super servis quibusdam cum Henrico Abbate transigens, eundem itidem Principem vocat, cessit officio anno 1457.

XXXI. Joannes IV. Schwigger, patriciæ itidem familiæ ex Sulz VVirtenbergico oppido. Huic Joannes, Henricus & Balthasar de Gerolzeck, & Anastasia eorundem soror, mancipia sua in valle Schiltachensi vendunt. Petrus Abbas S. Blasii; Conradus Comes de Fürstenb. Joannes Comes de Tengen & Kellenburg, provincialis Comes in Hegoja & Madach; Albertus de Sünchingen cum eodem super servis & mancipiis transigunt, obiit A. C. 1467. die 6. Januarii.

XXXII. Henricus VI. Martschalck, nobili familiâ natus. Is a. 1472. constitutiones salutares Monast. Urspringensi dedit; quas si moniales, præsertim juniores, ad exemplum Magistræ & Priorissæ suæ observassent, sine turbis (quas Felix Faber, & ex eodem Georgius VVittweiler recensent) reformatio processisset. Nec mirum Henrici successorem reformationis negotium ab initio non adeo ursisse, cùm principia Prælaturæ ipsius sævum incendium funestaverit, & ipsa Archiducissa Mechtildis, etiam vi adhibita, contumaces vix potuerit coërcere. At non soli Carthusiani & Dominicani, verùm etiam Benedictini Religiosi (quos tamen non nemo præteriit) in ista reformatione adhibiti: imò ipsius Abbatis S. Georgii, tanquam superioris Urspringensium consensus ante omnia requisitus fuit. Obedientes Archiducissa Icone B. V. M. cum puerulo JESU sapphiro innatâ auroq; ac lapidibus pretiosis inclusâ donavit, quæ usque hodie miraculis clara pio fidelium concursu colitur. Porrò Henricum Abbatem pro Principe Imperii adhuc anno 1467. agnitum fuisse, apparet ex literis Nobilis Conr. Islinger de Graneck in Rotwil, quittadens eidem Henrico quandam nevam, eundem Reverend. Princ. vocat, dece sit a. 1474.

XXXIII. Georgius I. ab Ast, cujus majores in Sueviæ Cœnobio Roggenburg sepulti. Cum in ipso primo electionis anno totum monasterium, præter ædem Abbatialem & sacellum B M. V exustum, ac penè ad incitas, alienatis possessionibus, redactum esset, Otho Episcopus Constantient. Ecclesiam Ingoltingen Monast S Georgii, auctoritate Sixti IV. Pontificis Maximi a 1482. incorporavit Quo adjutus subsidio Georgius Cœnob. suum præclarè restituit, & unà cum Basilica S. Geor. ejusq; 10. Aris, ac 4. Sacellis per Danielem Episc. Bellinensem ac Constantiensem Suffraganeum a. 1496. consecrari fecit. Sequenti verò Sacellum S. Georgii in ædibus Monasterii Villingæ, ab eodem Georgio Abbate extructum, idem Daniel Episc. sacravit. A prædicto Sixto IV. Pontifice. Georg. etiam Monast suo conservatores obtinuit, Præpositum S. Thomæ Argentinensem, Decanus Constantiens. ac Basiliens. qui prædia, castra, villas, aliosq; proventus, qui à Monast. S. Georgii alienati fuerant, ab injustis detentoribus curarent, eidem restitui. Communitati Furtwangensi, ob distantiam loci, parochum è suis conventualibus A.C. 1483. ita concessit, ut is in Furtwangen deinceps resideret; cum antea Cœnobitæ S. Georgiani, peractis divinis in Furtwangen, ad Monast. suum redire debuerint. Confirmationem quoq; privilegiorum ab Innocentio VIII. impetravit; quam Pontif. ad omnia Monast. bona de præsenti & futuro, sive titulo donationis, vel emptionis seu alio debito modo acquisita, extendit. Pagum Schabenhusensem abs Henrico de Bawstetten idem Georg. Abbas a. 1502. emit Ad comitia Imperialia VVormatiam A. C. 1497. Francofurtum a. 1504. tanquàm Status ac membrũ Imperii, à Maximil. Imperatore vocatus, comparuit. Maximis demùm laboribus perfunctus, & introductâ in Monast. sua reformatione, dece. sit 23. Maji A. C. 1505. sepultus in Sacello S. VVolffgangi, quod construxerat.

XXXIV. Eberhardus III. Blez à Rotenstein. Hic ab Imp. Maximil. privilegium Nundinarum hebdomadalium, & annualium a. 1507. obtinuit. Bieñio post cum Hugone Episcopo Constantiensi super solutione primorum fructuum ratione Ecclesiæ incorporatæ Ingoltingen transegit Cum eodem de servilibus personis transegêre VVolffgangus Comes de Fürstenb. Joann. Henricus de Bubenhofen; Joann. de Rechberg in Schramberg; Joann. Starck, Henricus Haug, & Geor. Majenb. procuratores templi B. M. V. Villingæ, obiit Rotwilæ a. 1517. 6. Junii, eodem quo electus die.

XXXV. Nicolaus Schwander. Electus a. 1517. huic Carol. V. Imp. privilegia Antecessorum Henrici V. Frid. II. Cor. IV. A. C. 1521. confirmavit, eandem, quam Car. IV. nempè 20. marcarum auri, contra turbatores mulctam statuens. Nicolai quoque prudentiâ, discretione ac liberalitate effectum est, ut Monast. S Geor. à sediciosis rusticis excitum non fuerit, resignavit A.C. 1530 & Confessariatui in Cœnobio S. Joannis in Altaria, post depositam Abbatialem dignitatem, aliquamdiu præfuit.

XXXVI. Joannes V. Kern, ex Auwelfingen. Electus anno 1530 proximo anno Spiram, & sequenti Ratisbonam à Carolo V. Cæsare ad comitia Imperi-

perialia vocatus, cæteros inter Imperii Proceres consedit. Prædicantem Lutheranum, quem Ulricus VVirtenbergiæ Dux anno 1535. ad S. Georgium miserat, suggestu primùm prohibuit, deinde post aliquot hebdomades omninò exegit. At cum sequenti anno ab ejusdem Ducis Præfecto Hornbergensi Jodoco Mönch à Rosenberg, ipso festo SS. trium Regum ipse & Conventus suus ignominiosè & armatâ manu ex Monasterio ejiceretur, templum ac Cœnobium totum spoliaretur, campanæ omnes Hornbergam aveherentur, Carolus V. Imp. exules in suam & Imperii protectionem suscepit, & per fratrem suum Ferdinandum, Romanorum Regem Senatui Imperialis civitatis Rottwilanæ (quò exules confugerant) injunxit, ut bona monasterii S. Georgii, urbi suæ viciniora, contra VVirtenbergicos defenderent. Idem biennio pòst ab eodem Rege Ferdinando Magistratui Villingano injunctum: Qui etiam Diploma Regium A. C. 1544. Abbati Joanni concessit, quo cœnobii S. Georgii prædia in Ingeltingen & Degernaw, in suam specialem protectionem suscipit. Quod privilegium dein ejusdem filius Ferdinandus Archidux Austriæ A. C. 1566. IV. Nonas Martii confirmavit, & ad cætera quoq; S. Georgii bona in Suevia & Brisgoia extendit. Cæteros verò proventus, in Hercinia silva existentes, judicium Imperialis Cameræ Spirensis, cujus opem Joannes imploravit, sequestro, donec lis decideretur, supposuit. Et licet subditis S. Georgii Præfectus VVirtenbergicus & Præco Lutheranus ab Ulrico Duce intruderetur, Homagium tamen Duci prædicto subditi nunquàm præstiterunt. Restitutus A. C. 1548. ab Invictissimo Carolo V. Imp. Joannes Abbas, etiam rem Catholicam, ejecto prædicante, restituit; sed paucis annis quietem habuit: etenim Christophorus Ulrici filius Wirtenbergiæ Dux, restituto prædicante, duodecim insuper scholares heterodoxos cum suo Præceptore Cœnobio immisit, sumptibus S. Georgii alendos. Hos etsi Joannes admittere recusaret, hortatu tamen Christophori Episcopi Constantiensis, qui tantisper malignitati temporum cedere, & à Concilio Tridentino, ad quod suos Legatos Dux miserat, meliora sperare jussit, tandem acquievit. Verùm novis tribulationibus ab eodem Duce exagitatus, adversâ insuper valetudine affectus, habitationem suam, curandæ valetudinis gratiâ Villingam transtulit, relictis in Cœnobio conventu & familiâ. Obiit Villingæ A. C. 1566. die 8. Aprilis, sepultus in choro PP. Franciscanorum Conventualium. Sub eodem Abbate Joachimus Brüning Conventualis & Prior Monasterii S. Georgii aliquamdiu Administratorem in Alperspach Herciniæ: dein Abbatem in cœnobio Monasteriensi Vallis S. Greg. in Alsatia egit.

XXXVII. Nicodemus Leupoldt, ex Binsdorf. Electus anno 1566. die 17. Apr. Intra proximùm ab electione triduum à subditis in Suevia Homagiū accepit. Quinto pòst die Monasterium S. Georgii Ernestus Comes de Schawenburg, Christophori VVirtenb. Ducis Præfectus in Hornberg, armatâ manu invasit, ac pseudo Abbatem Lutheranū, nomine Principis sui, constituit; cujus electionem Nicodemus legitimus Abbas, per Notarium Cæsareum, qui Protestationis Instrumentum portæ Monasterii S. Georgii coram testibus inseruit, impugnavit. Cùmq; VVirtenb. ea quoq; S. Georg. bona, quæ in Suevia sub tutela Austriacæ domûs erāt, invasissent, & eorum quidam, jussu Georgii Ilsung à Tratzberg, Sueviæ Præfecti, Altorfium captivi abducti essent, Ferd. Archid. à Cæsare Maxim. II. fratre suo, ad instantiam Christophori Ducis, Spiram ad Imperialis Cameræ judiciū cum Ilsungo citatus est. Quo rerum eventu etiam Nicodemus Abbas, ut sua recuperaret, ejusdem Imperialis Cameræ Spirensis auxilium (volente ac jubente Archiduce) super spolio ac Restitutione imploravit, causámq; monasterii sui, quoad vixit, strenuè propugnavit. Et licet prius è vitâ abierit, quàm lis decideretur: abs Imperatore tamen Rudolpho obtinuit, ut per Commissarium Cæsareum plusquàm septuaginta testes super juribus Cœnobii sui examinarentur, vir fuit vitæ sanctimoniâ, aliisq; virtutum meritis ornatus, ut de eo Instrumentū confirmationis affirmat, imò ab ipsis heterodoxis, ob integritatem vitæ, laudatus est. Congregationi Benedictinæ Suevicæ cum Monasteriis VVeingartensi, Ochsenhusano, Zwifaltensi, VViblingensi, & Isnensi, (approbante Feliciano Episcopo Scalensi, nuntio Apostolico) initium dedit! cujus etiam decreto quarto loco subscriptus reperitur; quam posteà Clemens VIII. Pont. Max. confirmavit. Obiit Nicod. Villingæ die 17. Sept. A. C 1585. sepultus in sacello domestico veteri. Ex quo posteà A. C. 1664. cum destrueretur, ejusdem ossa à Joan. Francisco Abbate ad novum translata sunt.

XXXVIII. Blasius Schönlin/ Villinganus. Electus anno 1585. die 24. Sept. sequenti anno confirmationem Privilegiorum ab Archiduce Ferdinando obtinuit, resignavit A. C. 1595. 20. Martii.

XXXIX. Michael I. Geisser, ex Ingeltingen. Elect. a. 1595. 20. Mart. causam monasterii sui in Imperiali camera Spirensi, exemplo Blasii Antecessoris, ita propugnavit, ut biennio pòst electionem suam die 20. Aug. super sententia definitiva conclusum sit; pro quâ maturandâ & ferendâ Maximil. Archid. Aust. ad Episc. Spirensem, tanquam judicem Cæsareū cameralem A. C 1603. Michaeli promotoriales dedit. Quin & ipse Imp. Rudolph. Max. frater, privilegia S. Georgii dato diplomate confirmavit; quamvis Michael prius è vitâ excesserit, quàm lata sentētia fuerit. Dei parentis virginis eximius cultor fuit; quippè ducentorum florenorum fundationem fecit, ut in æde parochiali Villingæ eidem virgini matri sacrâ singulis feriis sextis (cùm Sabbatinis aliàs decantari soleat) canticum salve Regina, à B. Hermaño contracto monacho Benedictino compositum, circa quintam vespertinam caneretur. Religiosis quoq; Franciscanis conventualibus ad Altare chori sui centum florenos attribuit; qui vicissim eidem anniversarium quotañis mense Augusto celebrandum promisêre. Villingensem domum conventualem destructo veteri ex fundamento construxit. Morbis deniq; quasi continuis divexatus obiit Villingæ eo ipso, quo natus erat die, nimirùm 17. Sept. qui & Nicodemo fatalis fuit A. C. 1606. in choro RR. PP. Francisc. in sepulchro J. Kern Abbatis cognati sui tumulatus, licet lapis sepulchralis particularis sit.

XL. Martinus Starck, Villinganus. Electus a. 1606. die 25. Sept. Homagium eodem mense & anno à subditis in Suevia accepit. Promotoriales quoq; à Maximil. Arch. ad judicē Cameralē Spirensem pro maturandâ sententiâ definitivâ anno sequenti obti-

obtinuit. Cessit dignitate A. C. 1615. die 23. Oct. mortuus & sepultus in Rippolzaw A. C. 1632.

XLI. Melchior Hang, Villinganus Electus anno 1615 die 6. Novemb. Confirmationem Privilegiorum & Promotoriales ad sacræ Cæsareæ Majestatis & Imperii judicem Camerale Spirensem, pro maturanda sententia definitiva, à Maximiliano & Leopoldo Archiducibus Austriæ impetravit. Quibus deinde Augustissimus Cæsar Ferd. II. intercedente apud suam Cæsaream Majestatem Jacobo Episcopo Constantiensi, alteras ad eundem judicem adjecit: quæ 10. Martii A. C. 1627. in pleno Cameræ Judicio publicè perlectæ sunt. Quin & ipse summus Pontifex Urbanus VIII. supra memoratum judicem Cameralem, pro expediendâ Definitivâ Brevi Apostolico monuit. Congregationi Suevicæ Benedictinæ ut Monasterium suum (cujus jam olim membrũ fuerat) rursum uniretur, idem Melchior Abbas piè laboravit & obtinuit. Sacellum domesticum sanctorũ reliquiis & imaginibus religiosè decoravit. Tabulam Aræ majoris in templo suburbano juxta cœmiterii ipse fieri ac pingi curavit. Pro condendo templo juxta domum conventualem politorum ac sectorum lapidum magnam congeriem, magnis sumptibus conquisivit; licet immatura mors ejusdem piis conatibus intercesserit. Et congesti lapides ferè omnes variè distracti, & in alios usus, in tribus præsertim Patriæ obsidionibus, conversi sunt. Obiit A. C. 1627. die 3. Novemb. sepultus in choro Religiosorum S. Francisci Conventualium.

XLII. Georgius II. Geisser, ex Ingeltingen Electus A. C. 1627. die 15. Novemb. promotoriales pro ferendâ sententiâ definitivâ ab Augustissimo Imperatore Ferdin. II. intercedente apud suam Majestatem Sixto VVernhero, Episcopo Constantiensi, ad judicem Cameralem Spirensem eodem anno impetravit. Cum verò res non procederet alteras ab eadem sacrâ Cæsareâ Majestate ad eundem judicem atque Collegium Camerale, supplicante Cæsari Joanne Episcopo Constantiensi, anno sequenti obtinuit. Demùm A. C. 1630 die undecimo Martii styli veteris, vigesimo primo novi, seu ipso Festo S. P. Benedicti, sententia definitiva pro Monasterio S. Georgii contra Ducem VVirtenbergiæ lata fuit, & à Commissariis Cæsareis Georgius Abbas cœnobio suo die 2. Sept. immissus, sequenti die Homagium à subditis accepit. Verùm exacto non integro sesquianno VVirtenbergici exploratâ Georgii absentiâ (ejectis terrore, qui virum constantissimum dejiceret, religiosis) Monasterium 19. Jan. rursum occupârunt ac spoliârunt, licet religiosorum unus P. Jacobus Starck, eodem die in cœnobiũ regressus, non nisi sequenti die, ac præmissa protestatione, Villingam concesserit. At restitutus Abbas Georgius A. C. 1634. post victoriam Nordlingensem cœnobio suo, (quamvis illud præcedenti anno, post primam obsidionem Villinganam, cum Basilicâ S. Georgii ac duobus pagis Monasterii à præsidiariis Villinganis sub Colonello Æschero exustum sit, servatis solùm templo S. Laurentii parochiali, sacello B. Mariæ Virginis, & granario) ad Comitia Imperialia Ratisbonam à Cæsare Ferdin. III. velut membrum ac status Imperii, A. C. 1640. citatus comparuit, & ad propositionem, non attentâ protestatione VVirtenbergicâ, admissus, insuper secundâ vice sessionem in Senatu Principum, ad quem Abbates spectant, habuit. Ut Villingæ Archifraternitas S. Rosarii in Æde parochiali institueretur, piè laboravit & obtinuit. Quem imitati duo ejusdem conventuales eandem sodalitatem Marianam Löffingæ in Landgraviatu Barensi, in Schlappach Vallis Kinziacæ, & in Furtwangen Hercyniæ Silvæ, cum in illis locis curam animarum administrarent, institui procurârunt. Post pacificationem Monasterio-Osnaburgensem (vi cujus S. Georgio rursùm excedere Georgius coactus est.) sexennium, mensesque 10. supervixit, & ab Serenissimo Archiduce Ferdinando Carolo privilegiorum confirmationem anno 1653. obtinuit. Decessit A. C. 1655. die 29. Augusti, sepultus in Sacello veteri domestico, quod organo ac tabulâ B. M. V. ab Angelo salutatæ decoravit. Ex eodem, cum anno 1664. destructum esset, unà cum successore proximo Michaële Abbate ad novum translatus, in tumulo Nicodemi tubam novissimam expectat.

XLIII. Michael II. Kederer, Villinganus Electus A. C. 1655. die 6. Sept. Meditantem plura laudabilia mors immatura oppressit, tactum apoplexiâ; cum quatuor ante horis sacrâ exomologesi animum expiasset. Obiit A. C. 1661. Cal. Novemb.

XLIV. Joannes Franciscus Scherer, Villinganus, Electus anno 1661. ipso Festo Præsentatæ in templo virginis. Privilegiorum confirmationem primùm abs Serenissimo Archiduce Austriæ Sigismundo Francisco, deinde ab ipso Augustissimo Imperatore Leopoldo I. Impetravit. Jura S. Georgii & privilegia ab Imperatoribus ac Principibus Austriacis concessa, sed à nonnullis, à quibus minimè sperabatur, oppugnata, ex officio & conscientiâ ita hactenus defendit, ut per sententiam definitivam tandem evicerit; licet pars adversa provocaverit ad aliud tribunal. Destructo veteri Sacello S. Georgii novum cum choro (quo vetus caruerat) excitavit, eiq; domum conventualem, (sublatis antiquæ, ante annos viginti septem combustæ ruderibus) piâ bonorum liberalitate à fundamentis adstruxit. Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Domino Francisco à Sonnenberg, magno equestris ordinis S. Joãnis per Hungariam Priore, nec non in Villingen, Leutgeren, Hohenrein & Rieden Commendatore, &c. conatus pios promovente ac prosequente insigni dono sacri corporis D. Gregorii Martyris Romani, qui subsidio ac solatio esset exulibus S. Georgii. Vivit adhuc Villingæ in exilio cum suo conventu, quem Sacerdotibus sex, & uno Diacono auxit, die 22. Apr. anni 1669. annum agens ætatis 56. mortem tamen in singula momenta expectans, & valetudine adversâ multùm depressus, quem bonum Numen insigni suorum solatio sublevare, omnique prosperitate donare dignetur.

## GERARDIMONTENSE.

ALias Garaldimontense Ordinis Benedictini perillustre & præpotens Monasterium, fundatum primitus à Magriplio Duce, suadente S. Hilduardo Tullensi Episcopo & Monacho, qui ipsum ad fidem Christi converterat in Diekevenna sive Diekenua, in Flandriæ Comitatu Alostano sub añum Christi 740. & post aliqua sæcula, ad Montem Geraldi translatum Hilduardum non sine Numinis providentia singulari, adversus casus Cathedra dejecit, Comitis cu-

Iusdam ambitione & potentia Episcobatum sibi vendicantis scelere Tullos deseruit & Romam contendens, ut S. Petrum veneraretur, ab eodem cælesti revelatione in Flandriam ire jussus & conversioni gentis operam dare, jussis quamprimum obsequens, ad viduam quandam divertens, illam Christo lucratus est, quæcum ipso paulo post comprehensa & capitis damnata, Martyrii coronâ meruit; ipse ad supplicia majora reservatus, virgis atrocissimè dilaniatus, variisque tormentis affectus, patientiâ denique sua Tyrannum admiratione perculit, & mentem ipsius evicit, ut ejuratis idolis Christo Jesu manus daret, neque solam Christianam amplecteretur Religionem, sed & Monasterium præfatum construens, in eodem se Numini sub regula S. Benedicti emanciparet, Hilduardo in Abbatem promoto, qui & virginum juxta Cœnobium erexit, & eidem S. Christianam Migravimi Regis Anglorum filiam Abbatissam constituit, Abbatum nunc seriem dabimus.

1. Sanctus Hilduardus ex Monacho Tullensis Episcopus, inde Flandriæ Apostolus, & primus Cœnobii Dieckennensis, sive Diclíviensis Abbas A. C. 740. De successoribus S. Hilduardi in hoc ipso loco ad usq; persecutionem Normannicam non constat, monimentis Cœnobii omnibus in hâc ipsa perditis sive exustis.
2. Sevellardus, secundus præfati Cœnobii, de cujus constet nomine, Abbas, restaurante Cœnobium Balduino Montensi Flandriæ Comite, eidem præfectus, quod minus commodo situ esset, consentiente Manasse Rhemensi Archiepiscopo ad Geraldi montem A. C. 1095. transtulit, ibique cum suis sedem fixit. Idem Abbas summæ auctoritatis extitit, & in plerisque publicis ejus temporis negotiis nomen suum subscripsit. Idem reliquias S. Adriani Martyris comparavit insigni comprobatas miraculo, cum is, qui attulerat, inde pedem referre non posset, donec SS. Reliquias offerret, quæ deinceps magno concursu populorum, summoque fructu contagionis maxime tempore frequentatæ sunt. Evolavit ad supera A. C. 1112.
3. Gillardus, interfuit dum Prioratus S. Salvii juxta VVallencenas Cluniacensi Archisterio, ut membrum ejusdem subjungeretur, hominem exuit anno 1142.
4. Gerboldo sive Gerboldus sexennium præfuit.
5. Fulpoldus.
6. Gerardus I. sub hoc Monasterium Gerardimontanum, aliàs S. Petri vocatum & ejus nomini sacrum, S. Adriani, ob crebra hujus miracula vocari cœpit, vixit ad annum Christi 1180.
7. Godefridus Abbas biennium præfuit.
8. Gerardus II superstes anno 1195.
9. Robertus Abbas vita excessit 1199.
10. Valcherus Abbas.
11. Simon iniit societatem seu Confraternitatem cum Monachis S. Sepulchri Cameraci, mortalibus valedixit anno 1218.
12. Theodoricus anno uno præfuit.
13. Gillarius Abbas vitam reliquit 1227.
14. Theodoricus II. obiit 1231.
15. VValtherus sex annis gubernavit.
16. Gerardus III. decessit 1246.
17. Paminus seu Parninus claruit 1258.
18. Guilelmus eo nomine primus.
19. Paschasius de quo nil præter nomen.
20. Sigerus superstes ad annum 1281.
21. Thomas Abbas eximius, vir magnæ auctoritatis, summæ prudentiæ & in rebus agendis dexteritatis. Principibus charus extitit & in Conventu Principum Geraldimontibus celebrato, quo & Cæsar Adolphus & Eduardus Rex Angliæ summique alii Principes convenerant, ipse Legationem obire, ad Regem Galliæ jussus est, ipsiq; bellum indicere, præfuit prudenter ad annum usque Christi 1302.
22. Henricus Abbas, cognomentum Nobilis, tulit, incertum autem an à genere an ab vitæ meritis & ingenuitate.
23. Joannes Abbas, de cujus regiminis tempore & obitu non constat.
24. Guilelmus Pape, cujus tempore Monasterium Gerardimontense una cum Basilica crudo incendio in cineres collabitur. Mortuus est anno 1353.
25. Guilelmus de Cavere, ad construendam novam Ecclesiam fundamenta jecit, mortalitatem reliquit anno 1368.
26. Egidius Abbas, structuram Basilicæ absolvit, & cum fratribus Domus Sylvæ Confraternitatem iniit, ad supera concessit anno 1376.
27. Adrianus Vlerich, incertum quamdiu loco præstiterit.
28. Livinus Uraux, hujus tempore Dominus de Enghiens (Urbecula est Hannoniæ) urbem Gerardimontensem diripuit, Monasterium & Ecclesias totius civitatis succendit, qua clade quinque millia hominum periere. Vidit & patienter pertulit optimus præsul Livinus, ipse autem jura mortis subiit anno 1399.
29. Egidius Erekout, præfuit aliquamdiu, sed quia sede vacante confirmatus fuerat à Rom. Pont. rejectus fuit.
30. Guilelmus de Vordis, hic sarcophagum S. Adriani Martyris auro & argento excoluit. Ipsi ob senium deinceps ingravescens Coadjutor adjunctus fuit.
31. Adrianus Kimpe Ducis Burgundiæ Consiliarius. Vidit & ipse vix resuscitatum è cineribus Cœnobium cum urbe ab Hannoniensibus diripi. Resignavit anno 1457.
32. Nicasius de Fraine Ludovicum Galliæ Delphinum profugum benignè suscepit & fovit, aliquo tempore in Monasterio commorantem.
33. Raso Abbas prædicto Ludovico jam in Regno stabilito maxima pecuniæ summa donatus fuit, ob gratiam Regi exhibitam à prædecessore, vivere desiit anno 1488.
34. Gislebertus Abbas sub annum 1490.
35. Joannes Abbas.
36. Hieronymus Ruffaut, hinc ad S. Vedasti Cœnobium Atrepatense postulatus.
37. Simon Warluzel, ob tumultus Belgii suos cum reliquiis S. Adriani, montes Hannoniæ transmittit.
38. Jacobus Schoorisseus electus sed non consecratus, captus ab Hæreticis & Bruxellas deductus pressuris & calamitatibus immoritur.
39. Benedictus Serimout è Lætiensi Cœnobio postulatus, qui postridie benedictionis montibus Hannoniæ digressus cum suis Asceris Gerardi-Montem rediit, & paulo post omnia destructa & in pejus ruentia cernens, se onere abdicavit.
40. Hieronymus Moncheus è S. Vedasti postulatus, dissipata omnia præclarè restituit, & alterius Conditoris nomen, præstantissimis meritis obtinuit, regimen tenuit ad annum usq; Christi 1606.

41. Hen-

41. Henricus è Monasterio S. Dionysii in Hannonia postulatus. Mytræ usum obtinuit, claruit sub annum 1610.

42. Caspar Viveque Monasterio plurimum consuluit, fit demum Abbas S. Dionysii.

43. Martinus le Brun SS. Theol. Licent. pietate & prudentia miris, Casinensem reformationem introduxit & feliciter conservavit, Bona per turbines belli perdita recuperavit, ætatem ad 84. promovit, obiit 1636.

44. Hubertus Menraut, solidæ observantiæ Monasticæ promotor strenuus, quem Deus Opt. Max, quam diutissime sospitem servet & felicem.

*RELIQUIÆ SANCTORUM HIC ASSERVATÆ.*

1. Corpus S. Adriani Martyris per Gerardum de Roubillon virum Mavortium Roma allatum & in Relicutensi Ecclesia primo repositum, post Normannicam autem vastationem Gerardimontem translatum.
2. Mentum cum dente uno S. Blasii Episcopi Sebasteni in Armenia & Martyris.
3. Caput S. Priami Episcopi filii Regis Arabiæ.
4. Caput S. Sabinæ virginis & Martyris.
5. Caput S. Balbinæ filiæ Sancti Quirini Martyris.
6. Brachium S. Nataliæ uxoris S. Adriani illustrissimi Martyris, loci Patroni.
7. Mentum S. Brandani Abbatis & Confessoris.
8. De cubito S. Georgii.
9. De pede S. Vincentii Martyris.
10. Solea crepidæ S. Annæ Matris Deiparæ.
11. De Capillis S. Mariæ Magdalenæ.
12. De cruce Dominica.
13. De Spinea Corona.
14. De lacte B. M. V.
15. Dens unus S. Pauli.
16. Dens S. Priscæ Virg. & Mart.
17. Dens S. Vedasti.
18. Cortex cum scriptura, manu propria S. Joannis Apostoli & Evangelistæ. Et plures minores Sanctorum diversorum particulæ.

## GLADBACENSE.

BEnedictini Ordinis præpotens & nobile Monasterium, duplicem, ut multa alia Cœnobia, fundationem habet, à primo loco translatum, majoris commoditatis gratia: Primus Fundator ejusdem extitit Baldricus Comes cum Hilla sua conjuge, qui illud in finibus Molensium condidit, uti vetustissimum Necrologium MS. memorat. Eversum fuit ab Ungaris anno Christi 954. hoc Cœnobium, ac dein anno 974. Gero Coloniensis Archiepiscopus, divina revelatione admonitus illud instaurandum suscepit, auxiliante Othone II. Imp. in honorem Dei & S. Viti Martyris illud de novo condidit. Catalogus Abbatum subjicitur.

1. S. Sandradus primus hujus Monasterii Abbas à S. Gerone Ordinatus anno 975. disciplinæ Monasticæ & solidæ perfectionis egregia jacit fundamenta. Ejus Festivitas celebratur 9. Calendas Septembris.
2. B. Folradus, de quo consule amicissimum nobis Gelenium, obiit 6. Cal. Maji.
3. Obertus Abbas, de quo nihil præter Depositionis diem 4. Nonas Julii.
4. B. Folbertus, idem quartus S. Pantaleonis Coloniæ, & primus B. M. V. in Tuicho Monasteriorum Abbas. Hic omni tempore matutinum officium prævenire solitus, solisque vigiliis Psalmos antevertere Davidicos, singularis extitit sacri silenoi Encomiastes & Observator, ad observationem ejusdem quotidie suos exhortari consuescens. Cui postquam S. Heribertus Coloniensis Archiepiscopus à morte apparens prædixisset, quod in die obitus sui trigesimo, secum in cælesti convivio conjungendus esset, prædictioni isti congruenter se accommodans & præparans 14. Aprilis anno 1024. sancte requievit in Domino, alii volunt 1021. alii 1022. obiisse.
5. Arabo Abbas, vita excessit anno Christi - - - - 6. Nonas Julii.
6. Hemericus sive Henricus, qui fuit filius Sticconis Illustrissimi Comitis, & avunculus S. VVolphelmi Abbatis, Author historiæ de fundatione hujus Monasterii. Laudatur in vita S. VVolphelmi, decessitque plenus bonorum operum, in Monasterio S. Pantaleonis Coloniæ, cujus etiam Prælatus extitit, mortuus anno 1066.
7. B. VVolphelmus, dein postulatus in Abbatem Brauweilerensem, cujus vitam describit Surius vir eximiæ sanctitatis & nobilitatis.
8. Meginhardus. Ad hunc extat B. VVolphelmi de sacramento Eucharistiæ contra errores Beringarii, obiit 6. Nonas Julii.
9. Adalbero, vita excessit prid. Id. April.
10. Christianus mortuus 8. Cal. Febr.
11. VValtherus clarus anno Christi 1136. mortalitatem exuit 15. Cal. Decembris.
12. Evervinus superstes etiamnum fuit anno 1152. obiit 10. Cal. Augusti.
13. Robertus Abbas electus fuit anno 1152. supradicto, superstes 1158. obiit Nonis Febr.
14. VValtherus, cujus depositio Nonis Julii.
15. Henricus obiit 6. Cal. Septembr.
16. Gerardus, defunctus est 3. Cal. Octobr.
17. Hermannus extinguitur 12. Cal. Apr.
18. Theodoricus mortem oppetiit 11. Cal. Aug.
19. VVilhelmus ab Helpenst ob. 1224. 14. Cal. Oct.
20. VVilhelmus de Oranien, vitam cum morte commutavit anno 1366. 4. Idus Aprilis.
21. Giselbertus de VVeltz, ad immortalia raptus anno Christi 1398. 17. Cal. April.
22. Joannes de Troistdorpp, hominem exuit anno 1418. 27. Augusti.
23. VVilhelmus Röver ab VVevelichofen, mortalibus valedixit anno Christi 1451.
24. VVilhelmus de Juliaco, Abbas seu Administrator, fuit ex Illustrissimo Juliacensium & Geldriæ Ducum sanguine, hujus Monasterii Professus literarum scientia, vitæ mundities, honestate morum, spiritualium providentia, Oeconomiæ dexteritate omnium virtutum donis præditus, uti ex bulla Pontificia constat Martini V. Pont. Max. Is administrator adjunctus fuit VVilhelmo Röver cum ob egregia talenta, tum ut ob potentiam cognatorum res Monasterii facilius contra pervasores defenderentur. Decessit longe ante Abbatem cui adjunctus fuerat anno Christi 1426.
25. VVilhelmus de Rover alius à superiore, mortuus anno 1492. 21. Januarii.
26. Joannes ab Ependorff, vita excessit anno Christi 1505. 4. Idus Januarii.

or superstes annis non perfecit. Sub hoc, Monasterium intra mœnia civitatis inclusum fuit, certis sibi juribus & conditionibus reservatis, obiit Cal. Febr. 1465.

22. Lipoldus de Stemme postulatus ex Monasterio Huisburgensi, . Id. Febr. 1465. ad instantiam Ernesti Episcopi primus reformationem introduxit, præfuit laudabiliter annis 8. obiit 5. Id. Februar, anno 1473.

23. Bertrannus præfuit annis 20. Præsul bonus ac sincerus & observantiæ Monasticæ studiosissimus, obiit 13. Cal. Aprilis anno 1493.

24. Henningius præfuit annis 42. ob insignem eruditionem & prudentiam à magnis Principibus pro consilio exoratus, obiit 3. Nonas Julii anno 1535.

25. Udalricus turbulenta nactus tempora, anno 1542. ab Hæreticis ejectus cum suis, causa toto septennio apud Carolum V. impegit, donec anno 1549. restitueretur, ob. 6. Id. Sept. 1555.

26. Albertus regimen tenuit annis 10. obiit 14. Cal. Jan. anno 1565.

27. Hermannus à Danhausen electus 2. Jan. 1566. præfuit summa cum laude diuti. Time annis 52. vir doctus prudens & eloquens, obiit 15. Jan. anno 1618.

28. Joannes Rudolphi Zelator disciplinæ præcipuus, præfuit 7. annis peste decessit pridie assumptionis B. M. V. ætatis suæ 42. A. Christi 1625.

29. Daniel Delle sive Zelle, paulo post electionem belli incommodis præoccupatus capta, à Duce Brunswicensi civitate, cum omnibus suis expulsus, post triennium tandem ex gratia, ut volebant, aliquatenus restitutus, obiit anno 1942. 6. Martii.

30. Hermannus Scruderus præfuit annis 9. obiit in vigilia Matthiæ Apostoli anno 1651.

31. Joannes Lolemannus electus 12. Martii præfuit annis 11. obiit 19. Sept. 1662.

32. Jacobus Rustius, cui Deus vitam largiatur longævam & omnia prosperet.

## S. GODOLEVÆ.

Benedictini Ordinis virginum præpotens in Flandria Cœnobium à Bertulpho conjuge S. Godolevæ, in expiationem sceleris conditum, cum illam magnis miraculis Numen commendaret. Varias perpessum calamitates ex iisdem Numinis ope semper mirabiliter emersit. Reformationis strictioris est, & hujus ergo, frendente infero multa adversa constanter sustinuit, de omnibus tamen, Dei ope triumphavit, exemplar hodie egregiæ, & ad omnem celebrandæ posteritatem religionis.

## HASNONIENSE.

Ordinis & regulæ S. P. Benedicti illustre admodum in Belgio Monasterium, fundatum anno Christi 670. à Joanne & sorore ejusdem Eulalia Ostrovandiæ Comitibus, Autbaldi filiis, qui monachici ordinis studio, omnem suæ hæreditatis partem, ad id fundandum expendere statuerunt, & cum consensu illustrissimorum Parentum etiam impetrarunt. Fuit duplex, primum ex consuetudine ordinis Cœnobium, virorum unum, alterum virginum, utrumque viris fœminisq; illustribus celebre, donec utrumque in Normannica persecutione in cineres daretur, postquam deinceps restitutum est, solis Monachis assignatum. Abbatum & Abbatissarum primorum brevem syllabum subjicimus:

### ABBATES.

1. Joannes Comes Ostrovandiæ idem & fundator & Abbas primus, non sine sanctitatis fama cœnobio præfuit & profuit, sub quo hoc consecratum fuit una cum Basilica, à S. Vindiciano Cameracensi & Atrebatensi Episcopo.
2. Aldo Comes Ostrovandiæ, frater Joannis prædicti, qui relictis rebus suis & Dodila conjuge, deposita capitis coma, nudus nudum sequutus est Christum, & sanctitatis exemplo suos mirifice concitavit, præfuit feliciter annis 40.
3. Sanericus, & ipse relictis omnibus Monachus & promeriti Abbas præsedit annis 31
4. Geroldus Abbas gubernacula Cœnobii tenuit annis 26.
5. VValcarius non diu præsedit, anno nimirum unico & semis.
6. Amadeus Abbas cum biennium præstitisset, & menses sex, naturæ debitum solvit
7. Audulphus regimen tenuit sex item menses supra septennium.

### ABBATISSÆ.

1. Eulalia Comitissa Ostrovandiæ, fundatrix loci & prima Abbatissarum annis 17.
2. Bertrudis Comitissa Ostrovandiæ, soror Eulaliæ præfuit annis 20.
3. Sigebolda & ipsa soror prædictarum & duorum primorum Abbatum annis 12.
4. Adelamara Abbatissa, sororibus præluxit, vitæ exemplo annis 10.
5. Gundrada, filia ante religionis ingressum Sanerici Abbatis tertii annis duodecim.
6. Martina Abbatissam laudabilem egit annis 13.
7. Alpaides brevi regimine uno solùm anno superstes fuit.
8. Algitrudes Abbatissa suis magistra virtutis fuit annis 10.
9. Ermentrudes Galliarum Regina, regno relicto humillima monialium, inde meritissima Abbatissa annis 9. Fuit uxor Caroli Calvi, quæ non magni habuit absque humilitate regna, Deique servitium omni regno prætulit.
10. Ermentruda, prædictæ Reginæ & Caroli Calvi Regis Galliarum filia, quæ matris sequuta exemplum, feliciorem sese cucullo, quam regno credidit, utroque plurimum secum contulit. Extat Caroli Calvi donatio apud Miræum, ubi expressa mentio habetur fratrum & sororum, de quibus supra, nec non Ermentrudis utriusque.

Inde tempore Normannicæ persequutionis vastato Cœnobio pulsisque, an interfectis Monachis, successêre cum tempore Clerici, & VVilhericus quidam vitiis æque abundans atque divitiis, donec sanctorum patronorum Marcellini & Petri Martyrum meritis locus Benedictino ordini redderetur. Hi Balduini VI. Flandriæ Comitis filio, à medicis & parente desperatam dum pollicentur sanitatem, siquidem parens promitteret de novo condere cœnobium Hasnoniense, promisit lubens libensque, eoque ipso momento restitutus est Princeps sanitati. Verum oblitus uterque promissi, paulo post admonetur vulnerato

rato lethaliter apud Antverpiam filio, & sic promissi commonefacto: qui denuo supplex Patronis, denuo prodigiose curatur. VVilhericus autem cedere locum abnuens, à domestico, quem insimulaverat adulterii, occiditur. Ita & ab Clericis locus redimitur, & Monasterium de novo exstruitur, & à Balduino multis possessionibus & immunitatibus donatur. Abbates damus:

1. Beatus Rodlandus sive Rollandus è S. Amandi Elnonensi cœnobio postulatus vir, omni virtutum genere excellentissimus, cujus fama sanctitatis, paulo post illecti quam plurimi, seipsos Numini sub divi Benedicti legibus devoverunt, adeo crescente numero, ut eos capere Monasterium non posset, idque augere multis ædificiis Comes cogeretur. Eo absoluto, multis evocatis Præsulibus 3. Junii postridie SS. Marcellini & Petri solemnissime celebrata est dedicatio, & corpora prædictorum sanctorum in Sarcophagum argento auro gemmisque divitem translata. Claruit egregia vitæ sanctitate Rodlandus Abbas, cujus sacrum corpus centum ab obitu annis repertum est incorruptum.
2. Lietbertus, ob odorem sanctæ conversationis, norma vitæ religiosæ appellatus, ad supera migravit anno 1091.
3. Albertus Junior cæteris non sine murmure prælatus, omnes tamen prudentissimi senis, religiosissimi Præsulis explevit numeros, & optime gubernavit annis 15. & in Domino requievit.
4. Bonifacius & ipse optimi pastoris omnes numeros strenuè implevit ad annum usque 1118.
5. Lambertus Abbas omnium virtutes & laudes æquiparare aggressus, magnum à morte sui desiderium reliquit, quá decessit anno 1126.
6. Robertus egregiè factis excelluisse scribitur, quorum memoriam periisse merito sera dolet posteritas.
7. Hugo de quo nihil præter annum mortis, qui fuit 1139. notatum reperimus.
8. Fulco vita celeber, auctoritate magnus vivere desiit anno 1157.
9. Joannes, de quo præter nomen nihil prorsus extat.
10. Hugo non nisi unicum annum Monasterio præfuit & vita excessit.
11. Guilelmus Abbas, brevi similiter regimine, & ipse anno unico Abbatem egit.
12. Joannes II. memorabili & ipse regiminis abbreviatione annum præfuit & obiit.
13. Maynerus Abbas celeberrimæ famæ extitit, incertum quamdiu præfuerit.
14. Balduinus, de quo similiter non constat, quamdiu præfuerit.
15. VValtherus multis annis laudabiliter Monasterium rexit, multa ædificia & ut apparet ipsam quoque Basilicam construxit, superstes anno 1237.
16. Olricus Abbas, *virtutum Amator & Operator* appellatur, obiit 1243.
17. Rogerius laudabiliter ad clavum sedit ad annum usque 1260.
18. Revelinus, multis factis clarissimus extitit, vita excessit anno 1270.
19. Arnulphus, à promotione regularis disciplinæ commendatur, moritur 1294.
20. Odo Abbas cujus, præter nomen, nulla extat memoria.
21. Allardus, cujus etiam de gestis, excepto nomine nihil reperitur.
22. Petrus, cujus similiter res gestas, nec verbo quidem uno, annales memorant.
23. Joannes III. qui A. C. 1314. vivis excessisse legitur.
24. Philippus de Avesnes.
25. Nicolaus incertum quando obierit.
26. Joannes IV. cujus celebris admodum extat memoria, à virtutibus eximiis, Zelo disciplinæ & eruditionis laude, ad supera evolavit anno 1346.
27. Petrus de Binchio, senio gravis onus deposuit anno 1358.
28. Petrus II. Jacobiers de quo præter nomen nihil habemus.
29. Joannes V. de Romais, & virtute præstans, & eruditione, annis 18. præfuit.
30. Nicasius Horions Monasterium ædificiis aliisque ornamentis decoravit, præfuit 12.
31. Nicolaus Vigreux plurima restauravit in ædificiis & bene meritis vita excessit anno 1413.
32. Jacobus de Laboris, (ita corruptissime MS.) nobili ortus progenie, sed nobilior religione, mitræ usum obtinuit.
33. Bertrandus du Quesne Doctor legum & juris, magni nominis & meriti Præsul, mortalibus valedixit anno salutis 1450.
34. Laurentius Abbas laudabilis, reformationem induxit evocatus è Florinensi cœnobio viris religiosis, aliisque sponte amplectentibus, & beato fine quiescentibus, aliis recusantibus, quorum ad alteram vitam transitus, haud dubia signa dabat, divinæ in contemptores ultionis, obiit optimus Abbas anno 1480.
35. Jacobus Bertrolde virtute & pietate clarus, sed qui ultra annum non præfuerit.
36. Stephanus du Ploich. auxit opes, juxta studium pietatis, vitam mortalem deseruit post annos 30. optimæ administrationis anno 1517. sub quo Monasterium tactum fulmine, non nihil damni passum est.
37. Joannes Pheri, damna à fulmine accepta reparavit, templumque nobile exstruxit, ab insigni prudentia commendatus, vita excessit anno 1534.
38. Maximilianus de Fallaix, ord. Præmonstratensis, Benedictinum habitum assumpsit, utiliter biennium præfuit.
39. Nicasius le Clerque è S. Gisleni postulatus, reformationem Bursfeldensem introduxit, moritur anno 1540.
40. Jacobus de Lallre Abbas vallis B. M. V. montibus, hinc postulatus, hostis hæreticorum acerrimus, ac propterea fidei inquisitor constitutus, utrumque munus excellenter exercuit, obiit anno 1544.
41. Michael de Cruesnoi, ab religione non minus quam felici rerum temporalium administratione commendatus, locum ædificiis & censibus augens, obiit 1569.
42. Jacobus Froye, Ven. Ludovici Blosii discipulus, & strenuus imitator, ejus libros correctiores edidit, ipse librum de Sanctis Hannoniæ composuit, decessit locuples meritis anno 1586.
43. Petrus Blondeau, ab amore suorum & pia commendatus sollicitudine obiit 1601.
44. Leodegarius Teson, reliquias SS. Marcellini & Petri auro & argento splendide excoluit, quos sibi

fibi terium auxiliares expertus fuerat, obiit anno 1626.

45. Michael de Raismes, exstruxit odæum S. Mariæ Majoris Vallencenis, opus admirabile, ubi & quietis locum à morte accepit.

46. Jacobus Sappius calamitosis temporibus præfuit.

47. Archangelus Michael è Monasterio Marchianensi postulatus, SS. Theol. Doctor ab insigni prudentia & eruditione celebratus.

## RELIQUIÆ SS.

Particula SS. Crucis Dominicæ.

Notabiles partes corporum SS. Marcellini & Petri Martyrum Ecclesiæ Tutelarium, tempore Caroli Magni Belgio illatorum.

Costa una Martyrum Trevirensium.

De Reliquiis Martyrum in Viconiensi Cœnobio asservatorum.

De articulo S.P.N. Benedicti Patriarchæ Monachorum.

De SS. Proba & Germ Virg. Hennici prope Duacum.

Corpus S. Rolandi Abbat. I.

## HASSENFELDENSE.

Olim Rossenfeldense, de quo 2. parte Germaniæ nostræ folio 188. & 189. Repertum Catalogum Abbatum damus; electionis juxta mortis annos referentem.

1. VVernherus ex Monasterio Ilsenburgensi postulatus anno 1101. obiit 1104.

2. Conradus electus anno 1104. obiit 1147. cujus tempore constructum fuit Monasterium B. M. V. prope Stadam, quo ipse Monachorum coloniam transmisit.

3. Ado electus anno 1147. vitam mortalem deseruit anno 1155.

4. Bruno electus 1155. obiit 1178.

5. Sigibaldus electus 1178. obiit 1208.

6. Hermannus el. 1208. ob. 1227.

7. Albero electus 1227. moritur 1261.

8. Theodoricus electus 1261. obiit 1320.

9. Nicolaus electus 1320. obiit 1360.

10. VVernherus II. electus 1360. obiit 1367.

11. Gerlacus de Schulten el. 1367. ob. 1408.

12. Joannes de Sculten vir nobilis, Gerlaci cognatus electus 1408. obiit 1438.

13. Joannes II. de Lich. electus anno 1438. vitam mortalem exuit anno 1460.

14. Matthias Grimmike electus Abbas anno 1460. mortalibus valedixit 1482.

15. Giso de Burg nobili genere electus anno 1482. moritur 1498.

16. Theophilus vulgo Dettleff de Lunenburg electus 149 . obiit 1510.

17. Henricus eligitur anno 1510. Bursfeldensem Reformationem suscipit, moritur 1527.

18. Arnoldus Bicker Catholicæ Religionis zelosissimus, genere nobilis, ob fidem in exilium actus, restitutus, postea rei Catholicæ plurimum consuluit, obiit 1548.

19. Christophorus Bicker electus 1548. obiit anno 1574.

20. Luneburgus Brümmer, Nobilis Patriota Vir Catholic. electus 1574. ob. 1611. Religiosum tamen Habitum in Clericalem vertit, vir alioquin nemini secundus.

21. Burcardus à Mandelsloe nobilis Patriota electus 1612. obiit 1618.

22. Paridon Korff, nobilis Patriota, vir Catholicus electus 1618. obiit 1628.

23. Fridericus Havensperg ex Monasterio Abdinckovensi postulatus, eligitur unanimiter ab irreformatis Hassenfeldensibus anno 1628. obiit in exilio Monasterii VVestphaliæ anno Christi 1632.

24. Theodorus Pfingsthorn ex Monasterio S. Pantaleonis Coloniensi postulatus anno 1634. vir præclarissimus & Consularis ordinis, obiit Hamburgi pro recuperatione Monasterii laborans anno 1639.

Successit demum corona Sueciæ, & Dominus Salvius Abbas salutatus est.

## S. JOANNIS BAPTISTÆ IN RINCKAUGIA.

Benedictini Ordinis, situ elegantissimo, editiore monte seu colle, in Insularum Rheni longe amœnissima fertilissimaque, haud procul Moguntia Cœnobium, fundatum sub annum Christi 1100. à Ruthardo Moguntino Archiepiscopo, dotatum à Rudolpho Rinckaviæ Comite, & ab Adelberto Archipræsule Abbatiali titulo excultum. Syllabum Abbatum integrum habere non potuimus, fragmentum ab anno 1403. damus.

Hilgerus de Walletshurn, nobilitate generis, & eruditionis laude præstans, ab insigni juxta prudentia celebratur. Obiit 3 Nonas Decembris anno 1418. incertum quando electus fuerit, aut quamdiu præfuerit, ut neque de Antecessoribus quidquam certi licuit indagare.

Hiltricus de Cleeheim, electus anno 1419. postulatus ex Monasterio S. Albani prope Moguntiam. Mortalitatem exuit anno Christi 1427.

Joannes VValdecker de Geyssenheim, electus anno 1427. moritur anno 1438.

Emericus Nauræ de Vinicella electus anno 1438. mortalibus valedicit 1452.

Udalricus postulatus ex Monasterio S. Jacobi prope Moguntiam. Resignat sponte 1457.

Joannes ab Itstein succedit anno 1457. verùm anno 1463. post resignationem Eberhardi de Venlo postulatur Abbas Montis Specioli.

Joannes de Lauterpach, vir simplex & bonus, postulatus è S. Jacobi Monte prope Moguntiam, post captam hanc urbem anno 1463. Obiit an. 1465.

Joannes ab Itstein, idem qui supra, dum vacaret ab resignatione Lauterbachii (ejusdem & antecessoris atq; successoris) Abbatia, denuo eligitur anno 1466. præest duobus annis & moritur 3. Id. Sept. 1468.

Conradus de Rodenberg è Monte Divæ Virg. prope Treveros postulatus anno 1468. vir valde religiosus devotus & eruditus, regularis observantiæ amator & promotor præcipuus. Obiit anno Christi 1487. ipso die Nativitatis Domini post secundam per ipsummet decantatam Missam. De quo Trith. Chron. Spanheim.

Gerardus de Montabor Cellerarius S. Jacobi inde postulatus, vir religiosus & promotor disciplinæ Regularis. Obiit anno 1496. cum præstitisset annis 8. mensibus 9.

Joannes Segen ejusdem Cœnobii vir æquè bonus ac laboriosus, qui ambitum Cœnobii insigni opere ex lapidibus à fundamentis exstruxit. Trithemius ad annum 1496.

Fridericus de Rudesheim vir & in divinis litteris eruditus, & in Oeconomicis dexter & peritus, successit à cessione Joannis, quod hic cœcitatem incidisset, obiit autem 23. Augusti, anno 1538.

Hermannus de Novesio, superstes etiamnum anno Christi 1548.

Joannes de Rudesheim, cognomento Knauff, sacrarum literarum peritissimus, obiit 1556.

Valentinus Horn. Alteanus ex Priore S. Jacobi Montis prope Moguntiam, consecratus 1557. Hic ob debita Cœnobii ab Archiep. Daniele ad locum professionis est remissus 1565. ipse 25. Julii anno 1567. in monte Specioso vita excessit. Monasterio eheu ad manus sæcularium deveniente, donec optimum Numen sacra è prophanis manibus vindicet, vindicetque.

Claruere in hoc Monasterio viri eruditi quamplures, è quibus Petrus Starpius Poëta insignis, Joannes de Laenstein, Joannes Corvello, relictis ingenii diversis monimentis celebres.

## S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Ordinis S. P. Benedicti Prioratus & membrum Imperialis Monasterii Weingartensis, in oppido veteris Faniæ, hodie Veldtkirch, vallis Brusianæ, juxta campum S. Petri, superioris Rhætiæ, ad fluvium Illium, haud procul hujus & Rheni confluentiam, Diœceseos Curiensis, fundatum primum pro Ordine Equestri S. Joannis Melitensis & Rhodiensis ab Hugone Comite Montfortio Veldtkirchii, Domino, ad honorem S S. Joannis Baptistæ & Evangelistæ, in suo proprio oppido, & magnis privilegiis & immunitatibus, ac bonis dotatum, ad illud tantopere affectus, ut in eo denique semetipsum Numini consecraret, sacræ militiæ ultro adscriptus, rebusque gestis gloriosissimus, hoc ipso demum loco anno verbi incarnati 1218. in medio chori ante summum altare tumulatus. Commendatorios loci ejusdem Ordinis, ea, qua collegimus, serie subjicimus.

I. Hugo Comes de Montfort, Veldtkirch, Bregenz & Tosters, loci primus fundator, quem postea ordini Rhodiensium Equitum, cum multis aliis bonis subjiciens, ipse sacra Equitum amictus veste, primum postea loci Commendatorem egit, & eo, quo diximus anno mortalia deserens, ibidem sepulturam elegit.

II. Frater Rudolphus Comes de Werdenberg, diutissime in ordine vixit ad annum usque Christi 1280. superstes.

III. F. Albertus liber Baro de Bondorff, Commendator tertius, obiit sub annum 1315.

IV. F. Hugo Comes de Werdenberg, claruit etiamnum anno 1321. incertum quo obierit.

V. F. Johannes ab Hegi, illustri admodum Equestri familia oriundus. Vixit etiamnum A. 1366.

VI. F. Joannes Böklin de Böklinsauw, celeberrima Equestri ad Rhenum familia 1374.

VII. F. Joannes de Toffenburg, vir maxime illuster. Præfuit huic loco anno 1376.

VIII. F. Hartmannus Comes de Werdenberg fuit Commendator hujus loci anno Christi 1380.

IX. F. Vldaricus de Tettingen nonus hujus Monasterii Commendator vita excessit 1393.

X. F. Fridericus Gremlich de Jüngingen, Hasenweiler & Zustorff, Romana & vetustissimæ celebritatis familia oriundus, claruit anno Salutis 1409.

XI. F. Henricus Luitfridt Equestri genere ortus, Commendator undecimus A. 1425.

XII. F. VValtherus Liber Baro de Busnang, chorum S. Joannis elegantiorem struxisse videtur, cujus insignia ad ingressum portæ superioris incisâ lapide extant. 1432.

XIII. F. Georgius Stöcklin ab Hartenberg, cujus arma gentilitia in dormitorio Conventus & aliis locis usque hodie spectantur. Obiit sub annum Christi 1446.

XIV. F. Conradus de VVähingen, Equestri spectatissima inter Tirolenses familiâ 1474.

XV. F. Albertus de Neümek, vetustissima, nobilissima & celeberrima inter Suevos Equestri oriundus familia, vita excessit anno 1496. hic sepultus uti habetur depictus in pervetusta tabula.

XVI. F. Conradus de Schwalbach, celebri admodum equestri apud Francos familia mortalitatem exuit anno Christi 1532. hic sepultus, prope tabernaculum Ven. Sacr.

XVII. F. Theobaldus sive Dietpoldus Güß de Güssenberg nobilissimis editus parentibus & majoribus in Suevia. Morte sublatus anno Christi 1540.

XVIII. F. Adamus de Schwalbach Conradi supra Cognatus, Heros Mavortius, insignibus clarus facinoribus; qui classe Turcarum aliquando circumventus, cum Sclavi remiges spe libertatis, porro remigare detrectarent, multorum capita ipse ferro findens nihil efficeret, brachio unius detruncato pro ferro usus, re insolita perterrefactos adeo commovit, ut certatim laborantes, Ducem periculo eriperent, E vivis excessit anno Dominicæ incarnationis 1563.

XIX. VValthardus ab Heussenstein Rhenana equestri familia, hodie illustrissimorum Sacri Romani Imperii Comitum, Sebastiani Sacri Romani Imperii Electoris & Archiepiscopi Moguntini cognatus & nepos, mortalibus valedixit anno Domini 1569.

XX. Arbogastus ab Andlow è quatuorviris Sacri Romani Imperii Equitibus, celeberrima inter Rhenanas familia, Commendator hujus loci decimus nonus, obiit a. 1608.

XXI. Joannes VVernherus de Raittenauw ex illustrissima Baronum dein Comitum familia, præfuit huic loco anno Christi 1609.

XXII. Conradus de Schwalbach, tertius ex eadem perillustri familia hujus loci Commendator, cujus octo majores apud nos etiamnum depicti cernuntur in Prioratu vix annum præfuit.

XXIII. Andreas Sturmfeder ab Oppenweiler, nobilis Franco, sub quo, rerum satagente Arbogasto ab Andlow, cum consensu Pauli V. Pont. Max. Rudolphi II Imper. Aug. Generalis totius ord. Magistri & Principis, totiusq; eidem subjecti militaris ordinis, nec non Illustris. Joañis Curiensis Episcopi, & eorum omnium quorum intererat locus

locus cum Ecclesia, omnibusque eo pertinentibus emptus fuit à Reverendissimo sanctæ memoriæ Domino Domino Georgio, Imperialis Monasterii VVeingartensis Abbate, & in membrum ac Primatum prædicto Illustrissimo Vinearum Cœnobio incorporatus, multisque possessionibus deinceps auctus, & Ecclesia insigniter exculta, & Sanctarum Reliquiarum pretiosissimo thesauro ditata, quarum syllabum subnectimus.

1. Duæ particulæ Crucis Dominicæ. 2. Portio veli capitis B. M. V. ferè palmi magnitudine & de vestibus. 3. Corpus integrum S. Martialis Romani Martyris miraculis illustre. 4. Corpus integrum S. Gaudentii Rom. Mart. & ipsum supplicibus mire beneficum, utrumque in proprio Sacello. 5. Tria capita ex Societ. S. Ursulæ. 6. Tot ossa ex Societate eadem, quæ corpus integrum æquent. 7. S. Stephani Subdiaconi S. Xisti integra coxendix. 8. S. Theoduli Mart. integra item coxendix. 9. S. Apollonii Mart. ingens os pedis. 10. S. Antonii Martyris os magnum, passi 15 Dec. 11. S. Melitii os pedis insigne. 12. S. Liantis Martyris os per insigne 13. S. Sotheræ Virg. Martyris 10. Febr. os pretiosissimum. 14. S. Hilariæ Virg. Mart. os simile. 15. S. Lucii Regis Mart. Patroni Curiensis, insignis portio ossis. 16. S. Emeritæ Virg. Mart. Ejusdem sororis tertia pars costæ. 17. S. Sebastiani Episcopi Mart. ex Societ. S. Ursulæ egregia portio capitis. 18. Robustissimum os pedis S. Prosperi Mart. Et hæc omnia sacra ossa summæ considerationis.

Mediocria ossa, nimirum magnæ eorumdem portiones. S. Antonii alterius à superiore, medium os. S. Faustini Mart. S. Sabinæ Mart. S. Melitii aliud à superiore. S. Victoriæ Mart. S. Peregrini Mart. medium os. S. Apollonii Mart. magna pars. S. Sotheris Virg. Mart. insignis portio diversa à superiore osse. S. Aniani Mart. S. Maximi Mart insigni magnitudine portio. S. Olympii Mart. ex Societ. S. Mauritii plures portiones. S. Vitalis Mart. S. Constantii Mart. Quatuor longa ossa ex Societ. S. Mauritii & totidem ex spina dorsi quorumdam ex eadem Societ. magni articuli. Minoris quantitatis sed celebriorum Sanctorum particulæ spectabiles S. P. N. Benedicti officulum fabæ magnitudine. S. Hermanni contracti duplo majus. SS. Innocent. S. Laurentii Archi-Mart. fabæ magnitudine & supra. S. Valentini Presb. Mart. integer manus articulus. S. DEI colæ Abb. Sanctorum Ursi & Victoris, modicum de vestibus Seraphici Francisci & VVilhelmi Abb. Hirsaug. S. Venusti. S. Aproniani. Magna pars cordis B. Nicolai Ruscæ & plura ejusdem. Item particulæ insignes SS. Brigidæ. Mariæ Magdal. Scholasticæ, Afræ. Florentinæ Agnetis, Margaritæ, Walpurgæ, Kunegundis, Elisabethæ, Barbaræ & Catharinæ.

Templi ejusdem picturæ insignes & raræ: Tabula aræ Majoris, Vincentii Malo. Liguris. Tabula aræ B. M. V. Antonii van Dyck. Aræ S. Benedicti, opus Jasparis van Grayer, & minor tabula Danielis Pepini inter lectissimas Bruxellis habita. Tabula utraque in ara S. Joan. Evangelistæ, Christophori Storeri. Ejusdem tabula Major aræ S. Laurentii & superior minor, Schönfeldii. Tabula magna dono Leopoldi Imp. Michaelis Angeli de Caravaghio. Consimilis magna S Stephani è Synagoga ejecti, Ciulii Bensonis Genuensis. Pensiles magnæ in Choro utroque S. P. N. Benedicti, in parte Evangelii Joan Pauli Recchi Pictoris Regiæ Excell. Ducis Sabaudiæ, altera Samuelis ab Hochstraden, & Jo. Rosendael. Sub hac alia latior quem altior etiam Antonii van Dyck. Imago S. Zachariæ incomparabilis Alberti Dureri. Alia orantis Christi in horto, Guidonis de Bologna, alias Guido Rheni. Alia B. M. V. Joannis Holbain, qui ipsius hæc verba appinxit: *carpet aliquis citius, quam imitabitur.* In inferiore templo 4. amplissimæ tabulæ Joan. Casparis Monpeer. Aliæ minores Cavallier Romani Lanfranci, Joan. Giacom. Campani Lamberti van Oert. Joannis de la Court. Carregæ Itali, Lucæ Granach, &c. Ut area & arena concertantium pictorum videatur, quas inter una supra tabulam cædis Innocentium, Titiani manu picta creditur. Innocentes ex originali imitatus solùm est Svverterus, ea de causa Bononiam profectus. Expectantur & aliæ tabulæ & una mirifica Joannis de Mabeuge.

## S. JOANNIS MONTENSE.

BEnedictinæ Regulæ Cœnobium prope metropolim olim Morinorum adsitum, fundatum à Rege Theodorico. Series Abbatum perbrevis hæc est.

1. Hugo obiit 11. Cal. Martii.
2. Joannes, mortuus 3. Nonas Martii.
3. Eligius de Cruce, obiit 3. Id April.
4. Nicasius obiit 3. Idus Novembris.
5. Joannes II. mortuus 4. Cal. Febr.
6. Joannes III. obiit 13. Cal. Maji.
7. Joannes IV. obiit Cal. Maji.
8. Joannes V. obiit 14. Cal. Febr.
9. Martinus obiit Idibus Febr
10. Waltherus obiit 4. Cal. Februarii.
11. Thomas obiit 4. Cal. Martii.
12. Matthæus le Noir, ob. 13. Cal. Junii.
13. Robertus obiit 5. Idus Septembr.
14. Robertus II. obiit 3. Nonas Novemb.
15. VVilhelmus obiit 15. Cal. Januarij.
16. Michael obiit 7. Cal. Januarii.
17. Folquinus vita excessit 9. vel 3. Cal. Junii anno Christi 1128.
18. Theodoricus obiit 6. Iduum Januarii anno 1142. sub quo Monasterium miserabili incendio absumptum fuit anno 1136.
19. Nicolaus vita excessit anno 1181.
20. Rogerus moritur 6 Cal. Jan. anno Christi 1221.
21. Bernardus obiit 1234.
22. Michael obiit anno 1243.
23. Balduinus obiit 26. Junii anno 1326. quem inter & Michaelem videtur unus & alter intercessisse; sed nomina intercidisse.
24. Guilielmus Camer obiit 13. Cal. Octobris anno 1372.
25. Joannes Fremmes, obiit 16. Cal. Novembr. 1460. ut videas denuo aliquot Abbatum seriem desiderari.
26. Matthæus, vitam mortalem deseruit 7. Cal. Novembr. 1472.
27. Antonius obiit 16. Cal. Febr anno 1505.
28. Joannes Tubbert vita excessit 15. Cal. Apr. 1526.
29. Franciscus Euerardt Iprensis, moritur 12. Cal. Junii anno 1537.

30. Franciscus II. Mortalitatem exuit anno 1555. Sub quo Monasterium anno 1551. Ex pacto inter Carolum V. & Franciscum I. Galliarum Regem dirutum, & Abbatia translata fuit.
31. Joannes Fascyn seu Fasciis primus Abbas Balliolanus, ibidem mortuus & sepultus, cujus tamen ossa postea Ipras translata sunt.
32. Joannes à Myrica aliàs van der Heyden, antea Dominicanus & Hæreticæ pravitatis Inquisitor, multa inter tumultus Flandriæ passus, exul obiit anno Christi 1584.
33. Vincentius du Bur, præfuit annis 43. utiliter, quo tempore Claustrum Ipras transtulit anno 1608. obiitque plenus dierum & meritorum anno 1627. 4. Septembris.
34. Valentinus Bertii consecratus anno 1631.

Coluntur in hoc S. Joannis Iprensi Cœnobio: Integra mandibula Sanctæ Berthæ viduæ, & pars inferior menti filiæ ejusdem. Pars item menti S. Joannis Baptistæ data ab Alberto & Clara Eugenia Archiducibus. Pars costæ S. Antonii Abbatis. Pars item mandibulæ S Apolloniæ Virg. & Mart. Crus integrum & pars Cranii ex Societate & Legione S. Mauritii, aliorumque magno numero Martyrum & Confessorum Reliquiæ.

## *LAETIENSE.*

Fundatum est hoc Monasterium anno Christi 750. à VViberto Pictaviensi Comite, in Territorio quod à Pipino Rege acceperat inter Theorasciam & Hannoniam ad Helprum fluvium, cui Guntrandum filium suum præfecit isque collectis sanctioris vitæ sub Regula S.P. Benedicti alumnis, locum ad supremam usque senectutem felicissime gubernavit, & meritorum cumulis onustus ad præmia æternitatis non sine magna sanctitatis fama migravit, ibidem in medio templi tumulatus. Vixit prope idem Monasterium Hiltrudis ejusdem soror lectissima, sub fratris sui sanctissima disciplina atque ibidem locum beatæ dormitionis habuit. Floruitque deinceps idem Monasterium ad usque Nortmannorum, totam provinciam devastantium tempora, nulla tamen eo usque loci Præsulum memoria extante.

Cæterum vastato licet & everso Monasterio, Monachisque aut cæsis aut pulsis Basilica, ignibus frustra ab hoste adhibitis, incendi non potuit, cui cum tempore Canonici sæculares immigrarunt, quorum tempore magnis clarere prodigiis Beata Hiltrudis cœpit, cujus cum sacrum elevaretur corpus, juxta illud inventa Fundationis charta est, quam è manibus legentium eripiens VVedericus Comes in ignes seu focum proximum injecit, quod ejus facinus Theodoricus filius detestatus, suadente imprimis Ada seu Oda conjuge religiosissima, Cœnobium de novo struxit, amplissime dotavit & Monachis Ord. S. Benedicti eò vocatis restituit, quibus Guntherum consanguineum suum Crispiniensem Monachum Religiosissimum præfici curavit. Sed Præsulum modo Syllabum subjiciamus.

1. Beatæ memoriæ Guntrandus, VViberti Comitis Pictaviensis filius, primus loci Abbas, sydusque ejusdem singulare, à cujus morte, cæterorum Præsulum memoria tempestate Normannica intervers periit.
2. Guntherus, post restitutionem Monasterii Abbas designatus, Adæ Comitissæ 2. Fundatricis cognatus, qui & ipse cum 12. præfuisset, non sine opinione sanctitatis decessit.
3. Reinerus vir sanctus, sub quo res Monasterii utriusque & virorum & mulierum egregie floruerunt. Hujus meritum inde patuit, quod apparentibus in somnis Cœco cuidam Beatis Ægidio & Gunthero Abbatibus & monentibus, aqua qua manus laverat Reinerus, oculos tingere, ipse statim prodigiose visum receperit. Obiit Reinerus anno Christi 1124.
4. VVedericus Zelator disciplinæ egregius, rei litterariæ plurimum consuluit, Bibliothecam auxit, Scholas instituit, cumque Lætiensibus annos 25. strenuè præstitisset ad regimen S. Vedasti postulatus, jussu Eugenii Papæ annuere coactus, ibidem octo annis præfuit, mortuus anno 1160.
5. Thiescelinus ex Priore loci hujus Abbas, vir modestus & mansuetus, cessit postea oneri & inter confratres religiosè consenuit.
6. Helgotus ex gremio electus, sub quo consuetudo largiorum eleemosynarum abrogata, Monasterium in magnam penuriam adduxit, ita ut vix panis ipsis sufficeret, pestis etiam superveniens meliores quosque è medio tolleret. Inde appetitus à suis Helgotus, & illorum & propria etiam voluntate exauctoratus est, cum annis 38. præfuisset.
7. Simon Abbas ex Præposito Lætiensi, & ipse depositus postea fuit.
8. Hugo ex S. Vedasti postulatus Cœnobio, post 3. menses Monasterium deseruit.
9. Hugo II. viginti annis religiose præfuit & vita excessit 1213. sub quo Thomas Monachus & Sacrista Lætiensis Constantinopolim profectus, ab Imperatore præclaras Reliquias SS. impetravit & Monasterio intulit.
10. Gosuinus tertio regiminis anno cessit.
11. Petrus Auesnensis 8. annis præfuit.
12. Thomas supra dictus Abbas eligitur, verum tertio regiminis anno Fusniacum contendens, resignato munere Cisterciensi reformationi dat nomen, moritur 1229.
13. Segardus Thomæ successor, incertum qua ex causa amovetur.
14. Galtherus Maricolensis & Laubiensis Abbas, huic quoque Cœnobio à Godefrido Cameracensi Episcopo constituitur, annum solummodo præfuit.
15. Nicolaus, qui decimo Regiminis anno sponte pastorali curæ renunciavit.
16. Hugo, sub quo magnam tribulationem Lætiense pertulisse Monasterium scribitur. Vita excessit anno 1267.
17. Balduinus de Tudinio Lætiensis Monachus & Abbas S. Andreæ de Castello, inde huc postulatur, demum ab Episcopo Cameracensi deponitur.
18. Balduinus alter Dervensis Monachus Abbas Maricolensis huc asciscitur, Præsul optimè meritus præfuit annis 28. mortuus anno 1303.
19. Sergardus suspensus ab officio anno Christi 1314.
20. Michael de Auona ex Priore Abbas haud diu præfuit & decessit 1316.
21. Offo seu Otto de Sainzelle præfuit annis 14. & obiit anno 1330.
22. Joannes de Haya ex monacho S. Gisleni fit

fit hujus loci Abbas post. 17. menses exauctoratus.

23. Mauritius cognomento Paganus & ipse ab Abbatia depositus.

24. Sigardus de Cardilaco Jurisprudentia non minus quam generis Nobilitate clarus, super altari jurare coactus est, se nihil vendidurum, vel ut venderetur concessurum, superstes 1363.

25. Jacobus Abbas solum biennium præfuit & vita excessit.

26. Petrus de Guileghiden mortalitatem exuit anno Christi 1378.

27. Arnulphus Abbas claruit anno salutis 1385.

28. Joannes d' Ostrignies viginti annis ad clavum sedit.

29. Ægidius de Crueren, quatuor Campanas fundi & baculum pastoralem confici curavit. Migravit ex vita anno Domini 1434.

30. Joannes non diu præfuit, extinctus anno 1439.

31. Anselmus de Sars Monachus Elnonensis, intrusus quodammodo, multa tamen præstitit, & Dormitorium, refectorium atque infirmariam construxit superstes ad annum usque 1461.

32. Joannes Baccart, multis reditibus Cœnobium auxit & post 14. annos resignavit.

33. Leodegarius de Ponte ex Priore Lætiensi Abbas, vir modestus, in agendis providus, in eleemosynis largus, vulgo *Bonus Abbas* dictus, obiit anno 1496.

34. Ægidius Gippus vir eximius, summa apud Principes auctoritate, apud quos Clero & populo potenter patrocinatus, Margaritam inprimis Belgii Gubernatricem suis exhortationibus ad optima quæque flexit. Castrum Lætiense ex integro pene restauravit, fundamenta Chori jecit, in magnis conatibus morte interceptus, anno 1530. Coadjutore prius venerabili Ludovico Blosio constituto.

35. Ven. Ludovicus Blosius Illustrissimo natus genere, vir plane incomparabilis, Sancti IGNATII Societ. JESU Institutoris solatium singulare fuit, cui per litteras correspondit. Monasterio non solum huic suo præclare consuluit, sed plurima alia ad disciplinam revocavit, sed & toti orbi Christiano scriptis suis consultum voluit. Episcopatum Cameracensem sibi oblatum, ex magna animi demissione constanter recusavit, oblatos alios honores, omnes respuit vita sanctissime excessit anno 1566. in medio chori sepulchro modicum extante tumulatus.

36. Quirinus Douillet, ex mercatore bono, factus optimus Religiosus, re Catholica per Belgium graviter periclitante cum suis ad S. Andreæ Cameraceñi sese recepit, ubi paulo post, primo refugii mense è vivis excessit anno 1578. inter præcipuos hujus sæculi viros haud immerito habitus.

37. Nicolaus le Franc vir regularis disciplinæ observantissimus, arctis quantumvis rebus, sibi suisque de necessariis quasi detrahens in pauperes omnia effundebat, minima quævis statuta Ord. ad amussim exacta voluit, sæcularium fugiens consortia, cum Fratribus communia exercitia & sua omnia habuit, Excoctus gravibus infirmitatibus vita excessit anno 1610.

38. Antonius VVinghe Ex Canonico Cathedr. Ecclesiæ Cameracensis, Monachus Lætiensis & inde Abbas. Vir omnium opinione Sanctissimus. RR. PP. Rosvveido & Bolando Author & Adjutor fuit, præclari Operis *Vita Sanctorum*. Sanctorum Reliquias undique conquirens, splendide excoluit. Montibus decessit cum eo metu bellorum fugisset, ibidem apud PP. Societ. tumulatus 1637.

39. Thomas Luiheus, primus mitram aliaque Pontificalia obtinuit, obiit 1644.

40. Gaspar Rogier Observantiæ Regularis strenuus exactor, summa cum laude hodie rebus præest. Venerabilis Blosii laudatissimus imitator.

## DE RELIQUIIS HUJUS MONASTERII.

Ab his, semper singulari industria conquisitis & auctis, haud immerito *Sanctorum* habitatio appellatur, ut haud imprudenter de sacro hoc thesauro Philippus Brasseur Hanoniæ Historiographus specialem librum ediderit. Possidet inprimis duo corpora SS. Ethonis Episcopi & Hiltrudis virginis. Reliquiæ ab Imp. & Patriarcha Constantinopolitanis.

De pretiosissimo Christi *sanguine*.
Magnæ & notabiles partes Crucis Dominicæ.
Octo partes Coronæ spineæ.
De vinculis manuum Christi.
De Præsepio.
De pannis præsepii & fasciis.
De capillis & lacte B. M. V.
De diversis ejusdem vestimentis.
Media pars ossis S. Andreæ Apost.
Os digiti S. Bartholomæi Apost
Ejusdem S. Barthol. digiti articulus.
Dens S. Jacobi Majoris.
Dens item S. Jacobi Minoris.
Pars digiti cum ungue S. Matthæi Apost.
Os S. Philippi Apostoli.
Ossiculum S. Simonis Apostoli.
Ejusdem S. Simonis duo capitis ossa sat magna.
Duo ossa S. Thomæ Apostoli.
Quinta pars capitis S. Lucæ.
Os exile sed valde longum S. Christophori M.
Particulæ plures SS. Crispini & Crispiniani.
De corpore & vestibus S. Cornelii.
Os S. Eustachii Mart.
Ossiculum S. Fabiani Papæ Mart.
Os S. Hermeris Mart.
De craticula S. Laurentii.
Os notabile S. Nicephori.
Os rotundum S. Pantaleonis Mart.
Pars costæ S. Sebastiani Mart.
Ossiculum S. Gregorii Papæ.
Item S. Servatii, Sylvestri Papæ Basulphi & aliorum Sanctorum.

## IN ARCA À REV. D. ABBATE ANTONIO COMPARATA.

Ossiculum Danielis Prophetæ.
Ossiculum S. Jonæ Prophetæ.
Ossiculum S. Isaiæ Prophetæ.
Os satis magnum Malachiæ Prophetæ.
Ossiculum S. Simeonis Justi.
De sanguine S. Joannis Baptistæ.
Digitus S. Joan. Baptistæ.
Scapula S. Joannis Baptistæ.

Os digiti S. Petri Apostoli.
Ex ligno Crucis S. Petri Apost.
De capite S. Pauli Apostoli.
Ossiculum S. Jacobi Minoris.
Costa S. Matthiæ Apostoli.
Brachium & manus cum carne & unguibus S. Marci.
Os S. Thadæi Apost.
Ossiculum S. Stephani.
Item S. Blasii & pars costæ.
Os satis magnum S. Georgii.
Ossiculum S. Cæciliæ.
Os brachii S. Agnetis Virg. & Martyris & de capillis ejusdem.
Os digiti cum carne S. Margaritæ Virg. & Mart. & os genæ ejusdem.
Tria ossa S. Agapiti Mart. qui ibidem à peregrinis multum frequentatur.

*ET QUIDEM OMNES HUCUSQUE RELIQUIÆ CONSTANTINOPOLI ALLATÆ, SEQUUNTUR ALIÆ RELIQUIÆ IN DIVERSIS CAPSIS ASSERVATÆ.*

S. Agapiti os magnum.
Os S. Aygulphi Abbatis.
S. Alberti Episcopi & Mart. os mediocre.
SS. Cornelii & Cypriani particulæ aliquot.
S. Eugenii os mediocre.
S. Floccelli dens molaris.
S. Florentii & Socii ejus duo ossa.
SS. Grimoaldi & Gundulphi 2 ossa.
Pars cranii & duo ossa mediocria SS. Marcellini & Petri.
S. Marcelli Papæ & Mart. os mediocre.
S. Nunciani vertebra colli.
S. Piati ossiculum.
S. Rumoldi os rotundum.
S. Salvii vertebra dorsi.
S. Superii os notabile.
S. Victoris dens molaris.
S. Severini ossiculum, & discipuli ejus duo ossa.
S. Adelini ossiculum.
S. Ayberti 2. partes notabiles.
S. Amati os.
S. Autberti os spissum.
S. Dadilonis Abbatis os valde magnum.
S. Canoaldi Episc. os mediocre.
S. Dragonis os notabile.
S. Euberti os notabile.
S. Gangerici pars brachii.
S. Genebaldi os notabile.
S. Gerardi os satis magnum.
SS. Gregorii, Hilarii, Joannis Agni, & Joan. Eleemosynarii quædam ossa.
S. Humberti costa integra.
S. Landelini duo ossicula.
S. Macarii pars costæ.
S. Maglorii pars costæ.
S. Maximi os insigne.
S. Medardi os notabile.
S. Odulphi pars cranii notabilis.
S. Olberti mandibula.
S. Popponis duo ossicula.
S. Sulpitii os mediocre.
S. Siardi os notabile.
S. Theodorici os notabile.
SS. Vedasti, Ursmari, VVasnulphi VVinoci Reliquiæ plures.
S. Adelgundis dens & ossiculum.
S. Berthæ viduæ pars media maxillæ.
S. Eulaliæ Virg. & Mart. pars cranii.
S. Lidvvinæ os satis notabile.
S. Mariæ Oegniacensis os notabile.
S. Odæ viduæ pars cranii.
S. Odradæ pars calvariæ.
S. Regenfredis costa integra.
S. Reginæ viduæ os integrum brachii.
S. Raineldis duæ juncturæ pedum.
Ejusdem S. Reginæ mandibula.
S. Vivinæ os satis magnum.
S. Schillindis os valde magnum & plures SS. particulæ.

## LAUBIENSE.

Celeberrimum virisque cùm genere tùm eruditione ac sanctitatis nomine illustrissimis frequentissimum Benedictini Ordinis Cœnobium, Fundatum fuit anno 640. à S. Landelino per S. Autbertum converso, & à variis deinceps Regibus Principibus & Episcopis dotatum & auctum, de quo aliàs. Nunc Abbatum seriem damus, secundæ Fundationis.

1. Herigerus Sanctitatis opinione celeber, vir eruditione & meritis spectatissimus, qui juxta disciplinam Monachicam litterarum studia insigniter promovit. Fuit S. Notgero Episcopo familiarissimus & ad maxima quæque adhibitus, scribitur à morte miraculis claruisse.
2. Ingebrandus, à Leodiensi postea Episcopo, incertum qua ex causa depositus.
3. S. Richarius, vir Zelosissimus disciplinæ, plurimorum Cœnobiorum felicissimus Reformator, qui cum huic annis 12. sanctissimè præfuisset Reginaldo Leodiensi Episcopo resignans, ad alia reformanda transiit.
4. Hugo Abbas suffragiis Religiosorum loci electus, litteris non minus quam Religione excelluit, studia & pietatem sedulo promovit. Bibliothecam insignem instruxit, Ecclesiam struxit, Cœnobium reditibus auxit, & meritorum gloria insignis ad superos transiit.
5. Adelardus, vir præstans & amator fratrum singularis, Corpus S. Ursmari ob bellicos motus in Flandriam transtulit, magnis ibi miraculis commendatum. Illis sedatis motibus Ecclesiæ structuram aliaque perfecit. Oratorium juxta eamdem S. Joan. Bapt. struxit, quod illic sæpius ab Angelis Antiphones: *Inter natos mulierum non surrexit major, &c.* cantari audiretur; & quod ægrotans Abbas ab apparente eodem sancto, querelam hanc audiret: quod ipse in Ecclesia nullam haberet memoriam.
6. Arnulphus dissimillimus antecessori, in suos minus æquus, sibi omnia & Archidiacono cuidam Cameracensi, colligens majore plausu suorum quam luctu anno 1094. è vivis excessit.
7. Bulchardus, quæ dissipavit Antecessor feliciter restituit, amabilem se omnibus præbuit, in pauperes & peregrinos multa expendit, eoque juvandi varios modos adinvenit, præfuit annis 13. obiitque anno 1107.
8. VValtherus qui annis 23. præfuit, cujus tempore

pore magna Cœnobii facta turbatio est, quod Religiosi nollent reformationem suscipere; qua ex causa Waltherus Abbatis resignavit munus, & post quinque à cessione menses defunctus est.

9. Leonius vir incomparabilis, felix in lucrandis suorum animis, reformationem facile introduxit, paucis ab illo segregari eligentibus & ad laxioris disciplinæ claustra transeuntibus. Inde Abbas forma gregis factus, & Religiosi tanti passim facti, ut ad regimen diversorum locorum expeterentur. Præfuit exemplo magis quam verbo & disciplinæ omnis Regularis, quam maximè silentii, strictissimam utilissimamque observantiam introduxit. Ejus tempore Innocentius Papa illic divertit & ad aram S. Petri sacris operatus, sermonem postea ad Fratres habuit. Præfuit Laubiensibus decem aut septem annis, & ad S. Bertini postulatus, ibidem clarus meritis in Domino obdormiit anno 1164.

10. Lambertus, juvenis licet, senili tamen prudentia, eruditione & vitæ perfectione singulari sese omnibus mire commendavit. Fuit ab insigni etiam facundia celeber, ita ut non in Conventibus solum Ordinis & Abbatum, sed & Episcoporum perorare cogeretur. Fuit speculum etiam virtutum omnium, specialiter autem devotionis valuit studio, gratia compunctionis divinitus donatus. Plurima utiliter struxit, Domum inprimis Hospitum, dein Infirmorum aliaque, præfuit annis 13. loco in spiritualibus non minus quam temporalibus aucto; & gravi demum infirmitate correptus, crucifixi imaginem ante se collocari jussit, inter dolores gravissimos identidem repetens: *Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.* Requievit demum feliciter consopitus, cujus obitum, Religiosi omnes acerbe deplorarunt.

11. Franco sanctioris vitæ semper studiosissimus, potens verbo exhortationis & exempli opere Ecclesiam sacra supellectile auxit. DEIparam devotissimè coluit, ejusque in Sabbatho memoriam solemnius celebrari instituit. Obiit in sanctitate & Justitia & devotione, siquidem SS. Trinitatis celebratis Vesperis emisit spiritum.

12. Joannes vir egregius; sub quo educatus fuit Joannes ab Ipra, qui postea Abbas S. Bertini electus fuit. Bello Gallos inter & Anglos fervente Laubiis excedere aliquamdiu coactus est cum suis Religiosis. Præfuit annis 20.

13. Lambertus Abbas S. Gisleni, ob eximias virtutes huic quoque loco Abbas præficitur. De bono publico utrobique bene meritus.

14. Werricus Abbas, sub cujus regimine exilis fuit hujus tanti Cœnobii status, super quo Lucius Pont. Max. his ipsis queritur: *Heu quomodo factum est, ut tanta dignitas & libertas seu Privilegiorum sublimitas ad abjectam adeo umbram reversa sit?* Cæterum VVerricus laudabiliter præfuit annis solummodo 4. mortuusque est anno 1197. sive 1204.

15. Robertus Abbas S. Gerardi Broniensis Cœnobii in Diœcesi Namurcensi, idem hujus quoque loci Abbas designatus, utrique optimè consuluit beneficiisque & ædificiis auxit. Interfuit Concilio Rom. sub Innocentio, Papa vir summa in rebus agendis usus dexteritate. Vita excessit Anno 1217. sive ut aliis placet 1222.

16. Hubertus ex Præposito Cœnobii Abbas S. Gisleni, hujus quoque Cœnobii Regimen admisit, verum post 15. menses resignavit, vel vita excessit.

17. Radulphus post 4. annos regiminis & ipse honori renuncians, vitam privatam egit in villa Sanctes, hujus reditibus ipsi alendo assignatis.

18. VValtherus Abbas Maricollensis simul & Laubiensis, cui utrique non sufficiens exauctoratus est, cum 5. solum mensibus præfuisset.

19. Thomas Abbas.

20. Bartholomæus.

21. Rudolphus Abbas.

22. Thomas Abbas.

23. VValtherus Abbas.

24. Philippus Abbas.

25. Jacobus Abbas dictus de Binchio claruit anno Christi 1314.

26. Nicasius cujus tempore Machliniensis urbis medietas, quæ jam olim propria Laubiensium erat, opera Domini de Grimberghe ad Cœnobium rediit, incertum quo tempore abalienata.

27. Guilielmus.

28. Petrus I.

29. Petrus II. 1371.

30. Nicolaus.

31. Joannes de Lorraine Anno 1389.

32. Bertrandus de Montignies annò Christi 1410. quo ipso anno facta est translatio SS. Reliquiarum & Capituli Laubiensis ad civitatem Binchiensem, postulante Decano & Canonicis, annuentibus Conventu & Abbate, consentientibus Episcopis & Guilielmo Comite Hannoniæ, confirmante insuper summo Pontifice, & hoc propter bella inter Leodienses & eorum Episcopum; ne quid injuriæ Religiosi paterentur.

33. Ægidius ex monacho Altimontensi Laubiensium Abbas, erud tione præstans & pietate, Laubiensium honori præclare consuluit annis 27. vita excessit anno Christi 1457.

34. Joannes, ob Ægidii optimum in sacris & profanis moderamen, ex eodem Altimontensi postulatus Cœnobio, spem minimè fefellit & 6. annis regimen tenens præmature decessit.

35. Joannes eo nomine quartus, post quinquennium resignavit.

36. Guilielmus Cordier S. Gisleni Monachus & Thesaurarius eo tempore quo Reformatio Bursfeldensis est introducta, vir magnæ virtutis & scientiæ, mores optimos introduxit, nec minus in temporalibus monasterio plurimum profuit, annis 28. & obiit anno 1536.

37. Guilielmus Caulier S. Vedasti Monachus, & Broniensis Abbas inde huc postulatus, utilissime & ipse præfuit, tristique incendio graviter afflictum tempore sui regiminis Cœnobium, præclare restituit, obiit 1565.

38. Dominicus Capronius Dominicanus opera Caroli V. Imp. promotus, cum prius Regulam S. P. N. Benedicti professus esset, hujus loci Abbas effectus, sese omnibus egregiè factis commendavit, & Basilicam omnibus admirandam sæculis, multaque alia ædificia construxit, aliaque memoratu digna confecit. Obiit anno 1570.

39. Erminus Francois ex gremio electus, vir egregius, divinis rebus deditissimus, arctissimæ disciplinæ custos egregius. Ecclesiam ab antecessore conditam, picturis aliisque ornamentis insigniter excoluit. Decessit magna cum perfectionis opinione anno Christi 1598.

40. Michael Voillaume post annos regiminis 22. obiit anno salutis 1620.

41. Guilielmus Gilbart, consecratus fuit anno Christi 1622.

42. Raphael Baccart electus & confirmatus anno 1628.

Cæterum, præter S. Landelinum Fundatorem Benefactores loci & secundarii Fundatores fuêre, S. Ursmarus prosequutor Operis, qui plurimis ædificiis & possessionibus locum auxit. Pipinus dein Major Domus Regiæ Dux Brabantiæ qui multis & opulentissimis prædiis Cœnobium donavit. Sancta Raynildis autem omnia sua huc contulit.

*VIRI ILLUSTRES LOCI, E MULTIS PAUCI.*

S. Landelinus ipse Sanctissimus loci Fundator.

S. Hidulphus ex Duce opulentissimo humilis Monachus primæ Fundationis, Abbas postea Laubiensis primusque ejusdem loci Episcopus.

S. Ursmarus, hujus item loci Monachus, Abbas & Episcopus.

S. Erminus & ipse Monachus & Abbas & Episcopus Laubiensis, scriptor vitæ S. Ursmari antecessoris, Floruit anno 710.

S. Theodulphus Monachus Abbas & Episcopus Laubiensis floruit anno 776.

S. Ulgisus Monachus item Abbas & Episcopus hujus ejusdem loci, anno 740.

S. Abel Monachus similiter Abbas & Episcopus hujus loci.

S. Amulvvinus Monachus ibidem Abbas & Episcopus.

Fulcuinus Abbas non solum in tolerandis adversis invictus sed & eruditione clarissimus Abbatum Laubiensium vitas scripsit.

Herigerus Abbas scriptis clarissimus, & apud omnes celeber.

Olbertus aliis Albertus monachus Laubiensis postea Abbas Gemblacensis, cujus laudes passim invenire est.

S. Burcardus ex mon. Laubiensi VVormatiensis Episcopus, Canonum compilator meritissimus.

Adalboldus ex mon. Laub. Episcopus Ultrajectensis scientia Illustrissimus.

Ratherius Episcopus vir sui sæculi celeberrimus.

Ansegisus Archiepiscopus Primas Galliæ & Germaniæ scientia nulli suo tempore secundus.

B. Anso Abbas Laubiensis vitæ sanctimonia clarus, cujus acta collecta & Episcopo oblata ut inter Sanctos haberetur.

Franco Abbas dein Episcopus Leodiensis.

Joannes ab Ipra vir doctissimus.

Joannes dictus Anselmi Abbas Laubiensis, Præco Verbi Divini potentissimus.

Guilielmus Cordier vir litteratissimus Abbas Religiosissimus.

Julianus Becquet Sacris litteris deditissimus & scriptor egregius.

Lambertus Abbas eruditione insignis, S. Bernardi coadjutor in prædicatione Crucis pro expeditione sacra.

Michael Villanus Abbas Poëta egregius vitas Sanctorum Laubiensium metro descripsit.

Alleramnus Abbas de quo monimenta Laubiensia: *Vir omnium litterarum peritissimus, undequaque doctissimus.*

*SS. RELIQUIÆ A LAUBIENSIBUS ASSERVATÆ:*

Venerandum inprimis & omni honore dignissimum os femoris S. Petri Principis Apostolorum.

Os brachii S. Jacobi Apostoli. Tria capita ex Societ. S Ursulæ. Os magnum brachii S. Hidulphi Ducis Monachi Laubiensis & Episc. Costa S. Dodonis Abbatis Waslariensis. Brachium S. Adriani Mart. Nicomed. De capillis Domini nostri JEsu Christi. De lacte & Capillis B M.V.

Cæterum corpora SS. Patronorum loci Abbatum & Episcoporum ad præposituram, ut supra dictum, Biuchiensem una cum corpore S. Amalbergæ translata, ibidem honorifice condita quiescunt.

## *LINDOVIENSE.*

Canonissarum Nobilium, cujus parte 2. seu Tomo II. Germaniæ nostræ Abbatissarum Catalogum imperfectum dedimus, nunc residuum ejusdem damus:

Amalia de Reischach filia Peregrini vulgo Pilgrini & N. de Schinen sive Schinauvv electa 12. Ian. 1490. præfuit annis 41. mortua 1531.

Catharina de Bodmann in Hohen-Bodmann filia Domini Ioannis Iacobi & Dn. Helenæ de Schellenberg, oblata septuennis anno 1520. & ætatis anno 18. nimirum anno 1551. Abbatissa electa fuit. Præfuit annis 47. obiitque anno 1578. infinitas calamitates perpessa cum urbs Lindoviensis Religionem mutasset, Canonissis urbe pulsis, ipsa Principe constanter perseverante, etsi Acatholici Monasterii Ecclesiam occuparent, & ipsa pro concione dicentes audire cogeretur, donec Caroli V. edicto Canonissæ restituerentur, & Acatholici ipsis suam cedere Ecclesiam cogerentur anno Christi 1540.

Barbara de Breitten-Landenberg Catharinæ succedit anno 1578. filia Domini Christophori & Cæciliæ Nothafftin ab Hohenburg. Præfuit annis 36. & ipsa plurimum injuriarum & calamitatum pro sacra Catholica Religione perpessa. Vita excessit anno Christi 1614.

Susanna de Buobenhofen filia Ioan Christophori & Barbaræ de Freyberg, præfuit annis 20. obiitque anno 16 4.

Anna Christina Hundtpissin de Walthrams filia Friderici in Schomburg & Margarethæ Hundtpissin in Siggen; egregia Assertrix Fundationis antiquissimæ & contestatissimæ, quam DEUS Opt. Max. bono Cœnobii & Collegii Nobilissimi publico quam diutissime sospite servet & felicem.

## *LUCELLENSE.*

Hujus Cœnobii Abbatum fragmentum potius quam integrum Catalogum parte 2. Germaniæ dedimus, nunc opera & studio Reverendissimi Domini

mini Dn. Bernardini Buchingeri ejusdem loci laudatissimi Antistitis, integrum proponimus.

Fundatum est hoc Monasterium anno Christi 1124. 8. Cal. Aprilis in Diœcesi & fundo Ecclesiæ Basileensis in horrida & aspera solitudine, intra Jurassi montis sinum à tribus illustribus viris Hugone, Amadeo, & Richardo Comitibus Montis Falconis, annuente & juvante eorumdem avunculo Bertulfo Basileensi Episcopo Comite Novocastrensi, qui summo cum consensu Cathedralis Capituli fundum & districtum, cum universo spirituali & sæculari Dominio B M V. solemniter donavit; motore præcipuo rerum ipso mellifluo Doctore Bernardo, cujus cognati erant ipsi Fundatores. Abbates damus.

1. Stephanus Burgundus ex Bella Valle cum duodecim fratribus evocatus, primus Abbas eligitur, sive designatur anno 1124.
2. Christianus & ipse Burgundus electus anno 1136. resignavit anno Christi 1178.
3. Alexander electus anno 1178.
4. Archenfridus aliis Ernfridus electus 1179.
5. Chuno sive Conradus I. electus 1181. quadriennium præfuit.
6. VVezelo sive VVernherus de Tüffenthal genere nobilis, electus anno 1185.
7. Conradus II. Nobilis de Radolzdorff, electus anno 1189.
8. Bertholdus Comes ab Aurach. Conradi Cardinalis germanus frater, electus anno Christi 1221. Resignavit 1230.
9. Richardus ex Priore Lucellensi Abbas electus anno prædicto 1230.
10. Themo sive Theobaldus Baro de Ramstein & Gilgenberg, electus anno 1238.
11. VVernherus II. electus 1257.
12. Conradus III. cogn. Prudentia, electus 1268.
13. Nicolaus I. ex Oppido Alsatiæ Sultz, electus anno 1288.
14. Jordanus Burgundus ex Cellario, electus 1293. fit dein Abbas Bellevallensis 1294.
15. Petrus de Calmis ex Cellario loci electus anno 1294. Resignavit 1298.
16. Burcardus Nobilis de Landskron. Rauracus, electus 1298.
17. Joannes I. cognomento Demetrius SS. Canonum Doctor electus anno 1303.
18. Haymo sive Hymerius electus anno 1319.
19. Joannes II. electus anno Domini 1336.
20. Rudolphus I. Nobilis de VViggenheim Alsata, ex Cellario loci Abbas, electus 1340.
21. Joannes III. dictus de Calmis Liber Baro ab Hatenburg, electus 1349.
22. Joannes IV. dictus de VVeingartten Comes ab Achalzam, Bohemus, electus 1362.
23. Rudolphus II. Nobilis de VVattenvveil sive VVattvveiler ex Ufholz Alsatiæ, electus 1379.
24. Nicolaus II. dictus Menvvelin ex Altkirch, Abbas ex Priore el. 1387 Resignat 1397.
25. Henricus Stockheim ex Sennheim Alsata, electus 1397. depositus 1408,
26. Conradus IV. Holtzacker Patricius Basileensis Professus ad S. Urbanum Lucellæ Prior electus anno 1410. Primus Mitratus & Ord. Vicarius Generalis.
27. Nicolaus III. Amberg sive Amsig Basileensis SS. Theolog. Baccalaureus ex Priore Abbas hujus loci electus 1347. Friderici Cæs. Vice-Cancellarius.
28. Joannes V. Stantenat ex Ufholz Alsata, Lucellæ Cellarius, Prior Vallis Rheni, fit Abbas anno 1467. hinc postulatus in Salem anno 1471.
29. Ludovicus Jäger Brigantinus SS. Theol. Doctor Professus Albæ Dominorum Provisus à Paulo II. Papa anno 1471.
30. Theobaldus Hylvveeg Thannensis ex Priore loci electus 1494. Resignat 1532.
31. Henricus II. Sapper Ensisheimensis ex Priore loci electus 1532.
32. Nicolaus IV. Rosenberg Thannensis ex Cellario Luciscellæ electus 1542.
33. Rudolphus III. Kuchemann. Ensisheimensis Administrator in Lauterbach, electus Abbas anno 1566.
34. Joannes VI. Klesber ex Altkirch, Administrator in Lauterbach, el. 1574.
35. Beatus Bapt. Gebvvileranus Administrator apud S. Apollinarem, electus 1583.
36. Christophorus Byrr ex Morschvveiler Administ. Minoris Lucellæ, eligitur Abbas Lucellæ anno 1597. deponitur 1605.
37. Joannes VII. Hanser Ensisheimensis ex Priore Abbas electus anno 1605.
38. Laurentius Auricularis Bruntrutanus Sequanus SS. Theol. Doctor, el. 1625.
39. Nortbertus Ganbach Ensisheimensis ex Priore Abbas 1648.
40. Bernardinus Buchinger Kiensheimensis Alsata prius Abbas Maulbrunnensis, & Parisiensis electus Lucellensis anno 1654. Christianissimi Regis Consiliarius, Patronus Opt. qui hæc communicavit. Vivat! perennet! Insignis sui Cœnobii Restaurator.

## MALLERSTORFFENSE.

Mallerstorphium sive Matthildhartistorff, à Mathilde Henrici I. Imp. conjuge, sic dictum, & ab eadem Comitibus à Kirchberg ob rem præclarè contra Hunnos gestam, donatum, ab Henrico patre & Ernesto filio, ejusdem generis Comitibus in Monasterium Ordinis divi Benedicti conversum, anno Christi 1109. plures dein vicinorum Comitum ac Baronum Benefactores habuit. Consecratum fuit ab Hartvvico Ratisponensi Episcopo Carinthiæ Duce in præsentia Imperatricis, Henrici V. Imp. & Bavariæ Ducibus aliisque Magnatibus, sub nomine & honore Archi-Evangelistæ Joannis, Patroni lectissimi, apud Numen & Numinis Matrem præpotentis. Cathalogum Abbatum subjicimus.

1. B. Burcardus Liber Baro à VVildenfels, ab ipso Fundatore ex Monasterio Bambergensis Diœceseos Michalfeldensi postulatus anno 1109. præfuit annis 13. in omni sanctitate & justitia, prophetico insignis spiritu, ut ex Epitaphio liquet quod sibi ipsius scripserat, ita concludens:

*Hac homo noscens, sis mihi poscens, gaudia vera*
*Cui Julii sunt septa Calendæ meta severa.*

Transiit proin ad superos 7. Cal. Julii anno Christi 1122. vocatus in monimentis Cœnobii tam latinis quam Germanicis, Sanctus, Beatus der heilige Burckardus.

2. B. Eppo, idem ipse, quem in Menologio nostro septimo Februarii, absque nomine Monasterii celebravimus, vir non minus sanctitate quam eruditione præstans, Fundator Monasterii Monialium in Eytting quod S. Jacobo Apostolo dicaverat, & in Concilio quodam, Ordinis Benedictini Reformator, sive Zelosus Reformationis promotor. Præfuit sanctissime annis 21. & mortalitatem exuit anno 1143. sub quo Innocentius Papa, consentiente Otthone Bambergensi Episcopo Monasterium exemit, & immediatè Romanæ sedi subjecit.

3. Emicho è gremio, uti & Eppo electus multos libros scripsit & scribi curavit, vir doctus & insignis Historicus, scripsitq; inter alia librum rerum memorabilium à Passione Christi ad sua usq; tempora, præfuit Monasterio annis 14. etsi alibi anno 1153. alibi 1158. mortuus legatur, dictus etiam vulgo, Fratrum Amator, ob exhibitam Conventui, Charitatem; quæ in pauperis cæteroquin victus, augmento aliquo celebrabatur.

4. Otho ex gremio & ipse electus, præfuit annis 15. impetravit à Ludovico Duce Privilegium super Monasterii Advocatia. Resignavit ex sola animi demissione successori, verum exoratus à suis timens DEI offensam, onus reassumpsit & obiit anno 1172.

5. Henricus insignem collegit & construxit Bibliothecam, quam Chuno Ratisponensis Episcopus Comes à Falckenstein anno 1176. consecravit. Sub hoc Abbate studia insigniter floruere. Præfuit annis 32. & obiit anno 1194.

6. Adalbertus Nobilis de Neuburg prope Mallerstorph, Conventualis hujus loci rexit laudabiliter annis 12. ob. 1206, aliis 1211. Tertio Cal. April.

7. Dietericus rexit annis 20. summa cum laude obiitque 3. Id. Novembr. al. 7bris, Fuit solertissimus Antiquitatum indagator. Multa scripsit de Monasteriis Bavariæ, aliaque inter, Fundatorum vitam.

8. Gerungus Nobilis de Bemburg è gremio electus, præfuit laudabiliter & utiliter annis triginta obiitque 3. Cal. Dec. Sub ipso floruit Georgius Pucher Nobilis, Poeta egregius.

9. VVeinmarus sive Meinvvardus utilis Abbas per annos 33. strenuus Disciplinæ Monast. Zelator. Fuit aliquando exauctoratus, sed cognita innocentia, summo cum honore restitutus, obiit 7. Cal. Augusti.

10. Udalricus Nobilis de Neufarn ex gremio electus præfuit annis 11. ob. 7. Cal. Julii.

11. Henricus II. ex Priel prope Ratisponam postulatus præfuit annis 12. & majorem Basilicam ampliavit, obiit 4. Cal. Novembris.

12. Benedictus, à prudentia & doctrina commendatus, multa ædificia restauravit, præstitit rebus annis 15. obiitque 3. Id. Aprilis.

13. Hermannus rexit annis 7. mortuus quarto Nonas Januarii.

14. Henricus III. præfuit annis 25. ob. Nonis Jan.

15. Bertholdus Vilser. Sedit ad clavum annos septem & obiit anno 1307. Idibus Sept.

16. Rugerus rexit annis 26. obiit 13. Cal. Aprilis. Notandum autem quod hi duo Abbates sibi alternis vicibus successerint & Rugerus ante Bertholdum, & post ejus mortem Abbas fuerit. Rexit autem in summa egestate ita ut per singulos florenos centenos loco interesse solvere debuerit.

17. Bernardus, aliis VVernherus, præfuit annis 20. obiit pridie Iduum Martii.

18. Udalricus Hinzlhaimer ex Prüfening postulatus præfuit annis 15. mensibus 3. sub quo multa à fidelibus bona Monasterio collata sunt.

19. Conradus Nobilis ab Ellenpach præsedit annis 21. mensibus 4. obiit anno 1356. 5. Id. Decembr. sub hoc omnia Monasterii Privilegia confirmata sunt à Ludovico Rom. Imp. & multa à fidelibus donata.

20. Hermannus II. Rexit annis 12. ob. prid. Cal. Oct. sub quo multæ circa Cœnobium controversiæ sunt compositæ.

21. Bertholdus II. sedit ad clavum annis 10. & vita excessit pridie Cal. Augusti.

22. Henricus IV. postulatus è S. Viti in Neumarckt præfuit annis solummodo quatuor, Religione bonus, verum Oeconomia inutilis & perniciosus, atque ob idipsum depositus anno 1390. quem inde Frid. Com. Palat. Rheni in summum Capellanum delegit, qui & Monasterium anno 1383, in suam tutelam suscepit.

23. Henricus Neumayr electus 1391. præfuit annis 15. obiit pridie Non. Aprilis. Fuit insignis studiorum promotor, eruditorum amator.

24. Fridericus de Haindling rexit annis 4. depositus ob malam Oeconomiam & rerum dilapidationem obiit 1410.

25. Petrus Gruemal postulatus ex Reichenbach Palatinatus Monasterio præfuit 7. annis in summa miseria propter 800. florenos ab Usurario quodã Monasterio legatos, pessimè contentis Nobilibus quibusdam de Schvveybern dictis, qui Monasterium violenter occuparunt, & à subditis tributum exegerunt.

26. Joannes Seethaler post annos 4. pertæsus calamitatum resignavit.

27. Michael Pogenhauser postulatus ex VVeltenburg, laudabilissime præfuit, omnia ferè debita dissolvens, oppignorata redimens, multa exstruens, alia restaurans, Sacristiam ornatibus, Bibliothecam libris implens, quorum etiam ipse multos scripsit, aliaque inter pedum Abbatiale fieri curavit, ut & organum Musicum majus. Decessit summo omnium luctu anno 1442. cum 14. solum annis præfuisset & tanta præstitisset atque insuper ingentem summam pecuniæ, frumenti & vini successori reliquisset.

28. Petrus II. Marschalck dictus, postulatus è S. Viti cis Rottam, contra Privilegia Monasterii intrusus per Ducem Bavariæ. Sed quarto regiminis anno resignavit.

29. Joannes Venderer, vir religiosissimus, sed Oeconomiæ ignarus, unde coadjutorem habuit ex Conventu, qui temporalia curaret. Joannes Novum Chorum & Triclinium construxit & senio gravis resignavit anno 1464.

30. Andreas postulatus ex Reichenbach, optimè rexit annis 8. etsi semper valetudinarius, multa struxit, restauravit, & debita solvit, tandem senio confectus resignavit.

31. Erasmus de Pertal ex Monasterio Ebersperg per Ducem Bavariæ Ludovicum & Conventum postulatus, viventibus etiamnum antecessoribus Joanne & Andrea & anno 1476. ab Henrico

Epis.

Episc. Ratispon. confirmatus & consecratus. Vir fuit incomparabilis ob rerum humanarum & divinarum scientiam & eloquentiæ præstantiam summæ apud omnes auctoritatis. Ad Consilia diversa vocatus, aliisque Abbatibus prælatus insigniter se probavit & commendavit. Mitram & Pontificalia omnia, multaque Privilegia à summo Pontifice meruit. Debita dissolvit, impignorata redemit, plurima emit, struxit, Bibliothecam ornavit. Conventui in omnibus optimè providit, tandem relictis egregiis virtutum scientiæ & Oeconomiæ monimentis ex Hydrope decessit anno 1495.

32. Michael Eckhardt præfuit annis 22. pessimus Oeconomus, multa bona & vendens & oppignorans, moritur anno 1518.

33. Erasmus Haunperger vir Nobilis genere, non ita rerum administratione & ipse multa debita contrahens, mortuus anno 1538.

34. Matthias Diernhofer vir doctus & artis pingendi apprimè peritus, rexit annis 7. multa dissolvens debita, Monasterio optimè consuluit. Extat etiamnum in veteri Ecclesia altare majus & plures picturæ in sacro ambitu, ab ipsomet artificiosissimæ pictæ. Tandem sponte resignavit.

35. Joannes Heisspeck præfuit triennium & ad Schyrense regimen postulatus resignavit ob nimiam locorum distantiam.

36. Gregorius Labermayer, sexennium præfuit obiitque anno Christi 1556.

37. VVolfgangus Huober præfuit annis octo & mortuus est anno 1564.

38. Paulus Körl Monasterio præstitit annis septem, & vita excessit anno 1571.

39. Erasmus Hösl, nono regiminis sui anno, hoc est 1580. mense Octobri resignavit.

40. Marcus Besch postulatus è S. Udalrici Augustano Cœnobio multa ædificia renovavit, & post annos 7. resignans Abbas in Metten salutatus fuit.

41. Paulus Klocker Administrator Religiosissimus, Oeconomus felicissimus, multa dissolvens debita, mortalitatem exuit anno 1595.

42. Eustachius Sturm postulatus è VVeichstephan à VVolfgango de Hausen Ratispon Episcopo anno 1602. consecratus est, præfuit annis 17. & ea laude ac fructu Monasterii profuit, ut meritò alter Fundator habeatur, obiit 16. April. 1619. ætatis 64.

43. Georgius Eiszapf electus 23. Maji anno 1619. & 22. Junii Ratisponæ confirmatus ac 23. consecratus fuit. Dormitorium novum exstruxit, obiitque undecimo regiminis sui anno, 10. Junii.

44. Andreas Pihler postulatus ex superiore Altaich anno 1631. præfuit unico anno, hinc postulatus in Abbatem Priflingensem, cum paulo ante abitum Antecessoribus duobus insigne ex Pario lapide Epitaphium posuisset.

45. Benedictus Wolff, ex eodem postulatus Monasterio præfuit profuitque annis 30. obiitque anno 1661. festo S. Matthiæ ætatis 73. vir omnibus numeris absolutus, pietate, doctrina Oeconomiæ peritia, rerum gerundarum dexteritate felicissimus.

46. Romanus Edstadler ex gremio electus anno Christi 1661. octavo Novembris & mox sequenti die confirmatus.

47. Rev. Dominus Antonius ex Priore loci Abbas delectus, egregiis à Numine talentis præditus, generosissimorum conatuum, quos bonum secundet Numen, & BB. Burcardi & Erthonis Spiritum conduplicet, Michaelis Erasmi & Eustachii dexteritatem felicitatemque eidem impertiendo.

## MARIENBERG.

Augustiniani Ordinis celebre olim Monasterium prope Helmstadium in Ducatu Brunsuicensi, fundatum anno Christi 1181. à Wolframmo Comite de Kirchberg Abbate VVerthinensi & Helmstadiensi, in Monte B.M.V. inducta eodem colonià virginum ex Monasterio Stattenburg.

## MARIÆ-HORTUS.

Vulgo Mariengartten in Ducatu Brunsuicensi Calenbergio, virginum illustre olim Cœnobium, situm inter Göttingen & Brackenberg, fundatum à Comitibus ab Eberstein. Nec Ordo nec annus Fundationis memoratur.

## MARIENRODENSE.

Virorum Ordinis Benedictini Reformationis Cisterciensis Cœnobium, medio milliari distitum ab Hildesheimensi civitate. Idem superest hodie & à Ducibus Brunsuici possidetur.

## MARIÆ-LACUS.

Vulgo Mariensee virginum Cœnobium in Ducatu similiter Brunsuicensi seu Lunæburgensi, Principatu Calenbergio fundatum anno Christi 1255. à Berendo Comite de VVölpe. In quo usque hodie virgines aluntur.

## MARIÆ-VALLIS.

Sive Marienthal, & ipsum in Ducatu Brunsvvicensi, Principatu VVolffenbüttel. Cisterciensis Congregationis præpotens olim Monasterium, fundatum primitus anno Christi 1138. à Friderico Saxoniæ Palatino, dotatum insigniter à potentissimo Principum Henrico Leone. Unde Religiosi expulsi fuere anno 1569.

## MARIENVVERDER.

Similiter in Ducatu Brunsuicensi (ubi summum semper divinæ Matris colendæ studium ferè prodidit) DEIparæ honori ac nomini structum Cœnobium, uno & dimidio ab Hanovera distitum, quod anno Christi 1114. pro sacris DEO virginibus fundavit Conradus Comes de Roden & VVunstorff.

## MARICOLENSE.

Cujus obiter meminimus, tomo II. Germaniæ, Fundatum à S. Humberto ad Helpram fluvium (non ad Sambrum, ut nonnulli voluere) in finibus Hannoniæ. Abbatum & Rectorum seriem damus:

1. S. Humbertus claruit sub annum Christi 664.
2. S. Cunibertus.
3. Asculphus.

4. Grimoldus.
5. Alpertus.
6. Justinus.
7. Rhodinus tempore Caroli Magni à fratribus postulatus & à prædicto Principe comprobatus, & postquam diu reclamaverat persuasus, Monasterium tanquam alter fundator mire restituit, corpusque S. Humberti post centum quinquaginta annos integrum repertum solemniter elevavit anno 827.

Post obitum Rhodini Nortmannis omnia vastantibus, hoc quoque Cœnobium desolatum, ad varias deinceps manus devenit, donec à S. Gerardo restauraretur anno 1020.

8. B. Richardus Virdunensi, ut verosimile est ex Cœnobio, à S. Gerardo adductus.
9. VValtherus.
10. Arnulphus.
11. Albertus.
12. Joannes.
13. Abraham.
14. Philippus.
15. Hilbertus.
16. Joannes II.
17. Richardus.
18. Anselmus.
19. Adam, de quibus nihil præter nomen.
20. Paschasius Abbas, sub annum Christi 1132. præfuisse legitur.
21. Beatæ mem. Radulphus ex Monasterio S. Quintini è Veromandia postulatus, qui cum ex nimia senecta oculis orbatus esset, nihilominus absque duce aliquo officinas & loca omnia Cœnobii visitare consuevit. Fuit felix lachrymarum dono, quæ subinde magno miraculo repertæ sunt, in lac conversæ, obiit anno Christi 1151.
22. Ægidius sub annum Christi 1170.
23. Radulphus II. superstes 1193.
24. Nicolaus, qui nobis videtur ante Radulphum præfuisse, cum anno Christi 1181. Dedicationi Aquicinctinæ Ecclesiæ adfuisse memoretur, nisi dicatur Radulphus ipsi resignasse, ac dein Nicolao mortuo ad regimen denuo exoratus.
25. Guilielmus de Tornaco.
26. Joannes Hulanus præfuit 1236.
27. Arnulphus, de quo nil præter nomen.
28. VValtherus de Graat, obiit 1260.
29. Nicolaus II.
30. Joannes IV. ex S. Michaelis Therasciæ postulatus DEO & hominibus sese magnis meritis commendavit, mortuus 1293.
31. Godefridus unico anno rebus præfuit.
32. Mauritius, idem Lætiensis Abbas ubi anno Christi 1303. vita excessit.
33. Joannes V. nobili natus progenie sedit ad clavum anno 1323.
34. Lambertus.
35. Henricus.
36. Petrus I.
37. Petrus II.
38. VValtherus. De his omnia obscura.
39. Ægidius viginti, circiter, annis præfuit.
40. Alexander 1375.
41. Gerardus.
42. Paruinus superstes 1390.
43. Henricus Monequin, utiliter præfuit, insigni honoratur Epitaphio, mortuus anno Christi 1418.
44. Henricus Saulier moritur anno 1430.
45. Joannes VI. laudabiliter regimen tenuit annis 53. & biennio ante mortem, ob senium resignavit, obiit 1485.
46. Joannes VII. Gosselet, totum fere de novo struxit Cœnobium, atque insignem inprimis Basilicam, quam variis ornamentis excoluit. Abalienata redemit, rebus optimè consuluit. Maximilianum I. Imp. insigniter demeruit, cui charissimus exstitit, ejusque filiam à Carolo VIII Rege Gall. repudiatam, delusis Francis in Belgium reduxit, obiit feliciter 1523.
47. Petrus Teutonus vere pauperum, viduarum, pupillorum parens, erga DEum eximiæ pietatis, in conservatione rerum Cœnobii inter bellicos motus sedulus, disciplinæ Monachicæ promotor eximius, non sine opinione sanctitatis ad superos migravit anno 1553. Mausolæo insigni in choro honoratus.
48. Balthasar de Nimay, post annos 50. in cœnobio exactos Abbas eligitur, & præest quinquennium utiliter & vigilanter.
49. Christophorus Movedanus longè devotissimus Numini, immature suis præripitur cum multa præclara meditaretur & moliretur anno 1563
50. Fredericus, vir præstantissimus. Ad secretiora Regni consilia expetitus, sedulam tamen suorum curam habuit, disciplinam mirè fovit & promovit, ab omnibus intimè dilectus, suos tantopere etiam dilexit, ut cum Abbas S. Petri Gandavensis eligeretur, suorum amore omnino detrectaverit. Celebris apud omnes in vita & morte, qua ipsa die Parasceveos feliciter decessit, quam in pane & aqua transigere consuevit, & ultimam similiter sic exigere proponens, cum suos rogaret abscedere ut piè aliquid meditaretur, ab regressis repertus est mortuus anno 1599.
51. Alexander de Brisi ex procuratore Abbas laudabilem se præbuit, obiit anno 1619.
52. Nicolaus de la Croix, dum Patronum S Humbertum argenteo scrinio ornare contendit, morte prævenitur anno 1627.
53. Simon Bosquier perfecit Antecessoris colendi Patroni opus, fuitque vir eruditus, obiit 1635.
54. Humbertus Briesset Antiquitatum conquisitor, scripsit librum de Origine & successibus sui Cœnobii, sævientibus bellis mœrore confectus obiit anno 1638.
55. Philippus de la Samme ob. 1645.
56. Alexander de Brollo, modo imperat.

## MIDINGENSE.

Diversum omnino (quod haud procul Dilingua Suevorum visitur & virginum Ordinis Dominicani est) virginum item Cisterciensium Monasterium, in Ducatu Brunsuicensi, fundatum tenuibus initiis à fratre quodam Converso Cisterciensi, inducta ex Monasterio VVolmerstatensi Religiosarum virginum colonia, anno Salutis 1228. magnis inde successibus invalescens, donec cum mutatione Religionis, omnis cum fide antiquitas exploderetur & excluderetur.

## S. MARTINI TORNACENSE.

Benedictini Ordinis elegans in colle quodam prope Tornacum à S. Eligio conditum Cœnobium, ad

ad honorem S. Martini Turonensis Episcopi consecratum, quod in eo colle, paradysi æmulo, dum prædicationi per eam provinciam vacaret, aliquando requievisse, mortuumque suscitasse referretur. Fundatum est anno Christi 650. sive 652. & dente quodam ejusdem S. Patroni Martini ab Eligio donatum, quem omnibus thesauris hic ipse prætulit. Abbatum seriem, imperfectam, ut ex Belgio accepimus damus:

1. Dalieredus ex Turonensi S. Martini Abbatia evocatus, & ne Turones reverteretur à S. Eligio serio monitus, inobediens factus mortem incurrit. Sequuta est paulo post Tempestas Nordmannica, Nordmannis provincias illas invadentibus, ita ut locus etiam iste penè relictus, sæpe paucos, sæpe nullos aleret religiosos, donec ab Odone quodam Aurelianensi Clerico, Regularis disciplina ibidem restitueretur; summa quidem in paupertate, sed magna vitæ perfectione, ita ut paulo post, illecti exemplis nobilissimi quivis, iis sese adjungerent & locum locupletarent. Idem Odo postulatis ex Aquiscinctino Cœnobio Religiosis, factus est Cœnobii Abbas secundus.
2. Odo ex Clerico Monachus & Abbas, admirabili in vitæ rigore suos exercuit, donec Cameracensis Episcopus designaretur.
3. Segardus Abbas Eleemosynarius insignis: famis tempore calices aliaque sacra vasa & ornamenta Ecclesiæ vendidit, ut pauperes juvaret. Sed & jura Ecclesiæ strenuè asseruit, qui senectute demum debilitatus cum tempus mortis instare cognosceret, ipso Natali Domini Missæ in aurora interfuit, & ad gradus Presbyterii deferri se jubens sacro sumpto viatico, delatus in Capitulum, & Conventum solemni benedictione absolvens, ab eoque absolvi efflagitans, inde lectulum suum repetiit & 3. Cal. Jan. anno Domini 1127. religiosissime vitam mortalem exuit.
4. Herimannus genere & moribus Nobilis, eruditione insignis, perfectionis laude excelluit, cumque decennium utiliter præfuisset in paralisim incidens, sponte lituum deposuit, & privatus vixit, cumque convaluisset, à Canonicis Tornacensibus exoratus Romam contendit, & separationem Episcopatus Tornacensis, à Noviomensi impetravit. Inde Hierosolymam pergens ibidem, an in itinere religiosè vitam reliquit. Scripsit sui Monasterii Historiam, quæ usque hodie asservari memoratur.
5. VValtherus ex Canonico Cathedrali Tornacensi Monasterii S. Amandi Monachus, à beatæ mem. Odone sæpe ad Conversionem concitatus, nec tamen persuasus donec gravi infirmitate correptus cucullum amplecteretur, ita deinceps vitam instituens, ut Prioris ibidem munus mereretur. Inde in Abbatem S. Martini postulatus, disciplinam Regularem tanto studio promovit, ut de ipso scribatur Monasterio: Servitur ibi DEO, sicut in diebus antiquis, pari devotione, & ordine districtiori. Fuit summæ æstimationis apud omnes, mortuusque est anno Christi 1163. cujus sepulturæ Episcopi Tornacensis & Laudunensis cum suis Canonicis adfuere.
6. Ivo, incertum quamdiu præfuerit, optimè tamen & ipse rem gessit, & disciplinam promovit.
7. Joannes de Nerig. Vir eximiæ pietatis, ab Hospitalitatis inprimis laude celebratus.
8. Milo ex Monasterio Suessionensi postulatus, Marchionensi etiam Cœnobio cum laude præfuit.
9. Ioannes de Sobrengien; probatæ vitæ Præsul, & pietate egregius celebratur.
10. Amandus. Hic ad restituendas res spirituales & temporales, post bella Philippi Regis rebus Cœnobii iniquiora, *à DEO datus* scribitur. Collapsam disciplinam insigniter restauravit, insigni à morte Epitaphio honoratus.
11. Radulphus pietatis cultor eximius summa prudentia rem Monasterii gubernavit.
12. Ægidius de Cella, egregia Generis nobilitate, sed insigni animi demissione. Multa acquisivit Monasterio, ait Scriptor antiquus, & sibi vitam æternam, anno 1264.
13. Simon Barats, ex Priore S. Amandi hujus loci Abbas, ferventissimus sacri rigoris exactor & promotor. In Quadragesima totus Conventus à vino & piscibus abstinebat, nisi Festum occurrisset. In Adventu & Quadragesima nullus ad Hortum sine licentia Abbatis accedere poterat, alio anni tempore, non nisi diebus Dominicis, Festivis, & feriis 3. & 5. à prandio usque ad Vesperas licebat. Occupabantur omnes pro labore manuum scriptione codicum, unde tantus Manuscriptorum thesaurus Monasterio obtigit, ut Bibliothecarum celeberrima haberetur. Hoc & Affligemiense Cœnobium, ob strictiorem Disciplinam, vulgo Carcer Ordinis dicebantur. Claruit Simon anno 1267.
14. Joannes Carpentier à disciplina remittens, paulo post temporalibus quoque deficientibus, regimine cessit anno 1307.
15. Jacobus de Insula, non nisi unico mense præfuit, cedens fastidio debitorum.
16. Ægidius de Normania, calices aliaque sacra distraxit ut modico victu Religiosos aleret. Exauctoratus cessit.
17. Theodoricus de Parco, Abbas ante Ægidium electus, sed rejectus, nunc iterum per denunciationem Papalem reassumptus, ob promissa Apostolicæ Cameræ nec soluta excommunicatus vita excessit, & ad tempus sepultura caruit.
18. Ægidius Limussi post varias vexationes à Rom. Pont. confirmatus, Monasterium debitis aggravatum generosè sublevavit & auxit. Reliquit etiam non pauca præclari ingenii in scriptis monimenta, obiitque anno 1355.
19. Jacobus Menain, vir purissimæ vitæ, & diligens disciplinæ conservator, obiit 1370.
20. Joannes Gallot decorem Domus DEI diligens ornamenta templi pretiosa & thecas SS. Reliquiarum splendidas fieri curavit.
21. Petrus Monton ab Antipapa Clemente VII. confirmatus, postquam annis aliquot pie & utiliter præfuisset, voluntariè abdicavit anno 1404.
22. Arnoldus Soret ab Episcopo Tornacensi denominatus ex compromisso & consensu Conventus, annis 22. ad clavum sedit.
23. Robertus du Busquiel, Abbas electus, ante Benedictionem mortalibus valedixit.
24. Simon de Guilegnies sævientibus undique bellis, solertissimus rerum Monasterii assertor, morte præoccupatur anno 1448.
25. Nicolaus usum mytræ impetravit, ipse tamen uti noluit, rem domesticam plurimum auxit, quievit in senectute bona anno Christi 1489.

26. Ni-

26. Nicolaus Flameng Antecessoris nepos, Abbas etsi contradicenti Conventu, effectus, multa ad utilitatem & decorem instituit, Bibliothecam exstruxit, præcipua Ecclesiæ ornamenta comparavit, suisque & scientia & pietate præluxit, obit anno 1510.
27. Joannes du Bos, insurgente ob malam rerum administrationem in ipsum toto Conventu, resignat Abbatiam Cardinali de Rossis.
28. Ludovicus de Rossis S. R. E. Cardinalis Abbas Commendatarius, non multo post Romæ ex vivis decessit; inde Leo X. ad hanc conferendam Abbatiam occasionem sumpsit.
29. Julius Cardinalis Tit. S. Laurentii denominatur Abbas, mox electus Rom. Pontifex & Clemens VIII. appellatus, cessit Abbatiam Joanni Cardinali, contra hunc Conventus elegit sibi Hermannum Chenalet, sed prævaluit Cardinalis, consentiente Carolo V. Imp.
30. Joannes S. R. E. Cardinalis, temporalia Monasterii sæcularibus credidit, illosque providere Religiosis voluit, Inde vita communis periit, unoquoque juxta viam & placitum suum pessimè ambulante.
31. Jacobus le Quien, (exauctorato quem Conventus elegerat, Priore) à Carolo V. obtrusus Monasticam quidem disciplinam restituere conatus, quia extraneus fuerat nihil profecit.
32. Joannes de Quesne vir Religiosus & sobrius, adeo munificus in pauperes, in omnes beneficus erat, ut neminem tota urbe reperires, qui non ejus beneficentiam expertus deprædicaret. Multa à Geusiis perpessus, morte denique felici vitam finiit, post majoris Missæ officium in Choro, & inter divina officia, quibus semper intererat animam DEO reddens, anno 1582.
33. Jacobus de Marquais ex Priore Vedastino hujus loci Abbas meritissimus, toti Ordini verbo & exemplo præfuit, non minus ab eruditione quam Religione celebratus, Historicus sui temporis præclarus; compunctionis, ut sacri vocamus, dono à Numine donatus, rigidus sui corporis tortor, disciplinæ exactissimus promotor, quem viri maximi plurimum suspexerunt & commendarunt Illustrissimi Guilielmus Lindanus Ruræmundensis & Joannes Vendevillius Tornacensis Episcopi. Jansenius præterea & Cuickius Lovaniensis Universitatis columina, Baronius item aliique. Fuit Decoris Domus DEI diligens admodum, suamque Basilicam insigniter excoluit. Vasa aurea & argentea pro Sacris Reliquiis pretiosissima comparavit, Reconditorium ven. Sacramenti admirabili opere exornavit, vitamque denique stupenda in infirmitatibus patientia coronans sancto fine complevit anno 1604.
34. Petrus Loyers, magni & ipse nominis, tantique ut honore Episcopali dignus haberetur. Locupletavit Cœnobium insigni Sacrarum Reliquiarum thesauro, & meritis plenus mortalitatem exuit anno 1622.
35. Antonius Roore, Iacobi de Marquais, dignissimus tanto Magistro, discipulus, Religione & devotione præcipuus, disciplinæ Monasticæ & rei litterariæ promotor insignis extitit. Bibliothecam splendidam à fundamentis struxit, quam etiam innumeris penè libris auxit. Biennio ante obitum Coadjutorem sibi junxit, qui temporalia curaret, totum se in divina effundens, & ad mortem præparans, qua & feliciter decessit anno 1655. in Vigilia S. Thomæ Apostoli, sub quartam matutinam se lectulo proripiens & in genua procidens, ut cor suum in conspectu Domini inter ardentes preces effunderet, quas inter phlegmate oppressus, quietissime spiritum exhalavit, regiminis anno 33.
36. Petrus Cazier scientia & pietate cultissimus, regularis observantiæ usque hodie feliciter satagit, quem optimum Numen diu sospitet.

Asservatur in hoc Cœnobio, alias inter SS. Reliquias Caput S. Eleutherii Tornacensis Episcopi. Item S. Eligii Fundatoris magna pars S. Corporis. Brachium S. Aiberti cum parte manus, una costa & vertebra. Dens S. Martini ab ipso Fundatore S. Eligio loco donatus.

Inter Scriptores hujus Monasterii celebrantur: Herimannus Abbas qui Chronicon Monasterii scripsit, multis additis, quæ Belgii Historiam plurimum exornent: Ægidius Lymuisi qui observantias antiquas Cœnobio collegit suique temporis Historiam connotavit. Ven. Odo Librum de Blasphemia aliaque plura edidit. Alulphus insigne opus ex operibus Magni Gregorii concinnavit quod & Gregorianum inscripsit, quod Parisiis impressum fuit anno 1516. Ambrosius VVoastiner Ius Canonicum versibus est complexus. Matthæus Fedati hujus item loci Asceta. Iuris Canonici Parisiis Professor, in quinque libros Decretalium eleganter scripsit. Iacobus de Marquais alia inter insignem in Regulam S.P.N. Commentarium edidit.

## MARTYRUM SIVE S. MARIÆ AD MARTYRES MONASTERIUM TREVIRENSE.

De Monasterii hujus Abbatibus satis tomo II. Germaniæ nostræ, & quædam de SS ejusdem felicissimi loci Reliquiis, quarum distinctiorem inde interea Catalogum accepimus, & hîc dandum censuimus:

### RELIQUIÆ DE SALVATORE NOSTRO JESU CHRISTO.

1. Particula de ligno Crucis Dominicæ.
2. Notabilis particula, de alba, in qua illusus ab Herode fuit, veste, ad longitudinem unius ulnæ Trevirensis, latitudine ulnæ dimidiæ.
3. De purpureo vestimento seu clamyde.
4. De spongia quæ in Cruce potatus est.
5. De Sudario.
6. De Syndone.

### RELIQUIÆ DE BEATISSIMA MATRE VIRGINE.

1. Sacra ejusdem Toga à S. VVillibrordo allata & dono data, quæ modo in ædibus Monasterii intra civitatem, pro majore securitate, asservatur.
2. De Ipsius peplo.
3. De Ejusdem Sepulchro.

### DE SS. APOSTOLIS.

De SS. Paulo, Andrea, Jacobo Majore & Minore. Matthæo, Philippo, Bartholomæo, De SS. Evangelistis Luca & Marco.

### DE SANCTIS MARTYRIBUS.

1. S. Pontiani clarissimi Martyris caput integrum.
2. De capite S. Viti, & ossa aliquot ejusdem pretiosissima.
3. S. Gordiani Martyris præstantissimi caput, & de corpore ac vestibus ejus.
4. De S. Epimacho pars capitis, & de camisia ipsius sacro sanguine tincta.
5. De SS. Innocentibus ab Herode interfectis.
6. S. Alexandri Papæ & Martyris brachium.
7. De brachio S. Vincentii.
8. De S. Laurentio præclarissimo Martyre.
9. De capite S. Mauritii.
10. De S. Felice Papa & Martyre.
11. De S. Dionysio Episcopo & Mart.
12. De S. Blasio Episc. & Martyre.
13. SS. Erasmi & Valentini Mart.
14. Floriani & Cromatii Mart.
15. S. Stephani Protomartyris.
16. SS. Sebastiani & Tyburtii Mart.
17. S. Urbani Papæ & Martyris.
18. S. Ignatii Episcopi & Martyris.
19. Prothi & Hyacinthi Martyrum.
20. Cosmæ & Damiani Martyrum.
21. S. Quirini clarissimi Martyris.

### DE SANCTIS CONFESS. PONTIF.

1. S. VVillibrordi Fundatoris altare portatile, itemque de ejus pallio & sandaliis.
2. De capite S. Germani Episc.
3. De S. Gregorio Papa.
4. De SS. Paulino, Valerio, Agricio & Materno Episcopis.
5. De SS. Martino & Nicolao.
6. De SS. Euchario Medardo & Luthvvino.
7. De SS. Ambrosio & Bertholdo.
8. De Casula S. Remacli.
9. De SS. Fortunato & Servatio Episcopis.

### DE SS. CONFESSORIBUS NON PONTIFICIBUS.

1. De Sanctissimo Patre & Patriarcha nostro BENEDICTO.
2. De S. Bernardo Doctore mellifluo.
3. Mandibula S. Alberti Confessoris.
4. S. Simeonis eremitæ.
5. SS Celsi Leonardi & Flodulphi Confessorum.
6. S. Beati Confessoris digitus.
7. S. Kindeuvini Regis Confessoris.

### DE SS. VIRGINIBUS ET MARTYRIBUS.

1. De SS. Catharina & Margarita.
2. De Ossibus & capillis S. Barbaræ.
3. De SS. Lucia & Cæcilia, &c.

### DE SS. VIRG. NON MARTYRIBUS ET DE SS. VIDUIS.

1. De S. Anna Matre felicissima DEIparæ Virginis.
2. De S. Helena Regina.
3. De S. Cholastica sorore B. P. N.
4. De S. Elisabetha.
5. De S. Gundelinda Virgine & Abbatissa.
6. De S. Modesta Virgine.
7. De S. Othilia Virgine.

Præter has modo specificatas habentur adhuc plura sacris Altaribus inclusa sacra capita, & in diversis Ecclesiæ locis, maximè autem puteus SS. Martyrum Trevirensium Reliquiis ferè plenus esse creditur, qui tamen ab hominum memoria nunquam fuit apertus, nec dubitatur totus hic locus SS. Martyrum Trevirensium sanguine irrigatus, unde & Martyrum, sive S. MARIÆ ad Martyres nomen meruit. Ex Catalogo ab Rev. Domino Abbate ibidem, communicato.

## S. MATTHIÆ APOSTOLI PROPE TREVEROS.

Benedictini Ordinis hoc etiam Monasterium Sanctissimarum Reliquiarum memorabili Thesauro felicissimum, de cujus Fundatione & Abbatibus prolixe egimus Tomo II. Germaniæ nostræ, modo communicatum nobis SS. Reliquiarum Catalogum proponimus:

### SS. DE CHRISTO SERVATORE RELIQUIÆ.

Inprimis nobilissima & spectatissima pars Crucis vivificæ, composita per modum duplicatæ crucis; cujus longitudo sive altitudo totam ulnam Trevirensem, alæ vero mediam adæquant, & per totum duos pollices lata & unum crassa est.

2. Particula vestis albæ qua Christus ab Herode vestitus & illusus est.
3. Particula vestis purpureæ in qua post flagellationem in domo Prætidis illusus fuit.
4. Pars aliqua de Corona Domini.
5. Pars lanceæ qua SS. latus transfixum fuit.
6. Pars sudarii qua benedicta facies ejusdem in sepulchro velata fuit.
7. Pars spongiæ ex qua potus ipsi propinatus.
8. Pars columnæ in qua flagella sustinuit.
9. Binæ particulæ de sacro præsepio.
10. De fasciis quibus à B. M. V. involutus fuit.
11. De cultro, quo ipse Dominus usus fuit.
12. De cunis ejusdem.
13. De petra in qua Crux constitit.
14. Duæ particulæ de SS. Sepulchro.
15. De flagellis quibus est flagellatus.
16. De petra in qua constitit dum Lazarum à mortuis resuscitaret.

### RELIQUIÆ DEIPARÆ VIRGINIS.

1. De Sacris ejus & virgineis capillis.
2. Diversæ ejusdem Reliquiæ cristallinæ capsæ inclusæ asservantur.
3. De Tunica ejusdem.
4. De Pallio ejusdem.
5. De Camisiis ejusdem.
6. De peplo ejusdem, valdè nobiles particulæ.
7. De loco, in quo ab Angelo salutata, & Incarnatum Verbum Divinum fuit.

### DE SANTCIS APOSTOLIS.

1. Integrum corpus Sanctissimi Matthiæ Apostoli (excepta maxima capitis parte) quod hîc pientissimè colitur, & magno concursu frequentatur.

2. S. Philippi Apostoli corpus, non quidem integrum, sed ultra dimidium; quorum tantorum Apostolorum tanto thesauro, non Monasterium solummodo istud, sed tota sibi Germania, & Ordo Benedictinus, haud minus quam de SS. Petro & Paulo Roma, haud immerito plurimum gratulantur, eoque magis, dum infinita & per orbem penè universum comprobatissima B. Matthiæ hoc loco patrocinantis miracula considerentur.
3. Particula de vestimento Principis Apostolorum Petri. Item corrigiâ una calceamentorum ejusdem. Item de capillis cum nonnullis officulis ejusdem.
4. De S. Apostolo Paulo quatuor particulæ cum dente uno.
5. Brachium dimidium S. Andreæ Apostoli cum aliis aliquot particulis.
6. De S. Thoma Apostolo articulus digiti cum dente & aliis particulis.
7. De cute S. Bartholomæo detractâ cum aliis aliquot ossibus.
8. Particulæ aliquot de SS. Jacobo Majore & Minore Apostolis.
9. Binæ particulæ de S. Apostolis Simone & Juda Thadæo.
10. Particulæ aliquot de SS Barnaba Apost. & SS. Marco & Luca Evangelistis.

## DE SANCTIS MARTYRIBUS.

De S. Joanne Baptista Præcursore Domini aliquot sacra ossa. Pars cilicii ejusdem.
Brachiolum unum cum carne, cute ossibus & unguibus, unius ex Innocentibus ab Herode interfectis.
Caput S. Blasii famosissimi Sebastensis Episcopi & Magni Martyris integrum cum inferiore etiam mento.
Brachium S. Georgii Martyris, invictissimi Christi Militis.
Notabilis pars de S. Stephano Protomartyre.
Item de S. Clemente Papa & Mart.
Item de SS. Laurentio & Sebastiano.
Brachium integrum S. Lazari Marsiliensis Episcopi à Christo resuscitati, fratris SS. Mariæ Magdal. & Marthæ, pretiosa capsa inclusum, cum aliis ejusdem particulis.
Notabiles particulæ de SS. Stephano & Cornelio Rom. Pontificibus & Martyribus.
Notabiles particulæ de SS. Mauritio, Vincentio, Cosma & Damiano Martyribus.
Diversæ Reliquiæ de SS. Mart. Thebæis.
Item de S. Dionysio Areopagita.
De S. Ignatio Episcopo Antiocheno & Martyre.
De S. Bonifacio Episc. Mogunt.
De S. Paulino Episc. Trever. & Mart.
Magna particula de S. Lamberto Leod. Episc.
De S. Valentino Episc. & Mart.
De SS. Mart. Trevir. Justo & Magno qui hic sepulti fuere.
De S. Thoma Cantuar. Episcopo & Martyre.
De S. Hippolito S. Laurentii discipulo.
De S. Osvvaldo Rege & Mart. aliquot ossa cum cingulo ejusdem, per quod magna parturientibus obveniunt beneficia & miracula.
De S. Gangolpho dens unus cum aliis nonnullis ossibus.
De S. Quirino duo magna ossa, quibuscum aqua benedicitur plurimum salutaris infirmis.
De linteo cui involutum fuit corpus S. Albani Martyris.
De S. Pancratio aliquot particulæ cum dente uno.
De SS. Servatio, Fortunato & Theodoro Mart.
Item de SS. Christophoro, Pantaleone, Cyriaco, Largo & Smaragdo.
Tres tibiæ, costa una, & pars de spina dorsi Martyrum Trevirensium.

## DE SS. CONFESSORIBUS.

Corpus integrum S. Eucharii primi Trevirensis Episcopi, discipuli S. Petri Apostolorum Principis, Magni Archiepiscopatus & totius Germaniæ Tutelaris.
Insignis pars corporis S. Valerii Trevirorum secundi Pontificis, similiter Principis Apostolorum discipuli, cujus corpus, majorem partem, meruit Henricus II. Imp. pro recens à se structa Goslariensi Ecclesia, magnæ tamen etiamnum partes hoc loco asservantur.
Major pars corporis S. Materni eorumdem socii, tertiique Treverorum Episcopi, in theca auro argentoque cultissima, ossa enim nonnulla Metropolitanæ concessa jam olim fuerunt Ecclesiæ.
Corpora Sanctorum Celsi & Modesti Treverensium item Episcoporum.
Brachium cum aliis SS. Reliquiarum particulis, S. Agritii Trevirorum Episcopi.
Magna pars corporis S. Cyrilli Archiepiscopi Trevirensis & hujus Ecclesiæ conditoris.
Partes quædam S. Modualdi Trevirorum similiter Archiepiscopi.
De S. Sylvestro Papa & Confessore.
De S. Gregorio Magno & Ecclesiæ Doctore.
De SS. Ambrosio, Augustino & Hieronymo Magnis Ecclesiæ Doctoribus.
Notabilis particula de S. Bonaventura Ord. S Francisci Doctore & S. R. E. Cardinale.
De SS. Servatio, Huberto & Germano Episcopis partes notabiles.
De SS. Clemente Metensi & Pirminio Meldensi Episcopis.
De S. Martino Turonensi Episc.
De S. Nicolao Mirensi Episcopo.
Notabilis pars de S. Maximino Treverensi Episcopo cum capillis ejusdem.
De SS. VVillibrordo Ultrajectensi, & Medardo Tornacensi Episcopis.
De S. Auctore Treverensi Archiepiscopo & Confessore.
Integrum fere mentum inferius S. P. N. BENEDICTI & pars de scapula ejusdem sed & pars vestimenti.
Præcipua pars capitis S. Ægidii Abbatis cum alia particula de eodem.
Pars capitis S. Bernardi Abbatis.
Pars de spina dorsi S. VVendelini Abbatis.
De SS. Alexio & Simeone.

## DE SANTCIS VIRG. ET VIDUIS.

Corpus pretiosissimum S. Seneræ Virg. & Abbatissæ, quæ soror fuit S. Modualdi Archiep. Brachium cum magna parte corporis S. Marthæ Virg. sororis SS. Mariæ Magdalenæ & Lazari.

Item

Item dens S. Ursulæ Reginæ Mart. cum aliis ejusdem particulis.

Item de SS. Agatha, Apollonia, Agnete, Lucia, Barbara, & Balbina Virg. & Mart.

Item de S. Helena Magni Constantini Matre, quæ Ecclesiam hanc magna ex parte tanto Reliquiarum thesauro locupletavit.

Item de S. Elisabetha Ungariæ Regina aliquot particulæ, & de vestibus ejusdem.

Item S. Hildegardis virginis & Abbatissæ velum & corona, quibus Sacræ Communionis tempore uti consueverat.

Item de capillis ejusdem.

Reliquiæ de S. Kunegunde Regina & Virgine.

Item de S. Irminæ Virg. Abbatissæ.

Item de SS. Regina & Brigitta.

Item de S. Elisabeth S. Joan. Bapt. matre.

Item de B. Anna Christi avia.

Item velum cum particula vestimenti & nonnullis ossibus S. Mariæ Magdalenæ.

Item particula memorabilis de Reliquiis S. Scholasticæ.

Et hæ quidem nominatæ Reliquiæ potissimum pretiosis ac elaboratis Hierothecis atque capsis inclusæ, populo certis anni temporibus visendæ & colendæ exponuntur. Nihilominus aliæ plurimæ asservantur, quæ quia cùm altaribus tum Tumbæ S. Matthiæ permagnificæ inclusæ sunt, non ita facilè patent oculis, etsi omnes merito magnam tam felici Cœnobio reverentiam concilient & majestatem.

## MESSINENSE.

Virginum Benedictinarum illustre in Flandria Cœnobium, quod anno Christi 1065. Adela filia Roberti Francorum Regis, uxor Balduini Pii Flandriæ Comitis fundavit, mortuoque marito Romam profecta Sacro velo amicta, inde rediens in suo Cœnobio vitam religiosissime exegit, anno Christi 1079. mortalibus valedicens. Extitit in idem Cœnobium liberalis Balduinus Adelæ maritus dum viveret. Sed & Robertus Frisius aliique Comites Flandriæ, qui in locum valdè benefici extitere. Abbatissarum Syllabum subjiciamus:

1. Frisildes prima Messinensis Abbatissa præfuit annis decem, obiit anno 1075.
2. Nathalia, sub qua Robertus Frisius Comes Flandriæ, tempore Philippi Regis Franciæ multa Cœnobio bona contulit, præfuit annis 26. obiitque anno 1101.
3. Ogina Abbatissam annis 40. egit, fuitque filia Roberti Frisonis seu Frisii Flandriæ Principis, qui ejus contuitu Monasterium plurimum locupletavit. Ipsa obiit 1141.
4. Relides sive Relindes præfuit annis 22. & ab Eugenio Papa impetravit Confirmationem omnium bonorum Monasterii. Vita excessit anno 1163.
5. Beatrix Monasterio præstitit annis 18. obiitque anno salutis 1181.
6. Agnes & ipsa annos octodecim regimen tenuit, & vita excessit anno 1199.
7. Elisabetha filia Theodorici dicti de Alsatia Comitis Flandriæ, soror Philippi Comitis, præfuit annis 25. cui pater ac frater plurimum faverunt, obiit 1224.
8. Agnes de S. Audomaro rexit Cœnobium annis 22. mortua anno 1246.
9. Margarita de Cresti præfuit annis 32. obiitque anno 1278.
10. Joanna de Cre - - præstitit Monasterio annis 23. decessitque anno 1310.
11. Relides d' Aussy annos quatuor gubernavit, vita excedens anno 1315.
12. Margarita Merbecana annis 28. Extincta anno 1345.
13. Beatrix - - - - - - præfuit annis 27. valedixitque mortalibus anno 1370.
14. Margarita Dontre filia Castellani Iprensis, rexit annis 16. obiit 1386.
15. Guilielma de Louuingnen. Abbatissam egit annis 31. defuncta anno 1417.
16. Isabella de Steenlandt, præfuit annis 23. decessit anno 1440.
17. Anna de Craon, gubernavit Cœnobium annis viginti sex obiitque 1466.
18. Jacobea Hasebroicaná, sub cujus regimine illustrissimum Monasterium anno Christi 1477. 1. Sept. Monasterium à Francis combustum fuit.
19. Agnes de Helfaull resignante Jacobea in Antistitam electa annis 33. in resuscitando è cineribus Monasterio plurimum laborans anno 1510. decessit.
20. Isabella de Morbecke quinque solummodo annis sedit, mortua 1515.
21. Joanna de Cristella ab anno 1515. ad usque annum 1560. laudabiliter rebus præstitit annis 45. nomen apud suos relinquens immortale.
22. Jacobea d' Hennin consecrata à Suffraganeo Cameracensi 16. Junii anno 1561. Excessit è vivis 18. Decembris anno 1594.
23. Antonia de Sanct Omer dicta Moorbecke præfuit annis 15. obiitque 1609.
24. Joanna de Balliencourt; non multo post resignavit, cum paucis annis præfuisset.
25. Anna de Anthein consecrata anno 1618. Rebus nuperrime etiamnum præstitit.

## METTENSE.

Benedictini Ordinis in Bavaria, de quo tomo I. Constantiæ. Abbates Hundius dedit, quibus adjiciendi sequentes sunt, communicatione admodum R. P. Romani Scheffler Prioris ibidem meritissimi:

Joannes Nablas Lauterbacensis Bavarus è S. Emmerammi ad Mettense postulatus 1. Sept. anni 1595. qui postquam laudabiliter præfuisset annis 28. à suis Confratribus electus fuit Abbas S. Emmerami anno 1623. 16. Novembr. rexitque insimul utrumque Monasterium annis 4. & 11. mensibus, resignans Mettensem Abbatiam liberrimè anno 1628. mortuus demum ad S. Emmerami anno 1639. vir à rebus præclare gestis, & paterno in omnes amore commendatissimus.

Joannes Christophorus Guottknecht Schaurensis Suevus, vices sui Antecessoris sustinuit annis quinque, inde in Abbatem electus 16. Oct. anni 1628. ob insignem prudentiam ab Amplissimis Provinciæ statibus inter Deputatos adscriptus. Inchoata ab Antecessore ædificia providus Oeco-

nomus absolvit, novamque toti Monasterio faciem impertiit, annis demum 16. & duobus mensibus laudabilissimo regimine exactis, juxta etimologiam sui Nominis, verè *fidelis servus & prudens* ad gaudium Domini sui æternum evocatus est festo S. Mauri, anno 1645.

Maurus Laterius postridie S. Mauri, & obitus sui Antecessoris ipso anno 1645. electus, quinquennio post, labores domesticos pertæsus, Abbatiale munus liberè resignavit 21. Novemb. 1650.

Augustinus Gerlstetter Deggendorffensis Bavarus in Abbatem eligitur anno 1651. die 7. Martii, diem vero fatalem habuit 4. Martij anno 1658. postquam benè rexisset annos sex, menses undecim.

Joannes Jacobus Schleich Schvvarzachensis Bavarus in Præsulem à suis coaptatus fuit 21. Maji anno 1658. Cui DEus opt. Max. omnia ex animi sententia, summo Monasterii bono largiatur.

Quiescit in hoc Monasterio, præter alias Sanctorum Reliquias, corpus B. Utonis primi Incolæ & Abbatis Metensis lapideo sepulchro conditum, magnamque habet venerationem. Fons vero ejusdem non procul à Monasterio scaturiens infirmis salubris visitur, & plurimum frequentatur.

## S. MICHAELIS ANTVVERPIENSE.

PRæmonstratense elegantissimum in urbe Antwerpiana Cœnobium conditum anno Christi 1123. quarto anno Conditi à Divo Norberto Ordinis, in loco Fani Martis, quod jam olim S. Humbertus sacris expiatum S. Michaelis Archangeli honori consecrasse memoratur, duodecim deinceps Canonicorum Collegio adjuncto, beneficio Godefridi Bullonii primi deinceps Hierosolymorum Regis, antequam Itineri sacro se committeret. Meruit postea Ecclesiam hanc, dignissimum laborum suorum in urbe Antwerpiensium præmium S. Norbertus, & in Abbatiam erigi impetravit, cum loco aliquamdiu ipsius utilissimè præfuisset. Abbates recensemus.

1. Post B. Norbertum primum sancti loci parentem, institutus est Abbas I. VValtmannus, anno salutis 1123 sepultus in navi Ecclesiæ cum hac inscriptione: Hic jacet Dn. VValtmannus, primus Abbas hujus Ecclesiæ qui obiit anno Domini M.C.XXXVIII. XVII. Cal. Maji orate pro eo.
2. Emelinus præfuit annis 16. & vita excessit anno 1161. 29. Septembris.
3. Alardus Abbas tertius unico tantum anno præsedit, mortuus 1. Sept. 1162.
4. Tibaldus annos novem tenens regimen, ultro resignavit.
5. Richardus octodecim annis ad clavum sedens & ipse resignat.
6. VValtherus de Stripen anno Christi 1188. electus præfuit annis 4. obiitque 1192.
7. Elias annis 7. præstitit, mortuus anno 1199. 24. Decembr.
8. Giselbertus sexennium præfuit & resignavit, mortuus 1205. 6. Oct.
9. Hugo triennium præfuit, extinctus anno 1208. 7. Januarii.
10. Arnoldus de Erpse, qui cum novennium præfuisset postulatus & electus Abbas fuit in Monasterio *Bona Spes*, ubi undecim annis supervixit.
11. Hermannus, sive Germanus, præfuit annis ... obiit 1230. Kal. Julii.
12. Sigerius præfuit 5. solùm mensibus obiitque eodem anno 1230. 24. Novemb. Inde revocatus à Bona Spe Arnoldus secundo regimine annos 8. præfuit & resignavit.
13. Eggerius creatus anno 1239. quinquennium præfuit mortuus 31. Januarii 1244.
14. Gerardus de Lyra rexit S. Michaelis annis 14. mortuus anno 1258. 4. Id. Junii.
15. Joannes I. dictus de Lyra præfuit annis 13. obiitque 11. Novemb. 1272.
16. Michaelis Abbas fuit Ægidius de Bierulier creatus anno 1271. cumque septennium præfuisset postulatus est Abbas in Præmonstrato, summumque egit totius Ordinis Magistratum annis tribus. Postea resignans vita excessit 16. Julii Anno 1286.
17. Henricus de Mechlinia creatur anno 1278. rexit annis 22. & 6. mensibus, ac vita excessit anno 1300. 6. Octobr.
18. Godefridus de VVaerloos, obiit 11. Januarii anno 1321.
19. Guilielmus de Bruxella dictus Cabeliau, præfuit annis 12. mensibus novem, obiit anno 1341. 25. Novembr.
20. Guilielmus II. Limxiaes, vir laudatissimus, obiit 11. Octobr. anno 1353.
21. Martinus Leviis sive Loys, creatus 1354. obiit 26. Jan. anno 1372.
22. Guilielmus Bruylocht, sive Brulocht obiit ult. Octobr. anno 1390.
23. Petrus Breem aliis Breen Antvverpianus, præfuit annis 23. obiit 22. April. 1413.
24. Olardus sive Alardus Terlinck, præfuit annis 38. mensibus 10. obiit 6. Sept. 1452.
25. Joannes II Fierckens Antvverp. vir æterna memoria dignissimus, præfedit annis 23. mortuus 19. Januarii anno 1476.
26. Andreas Æechtenryt de Hoochstraden, vir laudatissimus, præmaturè suis eripitur cum vix biennium præsedisset, obiit Mechliniæ 14. Dec. 1478.
27. Joannes III. cogn. Robyns Mechliniensis electus 1479. & ipse laudatissimus Præsul præfuit annis 8. obiitque 17. Julii anno 1486.
28. Joannes IV. cognomento de VVeerdt, qui insigni arte cælata Chori sedilia confici curavit, promotor litterarum, obiit 1499.
29. Jacobus I. cogn. Elsacker, præfuit annis 6. mensibus 5. observantiæ Regularis promotor sedulus. Vita excessit 28. Sept. 1505.
30. Jacobus II. cogn. Embrechts Turri Ecclesiæ fastigium imposuit, ob. 19. Julii 1514.
31. Stephanus à Thenis Hoochstratanus. Moritur 9. Novembr. 1518.
32. Cornelius de Mera præfuit annis fere viginti, variis malis bellorum aliisque exercitus, sibi perpetuo constans, pauperum pater liberalis, obiit 26. Jan. 1538.
33. Gregorius de Dagis, electus 1. Febr. 1538. obiitque Nonis Junii anno 1562.
34. Cornelius II. cogn. Emerici, unicum annum præfuit & paulum supra mensem, mortuus 26. Feb. anno 1563.
35. Guilielmus IV. cogn. Greue, vitæ mortali valedixit 25. Sept. anno 1581.
36. Emmericus Andreæ præmature suis ereptus 31. Augusti 1590.

37. Dio-

37. Dionysius Feyten eximiæ Virtutis Antistes, multa ab Hæreticis perpessus, ætate gravis & moribus præfuit annis 19. obiitque 1612. Id. Sept.
38. Christianus Michaelius creatus 28. Febr. 1613. obiit 5. Martii 1614.
39. Matthæus Irselius creatus Abbas 27. Maji 1614. æt. 72. præfuit annis 15. mense uno, obiit 1629. ætatis 88. cum Basilicam variis ornasset operibus.
40. Joannes Chrysostomus van der Sterre Buscoducensis optime meritus præfuit annis 23. Mortuus 28. Julii anno 1652.
41. Norbertus van Couvveruen, electus 21. Dec. 1652. superest etiamnum.

## MICHAEL-STEIN.

SAcræ Familiæ Cisterciensis florentissimum olim Cœnobium in Brunsuicensi Ducatu, in Comitatu Blanckenburgio fundatum anno Christi 1151. & insigniter dotatum à Comitibus Blanckenburgiis, hodie Principibus paret.

## MINDENSE IN INSULA.

BEnedictini Ordinis celebre Monasterium prope Mindam in Insula fundatum à ven. Brunone Mindensium XVI. Episcopo, cum consensu Henririci III. Imp. & consecratum ad honorem DEI, DEIparæ, S. Crucis, S. Michaelis totiusque cœlestis militiæ, & specialiter sub nomine S. Mauritii & sociorum Martyrum, anno 1042. Vita excessit Fundator 4. Idus Febr. anno 1055. Dotavit insigniter Monasterium Egilbertus Episcopus XVII. ut & nobilis quidam Dynasta nomine Mirabilis. Catalogum Abbatum hic habes.

1. Meginvvardus.
2. Hurico.
3. Albertus.
4. Odelbertus.
5. Frerebernus.
6. Harderadus.
7. VVulferus.
8. Henricus postulatus ex Bursfeldia & anno Christi 1153. hinc postulatus in Episcopum Mindensem, egregia sui nominis relicta memoria, à morte in suo Bursfeldensi Cœnobio sepeliri elegit.
9. VVilhelmus Abbas.
10. Thetfridus Abbas.
11. Henricus eo nomine II.
12. Bernardus.
13. Nicolaus.
14. Ernestus.
15. Gerlacus.
16. Lippoldus.
17. Sigevvinus.
18. Arnoldus.
19. Gerhardus.
20. Rodolphus.
21. VValtherus.
22. Rodolphus II.
23. Ritzerus.
24. Ludolphus.
25. Joannes cognomento Berch.
26. Fridericus, Iste manum suam misit ad fortia & Monasterium S. Mauritii de Insula & Civitatem Mindensem & Ecclesiam S. Simeonis transtulit anno 1435. ope VVulbrandi Mindensis Episcopi, cum nimium ab aquis Religiosi molestarentur & magna damna sæpius acciperent.
27. Joannes Coiyn postulatus ex Bursfelden, Reformationem introduxit anno 1451. per Nicolaum de Cusa Cardinalem Legatum à latere Nicolai V.
28. Joannes Stychte.
29. Joannes Zegen.
30. Conradus Purtych.
31. Gerardus de Reys, quintus post Reformationem Abbas.
32. Henricus Keppelen, à Mindensibus Hæresi infectis, summam per injuriam Cœnobio exturbatus & spoliatus exul Rintelii decessit sepultus in S. Jacobi ibidem 1537.
33. Hermannus Dauensperg, & ipse Rintelii mortuus ac sepultus anno 1540.
34. Albertus VVerensich, obiit in Oldendorp.
35. Joannes de Pruto electus Rintelii anno 1540. ibidem resedit ad usque annum 1552. Obiit Mindæ anno 1571.
36. Joannes Franche. Hic bona Monasterii dilapidavit & ære alieno septuaginta quinque millium talerorum se obstrinxit, obiitque in carcere 6. Julii in Dominica qua legebatur Evangelium: Redde rationem Villicationis tuæ, mane mortuus inventus anno Christi 1592.
37. Andreas Moltzfeldt, postulatus ex S. Godehardi Hildesheimensi, qui calamitates Monasterii Mindensis intuitus, ad suum rediit Monasterium atque ibidem obiit.
38. Andreas Grunevvaldt, anno 1614. Administrator constitutus obiit anno 1624.
39. Joannes Mellin postulatus anno 1626. vita excessit anno 1636.
40. Henricus Hulshorst postulatus ex Mariæmunster anno 1637. 13 Decemb. aliquot annis à præsidio Suecico prohibitus suum adire Monasterium, tandem pacificatione Monasteriensi via aperta, cum suam ad tantas restaurandas ruinas insufficientiam agnovisset in Capitulo annali Gladbacensi liberrime resignavit.
41. Joannes Bitterus calicem passionis assumens, benedictione fultus Numinis rerum strenuè satagit, cui deinceps & in æternum DEUS benedicat.

### SACRÆ EJUSDEM COENOBII RELIQUIÆ:

Crus lectissimi Herois Martyris & Tutelaris S. Mauritii.
Crus item S. Sophiæ viduæ.
Triginta tria Sanctorum Martyrum capita. Ex Societate procul dubio Martyrum Thebæorum.
Duo capita ex Societate undecim millium virginum.
De capite S. Ignatii Episcopi.
De S. Elisabetha.
De S. Kiliano Episcopo.
De Sanctis Apostolis Paulo, Philippo & Jacobo.
De S. Urbano Papa & Martyre.
De S. Apollonia.
De S. Pantaleone.
De S. Pancratio.
De S. Emerita Martyre.
De S. Macario Episcopo.
De S. Alexio Confessore.

De Sancta Barbara Virgine & Martyre.
De S. Thimotheo viro Apostolico.
De S. Bervvardo.
De S. Nicolao.
De SS. Marcello & Marcelliano.
De SS. Hieronymo & Ambrosio.
De S. Vitale Martyre.
De S. Vincentio.
De S. Martino Episcopo.
De S. Gorgonio Martyre.
De S. Gereone deque aliis plurimis Sanctis quorum nomina distracta scripta tamen in cœlis, dum sacræ exuviæ in hoc Mindensi Cœnobio asservantur.

## NONNENBOSCHENSE.

ORdinis Benedictini Illustre admodum Virginum Cœnobium in Diœcesi Iprensi situm, incertum nobis, quo primum Fundatore exstructum; pietate deinceps fidelium in magnum surrexit splendorem. Abbatissarum seriem ex Necrologio damus, absque tamen annorum, sed solius diei obitus assignatione.

1. Ava sive Anna præfuit anno 1198. obiit 1. Martii.
2. Agatha obiit 16. Dec.
3. Beatrix, ejus Anniversaria memoria 12. Sept.
4. Elisabeth van Torchii. 23. April.
5. Margarita obiit antequam ab Episcopo benediceretur. 10. Febr.
6. Beatrix cogn. Monts obiit 5. Febr.
7. Agnes van den Leogaerde, obiit 8. April.
8. Catharina de Pitte. 1. Junii decessit.
9. Beatrix van Houckerke, 14. Sept.
10. Meysendis cog. Magrets, ob. 4 Sept.
11. Joanna van Ruttervoorde, ob. 24. Aug.
12. Nicolaa Faissens, ob. 16. Febr.
13. Margarita vanden Busche, sancta Abbatissa cujus tempore ingens fames Belgium flagellavit; cumque Celleraria Monasterii tertium quæreretur coram ipsa, & non aliud responsum acciperet, nisi: *Dominus providebit*, hæcque ex impatientia, verba inania diceret; remissa ad promptuarium Celleraria, dum ostium aperire nititur illud nimia frumenti copia elditur & rumpitur, obiit Margarita 22. Augusti.
14. Euphemia de Ganapes, obiit 9. Junii.
15. Margarita van Lauvve. ob. 1. Martii.
16. Anna Scheluvve, obiit 11. Febr.
17. Joanna de Malebecke, obiit 11. April.
18. Catharina van Scheluvve. 11. Sept.
19. Christina Splanters, obiit 12. Septembr. quæ S. S. Pharaildis Reliquias insigni Sarcophago honoravit.
20. Maria Seex ex VVulpen pago territorii Furnensis. Vita excessit ultimo Aprilis.
21. Margarita Tibants, ob 29. Aug.
22. Magarita Pronins, obiit 2. Octobr.
23. Ludovica Lespinoy, obiit Ipris in domo refugii anno 1586. sepulta in Ecclesia Parochiali S. Jacobi Apostoli.
24. Maria vanden Mersen quæ Dormitorium struxit & sacellum, quod Monasterium Hæretici fœde vastavissent.
25. Maria Denis superstes etiamnum Monasterium splendide restaurat.

## OLDENSTATT.

BEnedictini Ordinis in Ducatu Brunsuicensi Monasteriū, cujus tamen Originem, Fundatores & rerum memorabilium seriem indagare nequivimus.

## OSSECENSE.

DIversum ab Ossiacensi, in Carinthia, quod vidimus & Ichnographicè designavimus, Monasterium Ordinis Benedictini, Reformationis Cisterciensis prope civitatem Pontensem situm in Bohemia; fundatum à Primislao Ottagaro Rege Bohemiæ potentissimo & bellicosissimo circa annum Christi 1200. cum profligatis Ungariæ Regibus Bela & Stephano, ingenti præda potitus esset, quam in Victorem partitus exercitum, solo sibi retento S. Joannis Baptistæ Indice digito, quem inter thesauros repertum Regios, præda omni potiorem habuit, ejusdem honori Ossecense hoc Cœnobium condidit, & insigniter locupletavit, hocque vel maxime sacri digiti thesauro illud ipsum beavit, qui ibidem hucusque asservatur & Religiosissime colitur. Exustum fuit hoc Monasterium ab Hussitis anno Christi 1421. Religiosis ibidem crudeliter trucidatis, & bona deinceps, mensæ Archiepiscopi Pragensis assignata; donec Augustissimi Cæsaris Ferdinandi II. & Cardinalis Eminentissimi ab Harrach, gratia locus & bona eadem Ordini restituerentur. Nec multo melior fortuna recentes ejusdem Cœnobii successus anno 1640 excepit, cum Panerius Suecus idem majori ex parte exussit, ac dein anno 1646. Ecclesia 23. Maji incuria domesticorum flammis exarsit, altariaque omnia, cum organis musicis & campanis in cineres concidêre. Servatus nihil ominus semper est sacer tanti digiti thesaurus, ipsis quoque sacrilegis in veneratione habitus & fideliter restitutus, cujus contuitu Optimum Numen Cœnobium denuo benedixit, eoque felicissimum refloruit, & deinceps florebit.

## PARISIENSE.

EJusdem Ordinis in Diœcesi Basileensi ad Vogesi montis radices illustre Cœnobium, fundatum ab Udalrico Comite ab Hohen - Egisheim Sancti Leonis IX. Pont. Maximi nepote, insigniter dotatum à Ludovico Comite Ferretano Udalrici ex sorore nepote, & hujus filiis Friderico & Udalrico aliisque Ferreti Comitibus. Coloniam 12. Monachorum & primum Abbatem ex Lucellensi Cœnobio accepit. Abbates subjicimus:

1. Tegenhardus cum 12. fratribus à Christiano Lucellensi Abbate huc missus Anno 1138.
2. VVezelo, cum Petro Abbate Cisterciensi Legatus ad Belam Ungarorum missus anno Christi 1180.
3. VVernherus, quo auctore Ludovicus Comes Ferretensis Fundationem Pariensem approbavit & auxit anno salutis 1187.
4. Martinus verbi divini præco eximius, expugnationi urbis Constantinopolitanæ interfuit, & inde ingentem & pretiosum Sacrarum Reliquiarum thesau-

thesaurum secum convexit. Monasteriumque dotavit, sanctitate & miraculorum gloria clarus. 1202.
5. Hezelo quintus Parisiensis Abbas claruit anno 1220. mortuus 3. Maji.
6. Conradus claruit 1234.
7. Joannes vixit anno 1240. obiit 1. Septembr.
8. Arnoldus obiit 4. Cal. Sept. 1251.
9. Joannes II. clar. 1260. obiitque 29. Julii.
10. Bertholdus de Rapolzvveiler quem aliqui ex Dominis de Rapoltstein ortum volunt, claruit anno Christi 1279.
11. Udalricus de Turingheim claruit anno salutis 1282. obiit 5. Kal. Novembris.
12. Dietericus. Ipsum, causa non expressa, à fratre quodam Converso captum, & postea ab Officio remotum Chronicon Patrum Prædicatorum Colmariensium typis vulgatum refert. Vixit ad annum 1294.
13. Philippus de Rathsamhausen vir nobilissimus genere virtute & eruditione, SS. Theologiæ Doctor Alberto I. Imp. à Confessionibus, ad eodem Legatus Romam destinatus, à Clemente V ob eximias animi dotes renunciatus est Episcopus Eichstettensis, præseditque illic annos 16. & 2. menses laudabiliter, mortuus 25. Febr. anno 1322. in Basilica Cathedrali sepultus. Abbas creatus fuit anno 1301.
14. Henricus succedit Philippo in Episcopum assumpto. 1307. obiit 7. Idus Martii.
15. Hartmannus fit Abbas 1331.
16. Ludovicus resignavit sub annum 1339.
17. Joannes ab Hattstatt & litterarum scientia & rerum gerundarum peritia atque dexteritate instructus. Carolo IV. Imp. charissimus ab ipso in Capellanum Secretarium & Consiliarium est coaptatus, à quo insignia pro Monasterio Privilegia obtinuit, quæ in Archivo extant. Claruit a. 1354.
18. Ludovicus claruit 1368.
19. Conradus vixit anno 1379.
20. Thietmannus superstes 1381.
21. Bertholdus Harder. 1390. Moritur 4. Kal. Julii.
22. Nicolaus ab Ingenvveiler Equestri familia claruit 1411. obiit 9. Kal. Aug.
23. Nicolaus de Schvveighausen prænobili familia 1430. sub quo & præcedentibus duobus Abbatibus, partim propter clades bellicas, partim ab laxata Regulari disciplina plurima sunt contracta debita, & Monasterium fuit depauperatum. Qua de causa incorporatum fuit Maulbrunnensi, ita ut ab eodem Abbate utrumque Cœnobium regeretur.
24. Bertholdus de Rosvvag Abbas Maulbrunnensis, utrique Cœnobio præclare consuluit, & hoc præclarè restituit, claruit anno 1453.
25. Joannes de VVinsheim SS. Theol. Licentiatus, verbi divini prædicator insignis, Maulbrunnensis simul & Parisiensis Abbas fuit anno 1462.
26. Nicolaus de Brettheim utriusque Cœnobii Abbas 1467. Demum resignavit.
27. Albertus utrobique Abbas 1473.
28. Joannes Ruescher bis Abbatias resignavit.
29. Stephanus Oettinger 1482. & ipse resignavit.
30. Joannes Burrhus de Brettheim, felix Oeconomus & præcipuus disciplinæ promotor, Jubilæus in Ordine, centum Monachorum Maulbrunnensium & Parisiensium Abbas anno 1482. Bis electus, bis se Abbatia abdicavit.
31. Joannes ab Umbstatt utriusque Cœnobii Abbas, Maulbronna extorris factus bello inter Ulricum VVirttenberg. & Principem Palat. super Advocatia Maulbrunnensi exorto Spiræ vita excessit, anno 1504.
32. Joannes Ruescher denuo electus, à VVirttenbergio rejicitur, sequenti admisso.
33. Michael Scholl Vayngensis ex Abbate Albæ Dominorum 1504. Resignat 1512.
34. Joannes Entenfuess de Underovvisheim. 1512. Litem cum Colmariensibus transegit anno 1517. ac dein Abbatias resignavit.
35. Joannes Burrhus denuo electus Abbas iterum resignat Prælaturam.
36. Joannes de Lenzingen SS. Theol. Baccalaureus Maulbrunnensis & Parisiensis Abbas, utriusque Monasterii antea Prior & Restaurator, ab Udalrico VVirttenbergiæ Duce, quod sacros Thesauros & Documenta tradere recusaret, Maulbronna pulsus, cum nullibi tutus subsistere posset, ad DEIparentem in Einsidlen confugit, atque illic admiranda patientia sanctissimè obiit, juxta Sacellum DEIparæ sepultus, pro cujus honoris augmento *Salve Regina*, quotidie post Vesperas cantandum impetravit, usu ejusdem usque hodie summa cum fidelium devotione continuato.
37. Henricus Reütter de Nördlingen Prior Parisiensis, Domini Conradi Cæsareensis Abbatis tunc valde celebris germanus frater post Joannis mortem anno 1547. Maulbrunnensis & Parisiensis Abbas in ipso Parisiensi Monasterio designatur. Is Monasterium Maulbrunnense brevi recuperavit. Sed postquam anno 1557. vitam finiit, Christophorus Dux VVirttenberg. denuo occupavit, subque prætextu incorporationis etiam Parisiense tentavit & sibi vendicavit.
38. Christophorus Schaller edicto Cæsaris Restitutæ Maulbrunnæ Abbas præficitur, sed anno 1631. ob Suecorum in Imperium irruptionem cedere compulsus anno 1635. eodem rediit, moxque de Parisiensi etiam recipiendo laboravit. Senio vero & infirmitatibus fractus anno 1641. resignans paulo post obiit.
39. Bernardinus Buchinger & ipse ut Antecessor Lucellensis Christophoro substitutus anno 1642. ab Urbano VIII. utriusque Cœnobii provisionem & Confirmationem consequitur, atque à Ludovico XIII. Rege Galliarum in plenariam Monasterii Parisiensis possessionem & Administrationem immittitur, quam usque ad Annum 1654. quod ad Lucelensem Abbatiam assumptus fuit, obtinuit, eamque tunc resignavit. Vivat! perennet!

## *SS. RELIQUIÆ MONASTERII PARISIENSIS.*

1. Magna pars Crucis vivificæ post Constantinopoleos expugnationem inde allata à Martino hujus loci Abbate, auroque argento, & lapidibus preciosis ornata.
2. Monstrantia, ut vocant, aurea cum preciosissimo sanguine nostri Redemptoris, in vasculo vitreo ad digiti altitudinem & grossitudinem contento & concreto.

3. Tabula aurea admirandi operis, cum magna portione Dominicæ Crucis.
4. Magna satis pars capitis S. Joannis Baptistæ Præcursoris Domini.
5. De lacte Beatissimæ Matris Virginis in ampulla vitrea.
6. Brachium S Jacobi Majoris.
7. Brachium S. Jacobi Minoris.
8. Brachium S. Bartholomæi Apostoli.
9. Caput integrum S. Teclæ Virg. & Mart. Ex his nonnullæ bello suecico amissæ sunt.

## S. PAULI IN MONTE SANCTO PROPE AMERSFORDIAM.

Benedictini Ordinis præclarum Monasterium, conditum sub annum Christi 991. à Beato Aufrido, Ultrajectino Episcopo, qui ipse eodem sese jam senex condidit & 15. annis Abbatem egit. Consecratum fuit in honorem B. M. V. & à diversis dein Episcopis & viris illustribus auctum & locupletatum. Abbates subjungimus.

1. S. Aufridus ex Trajectensi Episcopo, hujus à se conditi Cœnobii Asceta & Abbas præclarissimus, miraculorum gratia illustrissimus. Præfuit loco annis 15. & Vita excessit anno Christi 1008. & ibidem tumulatus.
2. VVernherus Abbas, dignissimus habitus qui tantæ sanctitatis præsuli succederet, obiit 1026.
3. Adalbertus Abbas ultimus in Monte, primus autem translato Cœnobio, in civitate Ultrajectina.
4. Hillebrandus, &c. sub quo diluvium quoddam horribile provinciam mire afflixit, cum ex duabus Ecclesiis venerabile Sacramentum ablatum esset, nec sufficiens in Sacrilegos inquisitio haberetur; Hillebrando prædicente ulteriores clades nisi Numinis misericordia flecteretur; ipsa, quâ pro concione dixerat diem horrendo incendio urbem vastante, & maximam ejus partem cum insigne DEIparæ basilica devorante. Videatur Joannes Beka in rebus gestis Episcoporum ultraject.
5. Gerbitus sive Gervvicus anno 1116.
6. Bartholdus Abbas 1117.
7. VVillebrandus 1133.
8. Henricus Abbas 1138. & 1147.
9. Hildebrandus II. ad cujus tempora videtur Historia superior referenda 1173. 1178.
10. VValdeverus postea Abbas S. Pantaleonis.
11. Nicolaus claruit anno 1200.
12. VVarnerus 1228.
13. VValtherus 1218.
14. Volckmarus 1238.
15. Henricus 1245.
16. Henricus de Amorsfort vita excessit anno 1298.
17. Joannes de Cleynel Coloniensis electus 1298.
18. Joannes de Nucia obiit 1311.
19. Henricus de Colonia.
20. Gerbrardus Abbas S. Pauli anno 1314.
21. Henricus de Ryckel 1319.
22. Henricus VVolsteghe anno 1326.
23. Jacobus de Colen 1332.
24. Hermannus VVolff anno 1339. & 1342.
25. Henricus de Rochout 1352.
26. Theodoricus ab Arnhem 1355. Resignat 1361.
27. Joannes ab Oeij anno 1363.
28. Henricus de Reno anno 1366.
29. Henricus de Pouluyck 1399. Resignavit Abbatiam & mortuus est anno 1415. cum privatus ab anno 1406. vixisset.
30. Arnoldus de Leydis Doctor Juris Canonici fit Abbas 1407. Resignavit & ipse.
31. Gerardus de Damasco 1422. obiit 1431.
32. Arnoldus Taets.
33. VVilhelmus de Heüxlum, Vicarius juxta Episcopi Traject. Generalis anno 1451.
34. Jacobus de Paelgeest 1458. hinc postulatus ad Monasterium Egmondanum, obiit 1464.
35. Joannes Clauvvert anno 1460. obiit anno 1491.
36. Ioannes Iacobus van der Steghe primus ex Reformatione, vivere desiit 1494. vir doctus, exactor Regularis disciplinæ strenuus.
37. VVilhelmus de Nova Ecclesia obiit 11. Augusti anno Christi 1521.
38. Mathæus Gock ob. 15. Febr. 1516.
39. Gerardus de Nova Ecclesia, obiit anno 1572.
40. Gerardus de Meirlo electus 12. Aug. anno 1572. obiit 1590. Cæteri desunt.

## S. PAULI RUBEÆ VALLIS.

Ordinis Canonicorum Regularium S Augustini in introitu Sylvæ Zoniæ primo ab urbe Bruxella lapide, modicis initiis à duobus Presbyteris Ægidio Oliverio & Guilielmo Danielis, illic solitariam vitam degentibus, donec nonnullos sibi jungere placeret, Annuente Ioanna Luxemburgia, datis litteris anno 1366. qui insimul anno 1373. habitu & Regula S. Augustini assumptis Canonicam professionem fecerunt in Ecclesia ibidem ad honorem S. Pauli consecrata. Priores loci sequentes fuere:

1. Guilielmus Danielis, idem secundarius Fundator, electus 1373. 18. Ian. præfuit annis 19. & pie in Domino obdormiit anno 1392.
2. Henricus VVisse Zeelandus, de loco optime meritus 4. solum annis præfuit & vita excessit.
3. Guilielmus Broecke Zelandus electus 1396. vir sanctitatis opinione clarus.
4. Laurentius Geruntius & ipse Zelandus, post annum absolvi à Gubernatione impetrat.
5. Daniel Pistoris ex Villa Hoillaert, & ipse post novennium à Prioratu absolvi meretur.
6. Anselmus Fabri, Bredanus disciplinæ promotor strenuus, præfuit annis 11. & resignavit.
7. Ioannes Sapientiæ Anselmo subrogatus anno 1426. vir sanctus & ipse post annos quatuor Prioratum resignat.
8. Gerardus Gog Geldrensis, Præfuit annis 4. & ad Domum professionis se recepit.
9. Anselmus Fabri denuo eligitur, præfuitque annis sex.
10. Ioannes Doinberg, postulatus ex domo Corsendoncaria anno 1441. præfuit annis 13. hinc ad Domum propriam repetitus.
11. Ioannes Veron Tornacensis, vir litteratus unicum annum præsedit.
12. Joannes Hasselt Leodiensis utiliter præfuit annis undecim.
13. Balduinus Hont, Flander. anno uno præfuit, postea Rector Monialium S. Elisabethæ, quod munus etiam antea gessit.
14. Cogitur denuo præesse Ioan Doinbergh, præfuit annis octo & resignat.

15. Tho-

15. Thomas de Vessem, Campinienſis præfuit ſalubriter annis decem.
16. Cornelius Ryckaert de Iſca ſuperiore, rexit domum annis ſolùm octo.
17. Fredericus Bezuyens Antwerpienſis vir plurimũ litteratus qui ſua ætate ſui ſimilem in arte Muſica non habebat. Hic anno expleto multis precibus à Capitulo obtinuit ab officio abſolutionem.
18. Joannes Rampaert Bruxellenſis 1494. hic anno 1512. poſuit novi Chori fundamenta & anno 1520. conſummavit, præfuit annis 27. in novo Choro ſepultus.
19. Stephanus Heetveldt, præfuit annis 7. & ſedilibus egregiè cælatis chorum ornavit.
20. Hubertus de VVyſe Antwerpienſis qui novum Refectorium cum culina, & Cænaculum hoſpitum ex ſectis candidiſque lapidibus ſplendide ſtruxit, præfuit annis 28. mortuuſque eſt anno ſalutis partæ 1556.
21. Ludovicus de VVert Bruxellenſis vir laudatiſſimus, præfuit annis 28. ob. 1585.
22. Michael de Riddere Rhodienſis præfuit annis 22. ob. 1607.
23. Paulus Schooff Bruxellenſis vir Religioſiſſimus Principibus Belgii venerabilis viſus & magni factus.
24. Joannes Smiſman, ex Priore ob merita factus Generalis, obiit 1634. Prioratus nono.
25. Adrianus van der Reeſt Bruxellenſis, obiit 1648. 21. Decembr.
26. Alexander Jocquet Cameracenſis, obiit anno 1658. ipſo feſto DEIparæ aſſumptæ.
27. Laurentius Stroobant Bruxellenſis, vir magnus, & magna laude digniſſimus, cujus Verecundiæ parcimus.

## S. PETRI-BRUXELLENSE.

Virginum Canoniſſarum Ordinis S. Auguſtini in Urbe Bruxellenſi Cœnobium, Apoſtolorum Principi ſacrum, ſitu amplum hortiſque ac viridariis ſpatioſum, ſub annum Chriſti 1170. incertum quo præcipuè Fundatore conditum, ab Iconoclaſtis ſuperiore ſæculo dirutum, inde reſtitutum hodie ſpectatur florentiſſimum. Antiſtites ſequens enumerat ſeries:

1. Petronella de Mol, quæ vitam mortalem cum immortali commutavit anno 1179.
2. VValpurga Sleeuws præfuit annos 41. & vita exceſſit anno Chriſti 1220.
3. Oda vande Meren, ſedit ad clavum annos 29. mortuaque eſt anno 1249.
4. Odilia van Dormael, quæ annos unum & quadraginta præſedit & obiit 1290.
5. Catharina vander Vooren, quæ diutiſſime rexit annos unum & ſexaginta, obiitque 1351.
6. Beatrix Ottengies, undecim annis rebus præſtitit & vivere deſiit anno 1362.
7. Eliſabetha vander Vliete ſolis quatuor annis regimen tenuit mortua 1366.
8. Catharina Smeſmackers præſedit annis quatuordecim, pie defuncta anno 1380.
9. Eliſabetha Comers præfuit annis 19. mortua 1399 Vixit hujus tempore in hoc Cœnobio Catharina Rusbrochia, Doctoris Myſtici Joannis Rusbrochii ſoror, magnæ ſanctitatis fama celebris, jurata ſui corpuſculi hoſtis.
10. Catharina Coolzaert, quæ unum ſupra quinquaginta annos præfuit mortua 1450.
11. Margarita Huyoel, rexit annis 22. obiitque 1472. ſub hujus regimine obiit anno 1452. ſoror Eliſabeth Ottengies ad cujus ſanctitatem demonſtrandam, cum omnia circum undique nix operiret, nunquam ejus ſepulchrum operuit, donec ſuper eodem in illius memoriam ſacellum conderetur.
12. Judoca Soens octennium ſolummodo gubernatricem egit, atque anno 1481. deceſſit.
13. Margarita Huyoel, rebus præſtitit annis 22. & ad plures abivit anno 1504.
14. Maria Huyoel, annis viginti tribus Præpoſitam egit, extincta anno 1527.
15. Joanna Huyoel, præſtanti probitate mulier, patricio genere Bruxellis nata, cum ad nuptias à parentibus cogeretur clam ſeſe ſubducens, ſeque in hoc Cœnobio Numini emancupavit, in eoque religioſiſſime vivens, præfici meruit, annoſque ſex ſolummodo præfuit, mortua anno 1533. cui paulo ante mortem, DEIparam cum SS. Catharina & Barbara ferunt adfuiſſe, quas ſingulari ſemper coluerat devotione.
16. Judoca Sconincx, exſtruxit novum Refectorium, & Dormitorium inſigne cumque 17. præfuiſſet annis, ex hoc ſæculo migravit anno Chriſti 1550.
17. Eliſabetha Huyoel. Hæc dira Hæreticorum exagitata perſecutione, Monaſterium ſuum ad triennium cum omnibus ſuis deſerere coacta fuit, præfuit annis 37. mortua anno 1587. 10. Jan. ſepulta in S. Eliſabeth Montis Sion, cum ſui Cœnobii Eccleſia ab Hæreticis everſa eſſet. Vixit ſub eadem Gudila vanden Boſche quæ cum nocte SS. Nativit. Chriſti moreretur, monuit ſorores quo loco horti flores ad ſe in tumulo honorandam reperirent, inter nives maximam florum copia repererunt, & ſacrum corpuſculum honorarunt.
18. Catharina vander Zypen obiit anno 1603. cum ſacram familiam annis 17. rexiſſet. Eccleſiam à fundamentis extruxit. Jubilaria jam fuit Religioſa cum eligeretur, eodemque tempore ſeptem ſub ſe Jubilarias habuit.
19. Margarita van Bertem annis 8. præfuit & ut melius DEO vacaret, in ſtrictioris obſervantiæ Monaſterium migravit.
20. Clementia vander Strepen, dono lachrymarum inſignis, quibus & viventes & mortuos juviſſe memoratur, præfuit annis 21. & mortua eſt anno 1632.
21. Barbara vanden Zanden, in ſe parca, in egenos larga, triennium præfuit & obiit 1635.
22. Joanna vander Strepen, quæ hodie & ſeipſa, & egregiis ſtructionibus, Monaſterium egregie exornat & præclare meretur.

*SS. RELIQUIARUM CATALOGUS.*

De Cruce Domini noſtri.
De lapide ſuper quem Chriſtus ſudavit aquam & ſanguinem.
De S. Joanne Bapt.
De S. Petro Apoſtolo inſignis portio.
De S. Thoma Apoſtolo de cujus corpore etiam pars major hic aſſervari creditur.
De S. Stephano Protomartyre.
De S. Lamberto Epiſc. Mart.
De S. Sebaſtiano Mart.

De

De S. Gevone Mart.
De S. Arnoldo.
De S. Catharina Virg. & Mart.
De SS. Virg Mart. Barbara, Lucia, Agatha, Margarita, &c.

## PLAGENSE.

Divino profectò oraculo ac miraculo Monasterium hoc è densissimis Sylvarum tenebris in lucem prodiit, & primò fundatum est Anno Domini 1218. à Perillustri & Generoso quodam Equite ac Provinciali Austriæ Superioris Calchoco de Falckenstain, viro B.V.MARIÆ singulariter devoto; qui cùm vice quâdam, probabiliter circa annum 1206. intra venationem feram prolixiùs usque in devias sylvæ latebras insequeretur, tandem sibi soli relictus diuq; oberrans nocte ingruente, toto insuper lassus corpore, in viridi cespite inventum occasione quendam findendis lignis præparatum ligneum malleum, germanicè apud nos vulgò ein Holtzschlägl capitique supponens paululum quievit, & suaviter indormiit; somnum capiens obviam sibi, & velut in suppetias viæ venientem B.V.MARIAM candido amictu splendidam conspicatus est, quæ eundem placidè affata, rectas spopondit semitas, si Filio suo JESU & suo honori eodem loco sacram ædem strueret his formalibus: fili hic ædifica & dota. Ivit in votum tantæ Matris & Patronæ Auxiliatricis Calchocus, moxque evigilans, regiâque sylvam excedens, charissimæ & devotissimæ Conjugi suæ Elisabethæ rem aperuit, locum sylvæ, in quo quieverat, sensim expurgari fecit, & demum magnæ suæ Patronæ vota solvens, sacellum, (quod hodie extans dicitur Viridarium B. Virginis, in quo à centum octoginta tribus annis Archi-Fraternitas S. Rosarii implantata nunc novo & magno devotionis incremento floret) & domum exstruxit, & Religiosis Cistertiensibus, siquidem ex toto albi tunc haberi non poterant transscripsit; Illi verò frigore & tædio affecti, ad Monasterium Elanghein in Bavaria tunc temporis situm cum rebus suis remeârunt, domumque hanc cum Sacello Fundatori datis celsionis literis resignârunt. Anxius itaque optimus Calchocus, in tanti momenti negotio consuluit R. D. D. Rudgerum Passaviensem Episcopum, cui ab officiis, & non nihil familiaris extitit; qui salubri consilio suasit, ut sylvâ magis expurgatâ aliquale Cœnobium exædificaret, adderetque pro aliquot saltem Religiosis decimas, & necessaria vivendi media; quod & factum: nam Ecclesiam struxit sub titulo gloriosæ Assumptionis B. V. cum modico Cœnobio, & Religiosis illius coloris; in quo se B. V. eidem fecit conspicuam, candidi nempe Ordinis Præmonstratensis obtulit Anno 1218. Mortuus demum in eadem Ecclesia sepultus una cum conjuge sua fuit, & nunc supra ossa eorum extructum est Altare S. Crucis, in quo quotidie prima Missa pro defunctis devote peragitur.

In primum Ecclesiæ hujus Præpositum postulatus est ex Cœnobio Milovicensi in Boëmia Diœcesis Pragensis Prior illius loci Ortholdus nomine, vir integerrimus, qui mox sollicitatâ & impetratâ Pontificiâ & Episcopali ac Diœcesana Passaviensi Confirmatione, aliisque etiam obtentis Magnatum gratiis, in Cœnobioli sui ampliationem, deinceps per 25. annos suæ administrationis integerrimum egit Præpositum, donec (ut antiquissima manuscripta de illo docent) cum magna Sanctitatis opinione vivis excessit. Successerunt continuò usque hodie Præpositi Ordinis 37. Inter quos non pauci fuerunt Nobiles & præclari, devotissimi, justa & vigiles ac perindustrii restauratores, à plurimis tum bellorum, tum aliarum necessitatum injuriis & ruinis exitialibus, quibus sæpius infestata est, Plagam suam vindicantes: quemadmodum ordine successionis 3. ad clavum Præpositur æ Plagensis rectè deputatis per Electionem Canonicam, Rev. D. D. Martinus Greysing, Plagam anno 1626. 21. Octobris rusticâ rebellione & petulantiâ incineratam Dei specialissimâ benedictione, Materno Augustissimo Patronæ suæ S. MARIÆ subsidio, & propriâ vigilantissimâ curâ, in utroque ædificio spirituali & temporali splendidiorem veluti redivivum Phœnicem à fundamento surgere fecit. Quandoquidem de primæ fundationis dote sextum vix aluit Religiosum Monasterium Plagense; accedentibus tamen sensim (ut DEO benedicenti desuper sit prima gloria & Benefactoribus gratiarum actio perennis) imperatoriis, Regiis, Ducalibus favoribus ac gratiis, Donationibus præcipuè Dominorum de Rosis Procerum Boëmiæ uti & Rev. Episcoporum Passaviensium, atque etiam solerti œconomia quorundam Præpositorum, eò Plaga humilis excrevit, ut 28. professos hodie numeret, inter quos ab anno 1639. (quantùm Canonicum nostrum institutum postulat) tam Theologica ac Juridica, quàm Philosophica studia florent. Insignia Cœnobii Plagensis sunt duæ plagæ in crucem protensæ, ducentes originem ex Plaga illa lignea, quam in cervical assumpsit lassus, in sylva quiescens Calchocus primus Fundator, & hinc Monasterium ipsum vulgò Schlägl dicitur. Patronam veneratur B.V.MARIAM, itidem à prima fundationis origine in albis speciosè Fundatori apparentem; hinc etiam à Plaga seu loco suæ manifestationis, cum eodem Monasterium Plagense consistat, alias quoque inscribitur & vocatur zu unser Frauen Schlag latinè ad Plagam B. V. MARIÆ.

Habet Parochias seu potius Vicariatus 7. unam oppidi Aigen nuncupati Monasterio adjacentis S. Joannis Evangelistæ. Duas ad medium milliare distitas S. Udalrici & S. Osvvaldi. Iterum duas uno milliari distantes in oppido Rorbach S. Jacobi Majo, & in oppido Haslach S. Nicolai: Illa annexum habet beneficium S. Georgii; hæc B. V. MARIÆ. Demum duas in Boëmia duobus circiter milliaribus remotas à Monasterio. In oppido Friberg S. Bartholomæi. Et pago Kürchschag S. Jacobi Majoris, quæ omnes etsi adeò nominatæ vel speciales proventus temporales promittentes non sint, fideliter tamen à Patribus Ordinis administrantur, qui frequentius cum à Domo & gremio Plagensi in tantum non distent, sese conventuali disciplinæ & recollectioni sistunt & conformant.

Ante fores Monasterii extat capella B.V.MARIÆ Annuntiatæ vulgò bey unser Frauen Anger de qua supra jam dictum, quam prædictus Rev. Dominus D. P. & Præpositus Martinus Greysing, nomine tertius Præpositus, re verè secundus Fundator, erexit A. 1644.

Habet etiam ad ascensum Monasterii in introitu Oppidi Aigen novum Hospitale Pauperum cum Sacello D. Martino Sacro, quod idem Rev. D. Martinus funditus erexit & dotavit.

Eodem Anno 1644. Ad ascensum Sylvæ versus Meridiem quadrante milliaris circiter à Monasterio Capellam quandam, ut legitur in Annalibus olim ligneam

ligneam ad S. Lapidem nuncupatam B. V. cognatam suam Elisabeth visitanti & S. VVolfgango sacram, centum ante annos sæviente hæresi fundicus devastatam, idem Rev. Dominus, Martinus, porrectis eidem nonnihil manibus Serenissimi Leopoldi Guilielmi Archiducis Austriæ Episcopi Passaviensis & Rev. ejusdem Capituli Cathedralis, nec non quorumdam devotorum cordium in D. Virginem & S. VVolfgangum; è primis ruderibus sumptuosè evexit, ornavit, consecrari & induldentiis gaudere fecit, & ita primæ & ultra devotioni restituit. Sentiunt eò peregrinantes ex fontana ibidem saliente S. VVolfgangi gratum auxilium pluribus jam patratis miraculis. Accessit Anno 1652. huic Capellæ & Ecclesiæ alia quædam extra muros Cœmiterii Capellula S. Crucis patens viatoribus, DEO Pacis consecrata, eo fine, ut copiosius, ut solet, confluente populo, quem Ecclesia ipsa non capit, aforis sacra habeat, & etiam è suggestu dum opus est doceatur.

Universim situs Monasterii Plagensis amœnus est ad radices Sylvæ, Boëmicæ, in valle quadam montium non adeò excelsorum, loco humili, & iis qui DEO quietè famulari cupiunt accommodatissimus. Intrà Austriam quidem superiorem, in Confinibus tamen Boemiæ & Territorii Episcopatûs Passaviensis suæ Diœcesis. Adjacent quidem eidem Oppida & Pagi, uti & fluvius quidam cæteris rivulis quos habet aliquantulum major Myhla nomine (à quo & ista pars Austriæ Superioris dicitur,) das Mühl-viertl ad muros Monasterii & prata defluens; Civitates autem non nisi ad unius diei iter respuit: Orientem quidem versus Provinciæ suæ Metropolim, Linrium. Ad Meridiem sedem Episcopalem Triurbem, Passavium, quarum utraque propter littus Danubii & celebres nundinas famosè nominatur; Ad Aquilonem in Boëmia Ducalem Urbem Crumlovium.

Dominium præter humilis Præposituræ suæ districtum ruralem alicujus specialis & nominati loci nullum olim obtinuit; nunc autem, Deo singulariter benedicente, adjecta sunt, Dominium Haslacense Anno 1660. item Dominium ad S. Udalricum Anno 1661. utrumque circiter 60000. florenis emptum & solutum à sæpius dicto piæ memoriæ Rev. Domino Martino, qui gloriosè plus 40. annis Plagam gubernavit, & in præmium meritorum suorum Anno 1657. à toto capitulo Generali in Abbatem, & ejus Plagensis Præpositura in Abbatiam sublimata fuit, quam Clementissimus Deus cum sua Matre Virgine, uti hactenus, ab omnibus malis misericorditer dignetur conservare. Addo hic à prima fundatione sibi succedentium Præpositorum nomina.

1. Ortholdus. 2. Henricus. 3. Diopoldus. 4. Nicolaus I. 5. Judlinus. 6. Rudgerus. 7. Udalricus. 8. Theodoricus. 9. Nicolaus II. 10. Jansa. 11. Petrus I. 12. Henricus II. 13. Petrus II. 14. Joannes. 15. Nicolaus III. 16. Diopoldus II. 17. Martinus I. 18. Bernardus. 19. Joannes I. 20. Andreas I. 21. Joannes Henrici. 22. Udalricus II. 23. Joannes Groshaubt. 24. Nicolaus de Sehestau. 25. Sigismundus Zerer. 26. Martinus II. 27. Georgius. 28. Andreas II. 29. Michaël. 30. Paulus. 31. Matthias. 32. Joannes. 33. Cornelius. 34. Wenceslaus. 35. Crispinus. 36. Wilhelmus. 37. Martinus III. 38. Franciscus. Cui Deus vitam & felicitatem,

## PLASSENSE.

Sacræ familiæ Cisterciensis Regulæ S. Benedicti splendidum olim in Bohemia Monasterium, vulgo Plassy anno Domini 1146. exstructum & regia munificentia dotatum, à Wladislao Bohemiæ Rege, cum illic venando fatigatus super pallio suo suavissime obdormisset, & experrectus vallis pulchritudinem densissimis sylvis undique cinctæ miraretur, & dignum condendo Cœnobio locum judicaret, quod quam primum præstitit, & à pallio Plassum, quod idem cum latino est, cognominari voluit, eoque coloniam Monachorum ex Lanckheim Franconiæ induxit. Evertit exspoliatum pulcherrimum Cœnobium Zisca Monoculus Divinitatis contemptor, donec Hæresi paulatim repressa, nonnihil idem respiraret, paucisque receptis villulis è cineribus resurgeret. Supremam manum benevolentia sua imposuit Illust. Comes Jaroslaus Comes à Martinitz, supremus Bohemiæ Burggravius, idem, qui ob fidem S. C. M. servatam à rebellibus è fenestra Cancellariæ Regni Bohemiæ anno 1618. die 23. Maji Pragæ præcipitatus, ac mira DEI providentia servatus, è medio hostium elabens atque ad hoc Cœnobium divertens, minime ingratum se hospitem præbuit, multaque dein à Monasterio abalienata restitui à Ferdinando II. impetravit; II. Fundatoris apud gratos posteros nomen meritus & revera indeptus. Abbatum Catalogum habere non potuimus.

## PRUMIENSE.

Ordinis S. P. N. Benedicti sub honore S. Salvatoris, B. Matris Virg. SS Joan Bapt. & Apostolorum Petri & Pauli anno 760. à Pipino Galliarum Rege exstructum, à Carolo Magno ejusdem filio & horum posteris egregiè locupletatum, de quo ejusque Abbatibus Monachis tomo II. Germaniæ satis prolixè egimus, hæc quæ modo damus postliminio accepimus:

Successit à morte ultimi Regularis Abbatis Prumiensis (nimirum Christophori Comitis à Manderscheidt viri Religiosissimi anno 1576. mortui Eminentissimus Princeps Elector Trevirensis, Jacobus ab Eltz, annuente ejusdem precibus Gregorio XIII. qui Princeps de morte edoctus Abbatis mox advolans, prima Septembris Monasterium ingressus possessionem adiit, & coram Conventu, duobus Notariis secum adductis ac aliis idoneis testibus, in summo Altari coram Ven. Sacramento, dextrâ manu pectori applicata, pro se suisque successoribus Juramento, subsequenti verborum forma præstito ut primus Administrator succeßit: Nos Jacobus DEI gratia S. Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopus & Princeps Elector, per Sedem Apostolicam in Spiritualibus & temporalibus Monasterii S. Salvatoris in Prumia Ordinis S. Benedicti ordinatus perpetuus Administrator, prout in Bulla Apostolica continetur, promittimus bona fide, quod Reformationem in eodem Monasterio introductam fideliter observabimus & observari curabimus. Deinde eadem fide honorem, Districtum, Dominium, superioritatem, Jus & Jurisdictionem ejusdem Monasterii pro nostris viribus, nosse atque posse tuebimur & defendemus, & inde amissa atque deperdita recuperabimus. Sic nos DEus adjuvet & sancta DEI Evangelia, inter quæ postrema verba, Eminentissima sua Celsi. digitos dextros super ipsum posuit Evangelium.

ADMI-

ADMINISTRATORES LOCI EJUSDEM.

I. Iacobus ab Eltz Sacræ Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopus & Elector. Præfuit Monasterio annis IV. mensibus circiter novem, obiitque pridie Nonas Junii anno 1581.

II. Joannes de Schönberg, qui anno eodem 1581. Electus Archiepiscopus magnam in adipiscenda Abbatiæ Prumiensis Administratione passus est difficultatem ob venditum pro magna pecuniæ summa Hassiæ Landtgravio, ab Antecessore suo Jacobo, amplissimum S. Goaris Dominium, à Monasterio abalienatum, nihilominus tandem in possessionem immissus, plurimum delectatus fuit Religiosorum suorum consortio, quibus etiam per omnia sese amabilem reddere studuit, redditus oppignoratos ipsis redemit, interiorem templi faciem illustravit; sacristiam variis ornamentis decoravit, Dormitorium & alias officinas restauravit ac tandem cum tam in Spiritualibus quam temporalibus suis optime præfuisset ac profuisset, Cal. Maji anno Salutis 1599. mortalitatem exuit.

III. Lotharius à Metternich, optimus hic Pastor anno 1599. 7. Junii in Archiepiscopum electus, singularem erga gregem Prumiensem sibi commissum curam gerens, ut melior servaretur disciplina, aliquoties in propria persona, sæpius per suos deputatos, Religiosos visitavit, penuria laborantibus paterne succurrit, cryptam circa altare B. M. V. ampliavit, plura struxit, & ut Conventuales propter Hæresium incrementa Monasterii sui bona in Geldria, Zutphania & circumjacentibus locis, nummis ad annuam pensionem expositis Ernesto Casimiro Nassoviæ Comiti in perpetuum venderent, clementissimè consensit. Postquam autem Prumiam 24. annis feliciter gubernasset anno 1623. die 7. Septembris pie in Domino obdormiit.

IV. Philippus Christophorus à Sotern. Hic anno 1623. 25. Sept. Electus Archiepiscopus, quam sedulus Patrimonii Sanctissimi Salvatoris fuerit Conservator, ex quodam scripto anno 1640. 10. Octobris Vienna dato, ac propria ejus manu ac Sigillo communito, abunde colligere licet: In illo enim R. P. Priori & Conventui Prumiensi severè mandat, ne in abalienationem aut divenditionem Dominii Custen à Decano & Capitulo Summi Templi Trevirensis attentatam, ullo modo consentiant; imo expresse in eodem protestatur: se nunquam vel latum pedem, multo minus integrum tale Dominium de Substantia Salvatoris, sine consensu Conventus oppignorare aut abalienare voluisse, nec tale quid unquam sibi venisse in mentem. Præfuit in annum usque 29. & postquam Monasterii muros restaurasset, è vivis excessit 7. Febr. Anno 1652.

V. Carolus Gaspar von der Layen, 12. Martii anno eodem 1652. Electus Archiepiscopus.

DE SOLEMNI ECCLESIÆ PRUMIENSIS DEDICATIONE ET MIRACULIS QUIBUSDAM.

Anno Dominicæ Incarnationis 800. 26. Julii Beatus Leo III. Pont. Max, ad instantiam Caroli Magni, novam, à se splendidius erectam Basilicam S. Salvatoris, præsentibus & auxiliantibus S. R. E. Cardinalibus, solemniter consecravit, in qua Dedicatione ex singulari divina gratia, unus ex Episcopis, licet in itinere mortuus, cum omnium gaudio præsens apparuit.

A. Christi 882. sagitta quædam à Nithardo quodam Equestris dignitatis viro, cum affixa bonorum suorum schedula, qua DEum in loco ipsi placito hæredem omnium suorum instituebat, ex Francia sive Galliarum Regno emissa, Angelico ministerio prodigiose mota & promota, S. Ansbaldo, quinto loci Abbate, sacris tunc solemniter operante Prumiæ, super ipsum altare majus decidit, quæ in evidens miraculi testimonium, in sacrario Monasterii diligentissime asservatur.

A. C. 1110. Vir quidam nobilis Eberhardus, ultra 30. annos percussus paralysi, omni fere substantia in medicos erogata, ad varia SS. loca deportatus; divina revelante misericordia Prumiam defertur, & ante summum altare quamprimum prodigiosè curatur.

DE PRETIOSISSIMO SACRARUM RELIQUIARUM THESAURO.

Hunc majorem partem Christianissimus Rex Pipinus Prumiæ Fundator à Zacharia Papa suscepit, atque pro maximis suis in Rom. Ecclesiam meritis promeruit.

Suntque inprimis Sandalia sive calceamenta Salvatoris, quæ prædictus Papa in speciale donum eidem obtulit. Sed & particula de columna in qua Christus flagellatus fuit, de sepulchro ejusdem & aliis sacris locis.

Marquardus tertius Prumiæ Abbas, litteris recommendatitiis sibi ab Lothario Cæsare datis, Romæ à Sergio Papa 46. Sanctorum corpora pro Prumia impetravit, eaque inter Sanctorum Primi & Feliciani fratrum Mart. & S. Lupiani Confessoris, SS. Marii Marthæ & Audifacis & Abacuc, S Pontiani & aliorum meruit. Lotharius idem factus ibidem postea Monachus, diversas alias de SS. Cruce, de præsepio, de mensa Domini, &c. reliquias attulit, easque inter de vestimento DEIparæ, manum S. Jacobi Minoris fratris Domini cum parte brachii, caput S. Cosmæ, brachium S. Georgii Martyris itemque brachium S. Theodori, absque tamen manu, pedem S. Simeonis qui verbum infans in ulnas suscepit; Os S. Zachariæ filii Barachiæ, os S. Thomæ Apostoli, pedem & brachium S. Anastasiæ Virg. brachium simul & pedem S. Hieronymi Eccl. Doctoris, brachium S. Stephani Protomartyris, quæ omnia ipse suo in Diplomate recenset.

Asservantur ibidem, incertum cujus donatione particula de vestimento Salvatoris, de syndone sepulchri ejusdem, de spinea corona, de spongia, duæ particulæ de velo B. Virg. similiter binæ de vestibus ejusdem, pars Virgæ Moysis, particula Indicis S Joan Bapt Scapula S. Bartholomæi Apostoli, maxilla S. Thomæ Apost. nec non plura de SS. Petro, Paulo, Andrea, Philippo, Simone & Juda, ut innumeras pene, de industria taceam SS. Reliquias, quarum sola nomina obiter recenset admodum R. P. Cosmas Dilchradt Prior dignissimus Prumiensis.

RIDDA-

## RIDDAGESHAUSEN.

BEnedictini Ordinis valde celebre Cœnobium in Ducatu Brunsuicensi, fundatum anno Christi 1145. à Riddaco & Ludolpho de VVenden, tempore Henrici Leonis potentissimi Principis, & ab hoc ipso splendide dotatum & auctum. Floruit multo tempore, inter potentiora Ducatus habitum, donec idem Brunsuicensis Urbis cives mutata Religione religiosorum juratissimi hostes, invaderent, spoliarent, & pene fundiuus delerent. Restauratum à Petro Abbate, anno 1606. denuo ab oppidanis spoliatur & incenditur.

## SALVELDENSE.

ORdinis S. P. Benedicti præpotens olim Cœnobium, fundatum anno Christi 1071. à S Annone II. Coloniensi Episcopo prope civitatem Salveldam ad honorem Beatissimæ Trinitatis, B. M. V. & SS. Petri & Pauli Apostolorum, cujus extant apud nos litteræ fundationis anno 1074. quarto post anno datæ. Abbatum aliquot seriem damus, uti habere licuit.

Theodoricus præfuisse legitur anno Christi 1237.

Guntherus ad clavum sedit ab anno salutis 1279. ad usque annum 1299.

Ottho successit Gunthero 1299. obiit anno 1329.

Henricus claruit anno 1350.

Ludovicus Abbas 1381. & 1388.

VViticho vixit anno 1397. & 1410.

Henricus rexit 1416.

Lutholdus 1424. Incertum an idem, an alius eodem nomine 1460.

Georgius 1463. Ad hunc scripsit VVilhelmus Dux Saxoniæ, ut Margaritam de Kochberg, sororem Catharinæ de Brandenstein suæ pellicis, ceremoniis funebribus prosequeretur.

Rudingerus Monasterium rexit anno 1470.

Gregorius anno 1475.

Balthasar rebus præfuit anno 1495.

Gregorius eo nomine II. Anno 1497.

Idem superstes anno 1526. Pulsi sunt Religiosi seditione rustica, neque deinceps leguntur restituti.

## SIGEBERGENSE.

POtentissimum Benedictini Ordinis Monasterium de quo jam tomo I. & II. Hæc autem addenda videbantur. Habet subjectas sibi Præposituras sex.

Prima sita est in Archidiœcesi Trevirensi in pago Hirzenauvv eidem Monasterio subjecto fundata in honorem S. Bartholomæi Apostoli, Privilegiis Cæsareis quamplurimis donata.

Secunda Præpositura sita est in Archidiœcesi Coloniensi intra oppidum Tulpetum. S. Quirino consecrata.

Tertia sita est in Ducatu Montensi in pago Oberpleiss. distante duabus horis à Monasterio Sigburgensi, S. Pancratii Martyris honori & nomini consecrata.

Quarta in eodem Ducatu ad S. Cyriacum dicta & honori ejusdem dedicata.

Quinta sita est in Ducatu Juliacensi in Monte S. Apollinaris, miraculis ejusdem sancti & reliquiis ibidem asservatis celeberrima.

Sexta Præpositura sita est in eodem Ducatu Juliacensi dicta in Millen estque S. Balbinæ virgini consecrata.

## SS. RELIQUIÆ IN SIGBURG SIVE SIGEBERG ASSERVATÆ.

1. Magna tumba argentea, qua continentur SS. Reliquiæ S. Annonis Archiepiscopi Coloniensis, & Fundatoris hujus Cœnobii.
2. Magna similiter tumba argentea qua asservantur Reliquiæ S. Honorati.
3. Magna tumba argentea in qua custodiuntur Reliquiæ S. Innocentii Martyris.
4. Magna tumba argentea cum Reliquiis S. Mauritii & Sociorum.
5. Mediocris tumba argentea continens Reliquias S. Benigni.
6. Reliquiæ diversæ & capita S. Maurorum.
7. Duo brachia ex Societate S. Gereonis, & plura eorumdem Martyrum capita.
8. Reliquiæ, Capita & ossa plura ex Societate Martyrum Thebæorum.
9. Cranium S. Tiliæ quæ fuit filia Regis cujusdam ex Dania.
10. Ossa nonnulla SS. Cassij, Malusii & Florentii.
11. S. Annonis pedum & annulus, deque casula, Dalmatica & Sandaliis ejusdem.
12. Calix ejusdem Fundatoris & plura alia.
13. Mitra S. Stephani Papæ & Martyris.
14. Ossa plura ex Societ. S. Ursulæ.
15. Reliquiæ nonnullæ S. Blasii Mart.
16. S. Justinæ Virginis & Martyris.
17. S. Georgii Mart.
18. S. Laurentii Martyris.
19. S. Demetrii Martyris.
20. De fasciis in quibus Verbum incarnatum fuit involutum.
21. De Cruce Dominica.
22. De Sepulchro Domini.
23. De Capillis S. Mariæ Magdalenæ.
24. S. Servatii.
25. S. Sebastiani.
26. SS. Apostol. Petri & Pauli.
27. S. Jacobi Apostoli.
28. S. Bartholomæi.
29. De Cruce S. Andreæ.
30. De Capillis, vestibus & lacte B. M. V.
31. De S Agatha Virg. & Martyre.
32. De S. Lucia Virgine & Martyre.

## S. SALVATORIS ANTWERPIÆ.

PRænobile Regulæ S. P. Benedicti Reformationis Cisterciensis Antvverpiæ Cœnobium, fundatum à Petro Pot Domino de Bautersem in Contenbroeck & de Pluysegem, filio Joannis & Margaritæ vander Delft, anno Christi 1433. in ædibus ejusdem propriis, & consecratum in honorem S. Salvatoris, B. Matris Virginis & Sanctorum BENEDICTI & Bernardi, quos peculiares sui cœpti patronos inclamavit & invocavit, eoque 14. ex Monasterio

nasterio Yselstein Religiosos introduxit. Priores loci breviter damus.

1. Petrus de Catvvick postulatus ex Yselstein, vir generis nobilitate magnus, humilitate major, virtutum omnium gratia maximus, tribus ante obitum annis, soli vacaturus Numini resignavit & obiit anno Christi 1476.

2. Jacobus de Borsalia, ex Illustri Fundatoris stirpe oriundus, ore facundus, stylo mirabilis, sacras Musas in deliciis habuit, nono regiminis anno moritur 1483.

3. Thomas Merchel, præfuit laudabiliter annis 7. & summis precibus, complorantibus omnibus absolvi ab onere impetravit. Mortuus est 3 Nonas Novemb. 1501.

4. Joannes Goens, Monasterium in temporalibus & Spiritualibus plurimum promovit Auxit Religiosorum numerum, ut & variis ornamentis Domus DEI decorem. Obiit 1506.

5. Franciscus Hermans Antvverpiensis, Religiosæ disciplinæ promotor felicissimus. Pauperum pater, vir discretione præcipuus. Abbatis oblatum Titulum recusavit Obiit 2. Feb. 1536.

6. Jodocus de Dumo, vir omnium ore & calculo de Cœnobio suisque Religiosis optime meritus 21. Januarii anno 1553. in Domino requievit.

7. Everardus Bacx suis virtutum omnium exemplo præluxit, donec ab Iconoclastis Sacra omnia profanarentur, Monasterium spoliaretur, templum everteretur, cæteris Religiosis quaquaversum dispersis Monasterium deserere noluit, calamitatibus & infirmitatibus patientissimè immortuus anno 1579.

8. Joannes de Mechlinia, vitæ integerrimæ, Immaculatæ Virgini Matri specialiter deditus, hospitalitate, benignitate, virtutis pietatisque odore omnibus amabilis, triennium solum præfuit, suis morte ereptus anno 1582.

9. Joannes de Samillan, vir genere & eruditione nobilissimus. Alexandro Farnesio à Confessionibus. Monasterium vastatum utcunque restituit, Ecclesiam de novo struxit, Disciplinæ restitutor. Procurator Ord Generalis optimè meritus, demum 2. Sept Anno 1610. decessit.

10. Henricus vander Heyden, verbo & exemplo suis laudabiliter præfuit. Humilitatis studio præcipuus fuit, utque mantello, Cruce, annulo aliis Prælaturæ insigniis uteretur per expressum mandatum Capituli Generalis via obedientiæ compelli debuit. Villariensis postea Abbas electus, cum loco huic decennium præfuisset illumque illatione corporis B. Hatebrandi Abbatis beasset, templumque splendide ornasset, ibidem 11. Julii festo S. P. N. feliciter in Domino requievit anno 1647.

11. Philippus Boonem vir utrobique nobilis & Stemmate & Religione, præfuit & profuit annis decem, inde postulatus Abbas in Baudeloo, antequam consecraretur extinctus est 11. Oct. 1631.

12. Christophorus de Buckens Nobili & ipse familia, nec minore animi Nobilitate, summis ingenii talentis ditatus, solertia, gravitate prudentia memoriæ ac judicii qualitatibus præditus, linguæ ac idiomatum notitia ornatus omnibus pene scientiarum disciplinis exuberans: idem omnia omnibus factus. Fuit etiam Historicus insignis, in Genealogicis versatissimus, inter præcipuos Scriptores referendus, à viris doctissimis celebratus, vivere desiit anno 1650. 30. Sept.

13. Petrus Spers, vir revera Magnus & per omnia laudatissimus, idem pro egregiis meritis primus hujus loci Abbas creatus. Fuit & eruditione præcipuus honoris divini, decorisque Domus DEI longè studiosissimus, adeo quidem ut splendor templi omnem superare eloquentiam dicatur. Vita excessit anno 1154. 6. Kal. Oct.

14. Benedictus, re & nomine comprobatus, familia de Blommaerts, singularibus à Numine talentis præditus Petro successit, cujus magnis conatibus, successus felicissimos boni omnes precantur & ominantur.

## S. SALVII VALENCENENSE.

Fundatum anno Christi 76. à Pipino Galliarum Rege Caroli Magni Imp. felicissimo parente pro Monachis Ordinis Divi Patris Benedicti, prope Ecclesiam S. Caugerici, quod tamen S. Bruno Coloniensis Archiepiscopus, sedis Apostolicæ per Hannoniam Legatus ad Collegiatam S. Salvii Basilicam transtulit in qua usque hodie multi egregio vitæ exemplo præfuerunt. De Abbatibus prioris Cœnobii non constat, documentis omnibus à Canonico quodam odio Ordinis Monastici, igne absumptis, de posterioribus eum quem meruimus Catalogum damus.

1. Hibertus sive Hubertus, aliis Rubertus vir Religione insignis haud diu præfuit.

2. Rubertus, eruditione non minus quam Religione celeber, reliquit aliqua post se ingenii præclari monimenta nec multo tempore & ipse præsidens, carne solutus est.

3. Richardus & ipse utilis Præsul, qui quamdiu præfuerit non refertur.

4. Hubertus II an III. ab Honorio II. Pont. Max. in protectionem Sedis Apostolicæ Monasterium suscipi impetravit, mortuus, cum quatuor tantum annis præfuisset.

5. Robertus sive Rubertus II. Sanctitate non minus quam eruditione conspicuus, sacrorum librorum conscriptioni intentus, & ipse quatuor solummodo annis præfuit.

6. Ado, vita coram DEO & hominibus laudabiliter peracta, omnibus charus, cum decennium circiter rem administrasset, anno 944. ad immortalia emigrat.

7. Hugo, quem cum suis in specialem protectionem Lucius II. Papa suscepit, aliaque inter S. Gangerici primi Monasterii Ecclesiam, cum omnibus filialibus ad eam spectantibus confirmavit. Optime meritus in omni vita, felici demũ fine quievit.

8. Hubertus III. vir Religiosissimus multum reluctans præesse cogitur sub annum Christi 1153. Incertum quamdiu præfuerit.

9. Aymo, pietate non solum insignis, sed & in scripturis divinis eruditissimus, cujus virtutum splendore capti plurimi, multa Cœnobio bona contulerunt, præfuit annos circiter 22. sub annum Christi 1181 defunctus.

10. Maynerus annis fere 13. præfuit laudabiliter, suosque cohortatus ad fraternam concordiam & pietatem, suaviter in Domino conquievit.

11. Arnulphus Spiritus Sancti via electus, disciplinæ Regularis Custos sedulus.

12. Guic-

12. Guiccardus, vir inculpatæ vitæ & devotionis admirandæ, cultor singularis S. Mariæ Magdalenæ, pauperum pater pientissimus, cujus studio Xenodochium S. Bartholomæi erectum fuit. Patres Franciscanos superstite etiamnum Seraphico P. Francisco in urbem introduxit, eisque Xenodochium commisit. Rexit creditum sibi gregem annis ferè 18. & anno Christi 1220. mortalitatem exuit.
13. Elias Dominicanos Patres in urbem introduxit, præfuit annis fere 20.
14. Radulphus aliis Rudolphus. Sub hoc Thomas Remensis Archiepiscopus ad S. Salvii veniens corpora SS. Salvii & Superii, ex veteri sarcophago in novum argento fulgentem transtulit, & caput S. Salvii in theca argentea peculiari reposuit. Præfuit utiliter Radulphus obiitque sub annum 1287.
15. Rodulphus sive Rudolphus II. Laudabiliter in regimine se habuit.
16. Stephanus vix biennium præfuit & vita excessit, majore campana ipsius memoriam usque hodie personante.
17. Berndardus aliis Gerardus, monimenta Cœnobii omnia vetustate corrupta reparavit, & posteris consuluit.
18. Aymo II. haud pauca Cœnobio sedulus Oeconomus comparavit, immaturè obiit.
19. Gerardus Bernart, vix annum unum in regimine exegit.
20. Guilielmus pessimus œconomus & dilapidator rerum Cœnobii, obiit sub annum 1350.
21. Joannes Thisii. Præclare Monasterio consuluit æsque alienum dissolvit, septennium præfuit, egregiis conatibus immaturè præreptus.
22. Andreas Thisii, vir probus sed minus antecessore in Oeconomicis felix
23. Joannes Prænesthinis S. R. E. Cardinalis hujus loci regimine potitur, & quia semper absens erat, gubernationem vicariam Abbati Aquiscinctino credit.
24. Cardinalis de Florentia, mortuo Joanne, à Clemente VII. huic loco obtruditur nunquam tamen possessione propter Schisma potitur.
25. Arnoldus S. Vedasti Monachus, ab Alberto Bavaro Hannoniæ Comite sedi vacanti imponitur, præest 7. annis, mortuus subito sub annum 1395.
26. Ansernus, per viam Spiritus Sancti electus, vir utilis, sed qui se indignum honore proclamaret nec retineri posset, quin post annum resignaret.
27. Rasso, vir præstantissimus, qui disciplinam generosè restituit, abalienata redemit, multis modis Cœnobio consuluit, præfuit annis 20, feliciter, magnumque sui desiderium moriens post se reliquit.
28. Petrus de Loyancourt, studia restituit, librosque à blattis corrosos reparari curans, ad optimam vitæ rationem suos revocare conatus, tertio initi honoris anno præmaturè è vivis excessit.
29. Martinus Bousseux, sexennium cum præfuisset, vivere desiit.
30. Petrus de Balini quinquennium rebus præstitit.
31. Simon VVillort unanimi omnium consensu electus diu recusavit, victus denique precibus admisit & 19. ferè annis sanctè præfuit, & infirmitatibus perurgeri se animadvertens, dispensatione Nicolai V. dignitatem Jacobo de Croy resignavit 1453.
32. Jacobus de Croy Canonicus Leodiensis, Præpositus Atrebatensis, Cameracensis Episcopus, qui ob bella depauperatum Monasterium in manus Pontificis summi resignat.
33. Sigerus S. Salvii Asceta huic ipsi loci præficitur anno 1478.
34. Otho octennium præfuit.
35. Guerinus multa Cœnobii abalienavit.
36. Joannes Thomin vir præstantissimus, qui oppignorata non solum redemit sed rem Cœnobii plurimum auxit, & disciplinam laudabilissime reintroduxit.
37. Joannes de Brisoles Carmelita SS. Theol. Doct. à Carolo V. imponitur paulo post febri correptus & morte absumptus.
38. Carolus Lalain Episcopus, Cæsaris promotione & Rom. Pont. indulto huic loco imponitur.
39. Antonius de Lalain, qui verum pastorem se exhibuit, Monasterium splendide restauravit, verum patrem se omnibus exhibuit, mortuus anno Christi 1541. pridie idus Aug. nemine non super tanti patris obitu complorante.
40. Franciscus Bonnalot, qui sexto regiminis anno nepoti suo resignat.
41. Jacobus à S. Mauritio. Sub quo ab Hæreticis spoliatum est Monasterium & Monachi ejecti.
42. Georgius de Austria, qui Ecclesiam ab Hæreticis pessimè habitam restauravit.
43. Philippus d'Oignies omnium Religiosorum suffragiis electus.

## SS. LOCI RELIQUIÆ.

Corpus S. Salvii Engolismensis Episcopi viri Apostolici & Martyris.
Corpus S. Superii ejusdem socii & Martyris.
Corpus S. Victoris.
Duo corpora ex Societ. S. Ursulæ.
Dens S. Joannis Bapt. & 2. particulæ ejusdem.
De Sancta Cruce Dominica.
De Camisia Beatissimæ Matris Virg.
De S. Babyla insignis portio, atque ideo festum ejus est 12. lectionum. Plurimæ aliæ minores partes diversorum Sanctorum.

## SCHARNBECCENSE.

Olim Steinbeck, dein Marienbeck in Ducatu Brunsuicensi medio milliari distans à Lunæburgo, fundatum anno Christi 1243. ab Othone Duce Brunsuicensi & Lunæburgensi & à Ludovico Episcopo VVerdensi ac deinceps egregie diversorum donationibus locupletatum, tempore mutatæ Religionis in Principum concessit potestatem.

## SCHENNIS.

Virginum Nobilium Canonissarum Collegium fundatum ab Hunfrido Rhætiæ Curiensis Comite, sub annum Christi 806. Dotatum ab Arnulpho Comite de Lenzburg & filiis ejusdem, ejusdem Collegii Advocatis, post quorum mortem aliquamdiu Advocatos habuit Comites Kyburgios, inde Episcopos Argentinenses, Toggenburgios postea Comites

atque Habspurgios, ab his demum anno 1438. à Friderico nimirum Archiduce in protectionem Suiciorum & Glaronensium commendatum. Abbatissarum nomina damus, quotquot possumus, primorum siquidem sæculorum nomina cum aliis monimentis, variis casibus Cœnobii, interciderunt.

Regulinda Princeps & Abbatissa claruit anno verbi incarnati 1091.
Itha claruit anno 1127.
Adelheides de Buochberg, rexit anno 1178.
Magdalena ab Heidelberg anno 1185.
Euphemia de Bichelsee.
Adelheides de Sigberg anno 1214.
Mechtildes incertum quo genere Anno 1271.
Elisabetha Domina de Falckenstein 1301.
Anna, de familia non constat, 1303.
Elisabetha claruit anno 1308.
VVilliburga Collegio præfedit anno 1310.
Catharina rebus præfuit anno 1321.
Ursula de Gruenenstein anno 1330.
Anna Baronissa ab Arben 1343.
Agnes de VVilenberg præfuit anno 1399.
Adelheides de Schvvandeck 1402.
Elisabetha de Gryffensee, claruit 1451.
Adelheides de Trostberg 1460.
Agatha Baronissa de Saugen.
Dorothea de Jestetten, anno 1481.
Barbara Blaarerin à VVartensee electa 1482.
Elisabetha de Goldenberg anno 1492.
Susanna de Stall anno 1495.
Barbara de Trüllerey, anno 1498.
Ursula Montpratin à Spiegelberg, anno 1554.
Anna de Molsheim electa anno 1554.
Barbara Blaarerin de VVartensee sub cujus regimine Monasterium totum cum plerisque ornamentis exustum fuit, anno Christi 1585. ipsa electa fuit anno 1575 & biennio post incendium 1587. ex moerore obiit.
Catharina Brimbsin ab Herblingen electa anno 1587. sub qua denuo ignibus consumptum fuit Monasterium anno 1610. ipsa obiit anno 1611.
Anna de Belheim electa anno 1612. vita excessit anno salutis 1618.
Maria de Ramschvvag vetustissimæ familiæ Heroina, obiit anno Christi 1652.
Maria Cæcilia de Greuth summæ prudentiæ Princeps, præmature decessit cognata optimâ, multo suorum dolore anno Christi 1664.
Maria Francisca ze Rhein, quam DEus opt. Max. diuturnissime hospitem velit & felicem.

## SEDLICENSE.

Benedictinæ Regulæ Sacræ Congregationis Cisterciensis nobile in Bohemia Cœnobium, jussu Numinis ibidem conditum à Daniele Pragensi Archiepiscopo. Hic cum ex itinere eo loci delatus, mira quadam atque insolenti corriperetur somnolentia, ut iter porro prosequi nulla ratione posset, equo desilire & in vicinam se recipere sylvam coactus, substratis per famulos palliis, ephippioque loco pulvinaris accommodato sese prosternens in somnum solutus est. Egere excubias juxta dormientem duo è famulis. Hi conspexere aviculam tenellam candore niveam, capitello rostro alis aureis, in os tunc forte oscitantis involare, qua super re attoniti dum de excitando Principe bene & male ominantes altercantur, ac deliberant, aviculam intra horæ dimidium ex hiante Episcopi ore denuo prodire in altum evolare, moxque evanescere mirantur. Prorupit quamprimum evigilans in has voces Pontifex: *Mirabilis DEus in operibus suis!* Famulisque locum, in quo dormierat observare jussis, incisis quatuor, in totidem arbores vicinas, crucibus; iter prosequutus suum, comitibus narrare quæ viderat per somnium aggressus est: DEUM per angelum sibi præcepisse asseverans, ut eo loco conderet Cœnobium, charissimæque sibi Familiæ Cisterciensi consignaret. Retulere domum reduci quæ & ipsi viderant famuli, quibus ipse: *Reddite DEO laudes*, subintulit, *hic fuit ille nuncius, quem misit ad me DEus, ut exequar, quæ habeo in mandatis.* Nec mora, comparatis omnibus structioni necessariis, magnifici Cœnobii ipse manu propria fundamenta jecit, perficiensque structuram nomen Cœnobio ab Ephippio, (Sedlo) imposuit, illudque deinceps sæpius frequentans, magnis proventibus auxit. Crevit insuper fortuna Monasterii ex argenti fodinis à fratre quodam Converso repertis, dum in montibus sylvisque vicinis armenta pasceret. Reperiens siquidem virgam argenteam altius ex scopulorum rimis consurgentem, ipsam extrahens locumque cappa sive Capuzio suo connotans, thesaurum repertum magno cum plausu Abbati suo donum tulit, locum monstravit, ubi tanta deinceps argenti vis eruta est, ut non tantum Cœnobio sufficeret, sed toti Regno ditando, accrevitque cum tempore Urbs Kuttenberga, quæ ab Capucio Conversi præfati, nomen accepit. Mansit florentissimum ad usque Sacrilegi & Nefandi Ziskæ tempora, ea structuræ elegantia ut ipse Nequam etsi juratissimus Cœnobiorum hostis ipsi ob pulchritudinem parcere statuerit. Accendit tamen asseclarum nonnemo, cujus cum scelus ulcisci Ziscka statuerer, promissa magna argenti illi qui Author incendii fuisset, confitentem reum quamprimum habuit, cui liquefactum in os argentum infundi jussit, ut miraculi instar sit: Ziscam qui talia exercere quotidie consueverat, in suæ crudelitatis æmulum adeo rigidè animadvertisse. Visuntur usque hodie rudera Basilicæ magnificæ quadro lapide & polito, ut nemo non sacro cum horrore intueatur. Hodie vix duobus, summum tribus Religiosis alendis sufficit, & talibus, qui summa in penuria & egestate, modico contenti, DEI laudes celebrent, loci reverentia potius & sanctitate, quam corporis commodis suam metientes felicitatem. Olim felicissimum se quisque sæcularium est ratus, si vel mortuus etsi longè remotus felici illi glebæ inferri mereretur, unde tantus quandoque cadaverum confluxus fuisse scribitur, ut locus illis sepeliendis in spatiosissimo alias Cæmeterio deesset. Accidit anno 1608. ut villicus Monasterii Cæmeterium contemplatus, terram aratro peridoneam & fructibus ferendis sulco tentaret, monitus desistere ob reverentiam loci, cum negligeret, luit illico à genio quamprimum aliquo compressus ut animam exhalaret.

## SPECIOSÆ VALLIS.

Anno 1098. die 21. Martii exortus est Ordo Cisterciensis.

Anno 1150. & circiter, fundari cepit Abbatia in Neüsaze, postea Schönthal, id est speciosa vallis appellata; ab Illustri Barone VVolfframo de Bebenburg in proprio ejus allodio Neusaz appellato.

Anno 1157. die 10. Martii, Anastasio Papa IV. gubernante ecclesiam, Friderico I. Barbarossa dicto, Imperante, Arnoldo de Salenburg Archiepiscopo Moguntino, Gebhardo de Hennenberg Episcopo Herbipolensi, Lamberto Abbate Cistercii, totius Ordinis Generali sexto, Monasterium Speciosæ Vallis, vulgò Schönthal ad fluvium Jagustam, in loco qui dicebatur Neüsaze, pro Religiosis Ordinis Cisterciensis in honore B. Virginis MARIÆ, à Barone VVolfframo de Bebenburg, cum consensu filiorum suorum fundatum, ad petitionem ejusdem Fundatoris ab Imperatore Friderico I. tunc Herbipoli curiam celebrante, recipitur in §. Romani Imperii protectionem, & fundator induit ibidem habitum Conversorum hujus Cisterciensis Ordinis. Eodem anno & die intitulatur abbatia hæc catalogo Monasteriorum Ordinis Cisterciensis. Fundatoris dies obitus est 12. Octobris.

1. Abbas primus Hervvicus cum Henrico Priore & aliis 10. Religiosis ex Mulbrunna ad petitionem Domini fundatoris mittitur in Speciosam Vallem à Rever. D. Patre Diethero tunc Mulebrunnæ Abbate, Anno 1157. præfuit annis propè 16. & obiit 11. die Januarii Anno 1172.

2. Henricus ex Priore factus Abbas, rexit Monasterium annis 14. & obiit 5. Martii 1186.

3. Siboto, aliàs Sebotus, præfuit annis 14. obiit 5. Aprilis anno seculi 1200.

4. Albertus, præfuit Annis 16. habuit sub curâ sua aliquot Religiosos sanctitate illustres, in primis B. P. Richalmum, prius Portarium, postea Priorem, tandem in Abbatia successorem ejusque coævos VVilhelmum Moncutum, Fridericum, Herilinum & alios. Ad instantiam Rev. D. Richolphi tunc Cathedralis præpositi, parochia in Bieringen incorporatur Monasterio Speciosæ Vallis. Obiit Albertus Abbas Anno 1216. die 15. Februarii.

5. B. P. Richalmus ex Priore Abbas eligitur anno 1216. sanctitate vitæ & visionibus clarus. Cujus rei evidens testimonium exhibet vetustissimus liber visionum Richalmi Abbatis manuscriptus, in Bibliotheca Stambsensis Cœnobii ad finem operum S. Joannis Chrysostomi, repertus Anno 1632. Has legit, commentario ornatè inserit & citat Reverendissimus & Doctissimus Caramuel in suâ Theologia regulari Epist. dedicat. ad Regulam Milit. Templi. Ex his colligitur, quod Richalmus ad huc puer de suâ salute æterna certus; alio tempore jam Adolescens per opera misericordiæ se maximè salvandum ab Angelo sibi claré loquente commonitus fuerit. Christus Dominus ei variè sub specie pauperum, quos pridie susceperat & laverat, apparuit sub formâ florum solsequii & rosæ cum piis allocutionibus. A B. Virgine osculum & ita mortificandæ monitionem, à S. Angelo Custode gloriosè apparente contra Dæmones victorias accepit, mira ei videre datum erat quoad continuas & ferè incredibiles insidias dæmonum Religiosas, monasteria & exercitia pia impedire conantium. Obiit Beatus vir 2. Decembris anno 1219.

6. Godefridus præfuit annis 3. & amore solitudinis ac religiosæ quietis resignavit Anno 1222. obiit verò Anno 1232. sub Arnoldo Abbate.

7. Joannes I. præfuit annis 4. & obiit anno 1226. die 26. Novembris.

8. Sifridus rexit annis 4. & obiit anno 1230. die 17. Junii.

9. Arnoldus rexit annis 6. & obiit anno 1236.

10. Rupertus præfuit 2. annis obiit Anno 1238.

11. Hildebrandus rexit annis 23. & obiit Anno 1261.

12. Henricus rexit annis 9. & obiit Anno 1270.

13. Thomas electus, circa annum 1270. præfuit annis 14. & obiit Anno 1284. transfertur Paternitas & Filiatio Speciosæ Vallis à Mulbrunnâ ad Cæsaream à Capitulo Generali ad petitionem Abbatis & Conventûs de Mulbrunnâ.

14. Henricus præfuit annis 11. & obiit Anno 1295.

15. VValachimus ex nobili prosapiâ de Creilsheim, rexit annis 9. ab anno 1295. & obiit Anno 1304. 5. idus Januarii.

16. Godefridus hoc anno 1304. resignavit.

17. Fridericus electus eodem anno 1304 resignavit anno 1309.

18. Conradus cognomento Kübel de Heilbronna, præfuit circiter 2. annis, obiit vel resignavit circa annum 1311.

19. VValtherus Abbas electus mense Junio anno 1311. rexit annis 9. & obiit anno 1320.

20. Albertus electus anno 1320. obiit 1321.

21. Reinoldus electus Abbas anno 1321. resignavit anno 1364. obiit 1372.

22. Conradus electus anno 1365. præfuit annis 6. obiit anno 1371.

23. VVernerus anno 1371. electus, præfuit annis 3. obiit anno 1374.

24. Marquardus præfuit 3. annis obiit anno 1377.

25. Rabanus anno 1377. electus, rexit annis 13. obiit 1390.

26. Burchardus præfuit annis 10. resignavit & obiit anno 1400. sub hoc Abbate Processio ad D. Virginem in monte & sacello Neüsaz annuè & usque hodie Hebdomatim & fermè quotidie frequentari solito, tam solennis habita est, ut ad 4000. hominum ex 4. decaniis ruralibus cum 11. vexillis Parochialibus, confluxerint.

27. Henricus dictus Hirsch SS. Theologiæ Doctor & Professor prius Heidelbergæ, rexit annis 11. obiit anno 1411.

28. Henricus dictus Rosenkaim præfuit annis 14. obiit anno 1425.

29. Henricus dictus Höfflin Capellanus Imperatoris, & in Concilio Basileensi Confessarius Imperatricis, in ipso Concilio honoratus infulæ usu, præfuit annis 70. obiit anno 1445. sepultus in Capitulo.

30. Simon dictus de Marbach nobilis, præfuit 20. annis obiit 1465. sepultus in templo.

31. Joannes Hübner rexit annis 3. obiit 1468. Hoc tempore orta est dispensatio regulæ ad esum carnium à Sixto Papa IV.

32. Bernardus rexit annis 18. obiit anno 1486. emit pagum VVimenthal.

33. Joannes Hoffman rexit 6. annis, resignavit anno 1492 obiit Halæ Suevorum, ubi lapidem angularem Ecclesiæ S. Michaëlis benedixit anno 1514.
34. Georgius Herlin rexit annis 19. resignavit anno 1511. obiit 1517. sepultus in Capitulo.
35. Erhardus Oesser de Meckmül electus anno 1511. præfuit annis 25. obiit anno 1535. sepultus in Capitulo.
36. Elias VVourstius ex sene Bursario electus, præfuit annis 2. obiit anno 1537.
37. Sebastianus Stattmüller ex Priore Cæsariensi, jure devoluto à Patre immediato Schönthalensibus Abbas præfectus Anno 1537. obiit 1557. præfuit 20. annis.
38. Sebastianus Schanzebach eligitur Abbas anno 1557. profuit annis 27. obiit anno 1583.
39. Joannes Lurtz de Amorbach electus anno 1584. præfuit annis 23. obiit anno 1607. die 6. Maji.
40. Theobaldus Koch de Amorbach, electus anno 1607. præfuit annis 4. & obiit Heilbrunnæ anno 1611.
41. Theobaldus Fuchs de VValthürn, electus anno 1611. præfuit annis 4. & obiit anno 626. die 6. Maji.
42. Sigismundus Fichtling de Carolstatt, electus anno 1626. 14. Maji, præfuit annis 7. & obiit in Tyroli in Monasterio Stambs anno 1633. die 19. Martii.
43. Joannes Leonardus Mainhard de Hechlingen anno 1635. die 5. Februarii præfuit anno uno & 9. mensibus, obiit anno 1636. Octobris 17.
44. Christophorus Haan de Buchen Anno 1636. die 28. Octobris eligitur Abbas, confirmatur & infulatur sequentis mensis Novembris die 11. qui postquam 12. annis inter continuas bellorum pressuras Speciosæ Valli præfuisset, ad instantiam Eminentiss. Archiepiscopi Moguntini monetur à superioribus, acceptare curam Monasterii Eberbach in Rhingavia. Mansit utriusque Monasterii Abbas usque ad 28. Martii Anni 1651. quo die multo Christophori labore electus ex gremio Eberbacensi R P Balthasarus Bnül, ipse ad Speciosam Vallem reversus, per dura & aspera usque nunc præest currente Anno 1671.

## SPINEÆ CORONÆ.

Ejusdem Ordinis Cœnobium altero ab urbe Krumlowio lapide fundatum, anno Christi 1263. ab Ouogaro Rege Bohemiæ, Aureæ deinceps coronæ ob divitias consequutum. Detraxerunt folia Rosæ, imo rosas coronæ sub speciosa Protectionis titulo Rosenbergii Dynastæ, ut jam præter spinas miseriarum & calamitatum nihil superesset, quos inter Petrus Senior ab VVladislao Rege nobiliora quævis oppida & villas Cœnobii quoad viveret ipse possidenda, paucis vero post annis etiam pro tota familia masculini sexus impetravit, verum sub extrema vitæ pœnitentia ductus, quod in sacra DEO manus injecisset, eidem Regiæ concessione non solum liberè renunciavit eamque Diris execratus, nullam esse debere specialibus litteris sanxit, sed & testamento Hæredes ad restitutionem bonorum immediatè post obitum suum exequendorum obligavit. Riserunt hæredes ceu dementiam delirantis & novis litteris sibi confirmari impetrarunt, finem inde seu interitum familiæ maturantes.

Visuntur in area Monasterii proceræ duæ in altum sparsæ tiliæ, quas olim Zitcka Monasterium vastans & Religiosorum exercens lanienam idoneas patibulis ratus, aliquot illis Monachos cucullis indutos appendit. Mutavere solitam arbores foliorum figuram & ab eo tempore in præsens usque figuram caputii prodigiose imitantur.

## STEINA.

Ducatus Lunæburgii virorum Nobile Cœnobiū, in Principatu Calenbergensi inter Northeimium & Göttingam, ubi anno Christi 1248. Monachum egit & Abbatem Joannes nobilis Dominus de Plesse.

## STETERBURG.

Monasterium Virginum Ordinis S. Augustini, ubi Attila olim à paucis ex arce hujus loci erumpentibus cæsus ægrè effugit. Fundatum fuit post annum 1000. ab uxore Altmanni Comitis ab Olsburg ejusque filia Fredecunda. Hæc obiit anno 1080. & mater anno 1107 utraque ibidem condita. Diruitur anno Christi 1542. à civibus Brunsuicensibus, qui nec mortuis pepercére, qui illud denuo struere sunt coacti. Illud tanto post Comes de Solms anno 1627. Generalis Danici exercitus exussit.

## STRUMENSE.

Benedictini Ordinis celebre in Artesia Cœnobium, fundatum fuit à Gerardo I. Cameracensi Episcopo, multisque proventibus cùm ipsius liberalitate, tum Fulgendis sive Fulgentiæ primæ Abbatissæ donatione dotatum; Abbatissarum brevem Catalogum subjicimus.

Fulgendis sive Fulgentia, Romam profecta cum epistola Lamberti Atrebatensis Episcopi, multa in favorem Cœnobii à Paschali Papa beneficia obtinuit.
Beatrix de qua nihil præter nomen.
Maria Abbatissa claruit anno Christi 1154.
Mathildes vixit anno 1174.
Adela clar. 1104.
Agnes anno 1224.
Maria eo nomine II.
Maria eo nomine III.
Ida Abbatissa.
Amissa claruit anno 1281.
Maria IV. anno 1288.
Marga. de Fosseux. 1316.
Benedicta, incertum quo anno.
Adela Dovaiensis.
Eustachia Busquesia 1359.
Margarita Daiavillana 1364.
Maria V. clar. 1371.
Maria sexta.
Roberta de qua solum nomen.
Joanna de Sapignii 1397.
Jacoba Monteligiana 1400.
Anna Rivieria, claruit 1410.
Thomissa de Calonne 1443.
Magarita de Noielle.
Jacoba de Bertencourt.
Magarita de Rauchincourt. 1471.

Jacobea Buzeria ob. 1524.
Joanna Rauchicurtia 1550.
Joanna du Pre anno 1569.
Magdalena mortua 1584.
Isabella de Vaux 1589.
Margarita de la Chapelle anno Christi 1602.
Joanna de Gantan.
Claudia de Belvalet præerat anno 1610.

## TRANSAQUENSE.

BEnedictini Ordinis egregium Virginum Monasterium ad honorem Cœlorum Augustæ fundatum ab Hermanno I. Monasteriensi Episcopo anno 1041. Cujus Ecclesiam solemnissime in præsentia Henrici III. Imp. consecrari impetravit ab Hermanno II. ejus Nominis Coloniensi Archiepiscopo, cooperantibus eidem Alebrando Archipræsule Bremensi & Brunone Mindensi Episcopo, præsentibus pluribus aliis Episcopis B. Bardone Moguntino, Suitgero Bambergensi, Thietmaro Hildesheimensi, Hunfrido Magdeburgensi, Alberico Osnaburgensi, ipsoque Hermanno Fundatore. Hanc Ecclesiam Henricus Imp. dotavit curte Haruia in pago Livegowe, adstantibus totius penè Regni primatibus, & præsente Domina Abbatissa hujus Monasterii prima Bertheide ipsius Domini Fundatoris sorore. Obiit optimus Fundator anno 1050. in hoc Monasterio sepultus. Abbatissæ, quarum extat memoria, sunt sequentes.

1. Bertheides soror, ut diximus, Hermanni I Episcopi Fundatoris. *Hæc*, ut vetustissimus Liber MS. memorat, Spiritualis mater & Abbatissa nostra, nec cum mundo gaudere unquam visa fuit ab infantia, nec cum mundo flere: sed super gregem sibi creditum cura pervigili studuit excubare, quæ quanti apud DEUM in vita sua sub religioso habitu Monachicæ Conversionis esset meriti, testati fuerunt multi, qui quacunque ex causa angustiati, ad ejus sepulchrum confugientes recesserunt consolati. ob. 22. Dec.
2. Ida ex cognatione Bertheidis, in sanctitate non minus quam ordine secunda, pro cujus exercenda patientia, & augendo merito, permittente Numine, tristissimo incendio anno Christi 1062. honorabilis illa Ecclesiæ omniumque Cœnobii ædificiorum structura fuit absumpta, ipsâ Cœnobium ac templum cooperante summo rerum opifice intra 14. annos præclare restituente, & ad supremum usque fastigium deducente, prius tamen quam consecraretur, ad præmia æternitatis evocatâ. 1. Martij.
3. Christina vitæ probitate & innocentia celebris; quæ quod matertera Ida jam penè consummaverat perfectius explevit: cujus instanti petitione, imo Divina præveniente inspiratione anno Christi 1085. 3. Id. Januarii Regnante Henrico XV. Imp. dedicata est Ecclesia â venerabili Erphone Monasteriensi Episcopo. Ipsa autem ad immortalia migravit die 14. Aprilis, uti vet. Necrologium affirmat.
4. Gerburga, videtur cognata fuisse B. Godefridi Comitis Cappenbergensis Canonici Præmonstratensis, cui olim prædixisse fertur, fore aliquando ut Castrum Cappenberg in Cœnobium converteretur. Fuit vitæ Sanctitate Illustris fæmina claruitque sub annum Domini 1126. quo obiit B. Godefridus eidemque Dominæ Gerburgi in magna gloria apparuit coronatus. Gerburgis obitus in Martyrologio 15. Novemb. notatur.
5. Gertrudes sive Gertruda, de qua & paucis qui sequuntur, solus obitus dies, non certa successio & Chronologia habetur. Obiit 30. Martij.
6. Hardevviges vita excessit 3. Januarii.
7. Beatrix mortua 9. Aprilis.
8. Helvviges de VVeuelingkhofen, cujus dies Depositionis celebratur 17 Sept.
9. Ida de Zeinen, regimen tenuit sub annum Christi 1232. obiit 10. Febr.
10. Adela Abbatissam egit sub annum Domini 1292. mortua & ipsa 10. Febr.
11. Agnes Domina de Diepholt, rebus præstitit anno Christi 1312. obiit 1. Aug.
12. Jutta de Zeinen Abbatissam egit anno salutis 1349. mortua 10 Februarii.
13. Margarita Comitissa de Marca, multa bona huic Monasterio attulit. Abbatissæ munus gessit sub annum Christi 1359. Mortalitatem exuit 25. Januarii.
14. Desideratur unius vel alterius Abbatissæ nomen.
15. Mechtildes de Scheuwenberg, rexit Cœnobium sub annum Christi 1420. Vitam mortalem deseruit anno 1440. quinta Augusti.
16. Meina Comitissa Sylvestris & Rheni (Rauchgräfin) obiit 1460. 14. Septembr.
17. Ida de Höuel, Mortalibus exempta est anno Domini 1481. 17. Februarii.
18. Hilburgis Norendyn, hujus loci in prima Reformatione Abbatissa prima, vix annum præfuit & obiit anno 1483. mortilogio inserta. 5. Junii.
19. Sophia Döbbers, Mortalitati huic valedixit anno 1509. 21. Maji.
20. Ida de Merueldt carnem exuta anno Christi 1535. 7. Maji laudabilissimè præfuit.
21. Ermengardes de Schencking præfuit annis 22. mortua anno 1557. 26. Decembr.
22. Anna ab Hortzhuet, præsedit annis 16. obiitque anno 1575. 6 Febr.
23. Godelta Vincke, vix trium Monasterium annorum spatio gubernavit, & vitæ suæ finem imposuit anno Christi 1576. die 7. Februarii.
24. Elisabetha ab Hoite, annos 32 regimen tenuit, die 4 Maji extincta, Anno 1608.
25. Ida de Vörden, non tam generis quam morum & animi prædita Nobilitate, prudentia juxta singulariter & magnanimitate excelluit, cujus regiminis anno decimo, summo cum ejusdem animi gaudio, ultima Reformatio in Cœnobium introducta fuit, omnesque Reformationi se conformantes, magno Charitatis affectu & humanitate amplexando, summo studio sollicite præcavit, ne horis & locis incompetentibus, ulli causa daretur Regularis & Sacri silentii violandi, quod singulare Ordinis fulcrum, & quiens ac pacis pignus esset, & neglectum irregularis vitæ certissimum signum haberetur, quæ & reliqua Ordinis Exercitia & disciplinam Regularem cordi semper habuit, & Priorissam suam Helenam à Fürstenberg ad ea vigilantissimè omni tempore attendere, anxie commonuit. Præfuit laudabiliter & utiliter Ida annis 24. obiit anno 1631. 14. Aug.

Præmemorata Helena de Fürstenberg in omni innocentia sacris Ordinis exercitiis optimè instructa, prius in celebri Ordinis nostri Monasterio Gerdensi sese commendans omnibus, huic deinceps pro exemplari perfectionis fuit, Prioratusque munere ad annos 21. sanctè perfuncta, juxta status, conditionis, vocationis & officii sui decentiam, perfectæ paupertatis, abstinentiæ optimique Zeli, erga officium divinum, & exercitia vitæ religiosæ, noctu simul ac interdiu, omnimodæ mortificationis, abnegationis propriæ voluntatis ac plurimarum virtutum, ad extremum vitæ spiritum, reliquis omnibus præclara exempla reliquit. Eadem plurimum etiam laboris ac molestiarum ab initio reformationis suo tempore introductæ, patientissimè sustinuit, & ex bonis hæreditatiis sibi obvenientibus, simulque manuum suarum laborioso & artificioso opere, & sacrarum Reliquiarum exornatione, variisque ornamentis Ecclesiæ, huic Monasterio plurimum boni præstitit, pulcherrimo denique fine, placidissimè in Domino obdormiscens, vitam conclusit 3 April. anno 1647. memoria perenni dignissima. Resignavit ob nimiam debilitatem de licentia superiorum, paulo ante mortem, nequid per ineptitudinem suam cura Disciplinæ negligeretur, cui Dn. Anna Benedicta de Torck succedere jussa, æquè strenuam sese in omnibus exhibuit, exemplar integritatis, humilitatis omnium virtutum omnibus facta quæ anno 1660. 24. Januarii plena meritorum ad præmia æterna evocata fuit.

26. Anna Scholastica de Cappel. Hæc non minus speculum virtutum omnium extitit, omnia juxta Regulam providè disponens, summæ benignitatis, misericordiæ & discretionis erga omnes, humilitatis, obedientiæ & religiosæ paupertatis studiosissima, in semetipsam austera, multis licet imbecillitatibus obnoxia, benigna in reliquas, per omnia exemplaris cordata & magnanimis in quibuslibet adversitatibus, ac per consequens digna cujus memoria in benedictione æviterna permaneat. Vita excessit 14. Sept. anno 1647.

27. Anna Maria Drose ex Senden, quæ in spiritalilibus non minus quam sæcularibus prudentia suis hodie prospiciens, in bina Urbis obsidione multis oppressa calamitatibus invictam & verè generosam se exhibens, omnes in sui admirationem rapit & venerationem. Ex comm. admodum R. P. Hermanni Bergmann, Confessarii ibidem.

## SS. RELIQUIÆ PRÆDICTI COENOBII.

1. Corpus S. Felicis Martyris, singularis contra incendia Patroni. 16. Martii.
2. Corpus S. Auctoris Archiepiscopi Trevirensis. Colitur 20. Augusti.
3. Brachium S. Ignatii Episcopi Antiocheni & Martyris 1. Febr.
4. Brachium S. Viti Martyris celeberrimi, cujus festum peragitur 15. mensis Junii.
5. Brachium S. Meinulphi Confessoris Archidiaconi Ecclesiæ Cathedralis Paderborn. 5. Oct.
6. Caput unius Martyris ex Legione Thebæorum.
7. Diversa capita SS. Virginum ex Societate S. Ursulæ Reginæ Virg. & Martyris.
8. Insignis particula Crucis Dominicæ.
9. Notabilis pars costæ Sancti Andreæ Apostoli.
10. Dens & pars notabilis digiti Sanctissimi Patris nostri BENEDICTI.
11. Dens S. Vincentii Martyris.
12. Dens S. Mauritii Ducis Leg. Thebeæ.
13. Dens S. Kiliani Episc. Mart.
14. Dens S. Stephani Protomartyris.
15. Dens S. Felicis Martyris.
16. Dens S. Mariæ Magdalenæ.
17. Dens S. Scholasticæ Virg.
18. Dens S. Auctoris & plures SS. Reliquiæ.

NB: Beatorum horum SS. Reliquias non in Transaquensi sed in Abdinghofensi Cœnobio reperiri.

## VALCIODORENSE.

Celeberrimum potentissimumque in Territorio Namurcensi Ordinis Benedictini Monasterium, fundatum anno Christi 944. à B. Eilberto, qui mortua conjuge ibidem DEO se devovit, primumque deinceps loci Abbatem S. Forannanum constituit de quo in Menol. nostro.

### SS. RELIQUIÆ IBIDEM ASSERVATÆ.

1. Corpus S. Forannani Archiepiscopi ac dein Abbatis primi VValciodorensis.
2. Corpus S. Eloquii Abbatis Latiniacensis socii S. Fursei.
3. Corpus S. Nuncii ex Regis filio subulci.
4. Corpora Sanctorum Candidi & Victoris ex Legione Martyrum Thebæorum.
5. Tria corpora sanctarum virginum ex Societate S. Ursulæ Reginæ Virginis & Martyris.

## VEDASTINUM.

Sancti Patris Benedicti Regulæ addictum longe potentissimum Belgii Cœnobium; de quo jam parte seu tomo I. Germaniæ egimus & Abbates recensuimus, nunc quædam distinctius damus, in Abbatum enumeratione.

1. S. Autpertus Cameracensis simul & Atrebatensis Episcopus, Monasterii Fundator idem Rector & Tutelaris.
2. S. Vindicianus, post quem nomine Præpositorũ aliquot ibi viri illustres præfuêre, omnes ab adventu S Mauri in Gallias S. P. Benedicti Regulam professi.
3. Beatus Hatta quem Attam, alii Albam appellant, primus Abbatis munus & titulum gessit è Blandinio postulatus, demum Blandinium revocatus & Abbas designatus, utrumque Cœnobium gubernavit, Regi Theodorico admodum charus.
4. S. Hadulphus ex gremio electus, S. Ragnulphi Martyris filius, ex Abbate hujus loci, Cameracensis Episcopus, tantæ fuit humilitatis ut Dominus vocari exhorruerit, obiit Anno 719.
5. Magdebaldus jam senex Abbas renunciatus, præclarè gestis & gerundis immoritur. 730.
6. Ragenfridus vir religiosissimus vix biennium præfuit & sanctè obiit, anno 732.
7. Gosselinus octo annis ad clavum sedit, decessitque anno 740.
8. Guido post annos 4. regiminis moritur.

9. Roma-

9. Romanus moritur anno 748.

10. Adalricus optima naturæ indole, pietate singulari, Literarum & Medicinæ inprimis cognitione spectatissimus, præfuit annis 23. mortuus anno 772.

11. Sigebertus difficillimis temporibus præfuit sub Constantino Copronymo multa adversa passus, præfuit annis 10. vel 11. Post mortem ejus vacat Abbatia 4. annis.

12. Radfridus summæ apud Carolum Magnum auctoritatis, cujus jussu cum Adolpho S. Leonis III. Papæ Legato, Ardulphum Angliæ Regem Regno pulsum restituit anno 808. præfuit annis 12. sub quo Monasterium gravi incendio vastatum fuit.

13. Raddo consilio divino potius quam humana prudentia Abbas creatus, Monasterium â fundamentis exstruxit, omnia pristinæ dignitati restituit, cultiora reddit Sarcophagum S. Vedasti argento auro & gemmis excolit. Præfuit annis 20 iis meritis, ut in Divorum numero habeatur. Obiit anno 38. Regis Caroli.

14. Adalungus, supra pietatem & eruditionem specie digna imperio qui huic Monasterio imperet eligitur, Ludovico Pio Imp. plurimum dilectus, cujus mandato multis gravibusque momenti legationibus perfunctus, ea inprimis cum Hunfrido Rhætiæ Comite quâ Romam directus super cæde Theodorici Primicerii & Leonis Nomenclatoris in cujus suspicionem Paschalis Papa venerat, hunc in amplissimo Episcoporum consessu causam dicentem audiit, & crimine absolvit. Vita excessit domi forisque clarissimus Antistes post annos 35. regiminis anno 850.

15. S. Fulco, idem Bertinianus etiam Abbas, postea Remensis electus Archiepiscopus, magnus in vita & morte, Martyrio coronatus ob jura Ecclesiæ defensa laureatus cœlum subiit 17. Junii anno Christi 900. Ipso Remos immigrante succedit.

16. Malfridus aliis Magfridus & Madfridus, vir prophanus. Is Abbatiam invadens rebus Monasterii ad libidinem abutitur.

17. Rotoldus post decessionem seu secessionem Malfridi legitimus Abbas â fratribus electus. Sacra ossa S. Vedasti, diu occultata metu civilium bellorum elevari solemniter curat per Theodoricum Cameracensem & Atrebat. Episcopum, præfuit annis 3. & obiit.

18. Adalardus Comes Flandriæ duobus annis nundinari potius res sacras & exhaurire studuit, quam amplificare.

19. Carolus Calvus Imp. sive deploratæ hujus loci calamitati sua authoritate mederi voluerit, sive cupiditas traxerit, pro Abbate se gerit tribus annis, variis modis nunc munificentissimum, nunc immitissimum se præbens. Vicariis aliquamdiu rem commendans, ipse tamen supremam authoritatem retinens.

20. Hugo Junior Caroli Calvi Vicarius biennio præfuit.

21. Hugo II. & ipse Vicarius, Malfridi tamen supradicti ambitioni cedere cogitur cum vix decem menses præfuisset, post quinquennium tamen repositus 4. menses superstes moritur.

22. Rudolphus, Carolo Calvo etiamnum superstite sed Abbatiam quam undecim annos usurpaverat remittente, communi Fratrum consensu Abbas eligitur, qui sævissima Normannorum Gallias vastantium tempestate Monasterium deserere cogitur, Sacro Divi Vedasti corpore & pretiosiori supellectili Bellovacum translatis. Expilatum â Normannis & exustum Cœnobium solo superstite templo. Sed & quidquid translatum fortuito incendio Bellovaci periit solo S. Vedasti corpore excepto & servato. Rudolphus nihilominus ab Calamitatibus invictus, Monasterium non solum restauravit, sed & propulsandis hostibus communiit, mortuus demum Nonis Januarii anno 900. cum 20. annis regimen tenuisset.

23. Balduinus Calvus Comes Flandriæ, sub specie Monasterii juvandi & in priorem splendorem restituendi â patre Principe an Rege commendatus, patre superstite rem bene gestis cœpta ab Rudolpho perfecit, Sarcophago etiam splendidiore S. Vedastum honoravit: Postea, mortuo patre, totus mutatus ab illo, Monasterio pessimè consuluit, cujus etiam jussu, an consensu, rapacitatem ejus damnans S. Fulco interemptus creditur. Ipse obiit sub annum 918.

24. Alcmarus aliis Albumarus Comes favore Caroli Simplicis pro Balduino obtruditur anno Christi 912. idque obtinet ad annum usque 935.

25. Adelelmus ejus filius & hæres ( more inimicorum DEI, ait Codex MS. ) Sanctuarium ceu hæreditarium possedit annis 12.

26. Arnuphus Comes Flandriæ Balduini filius, pietate & bellicis artibus illustris, Atrebato violenter expugnato, Adelelmum cedere cogit, Monasterium cum licentia summi Pontificis obtinet; quod amantissime tractans, Basilicam insigniter exornat annis 12. mortuus anno 964. sive 967.

27. Hugo III. incertum quamdiu præsederit.

28. Hugo IV. de quo nil præter nomen.

29. Hildebrandus qui etiam Abbas S. Bertini extitit.

30. Famericus sub annum Christi 968. regimen suscepit, idque annis solum 4. tenuit cujus tempore Lotharius Rex Galliæ Atrebatum occupavit pluresque alias civitates magnis rerum successibus, majora ausurus, nisi corruptis Consiliariis aurum præbuisset.

31. Malfridus, aliis Malefidus, infausto omine, ut nomine cujus tempore denuo Monasterium ignibus absumptum est.

32. Fucardus aliis Fulradus adeo oblitus sui muneris & officii, ut in ipsum animadvertendum rigide Cameracensis Episcopus censeret, atque insuper exauctoraret. Verum ipse appellans ad Remensem Archiepiscopum, nec dum pronunciata sententia extinguitur 12. regiminis anno, sede postea 4. annos vacante.

33. B. Richardus Virdunensis tunc Abbas ad Gubernationem hujus Cœnobii exoratus & coactus, idem ut & plura vicina Cœnobia strenuè reformat, cumque novennium sanctè præfuisset, ad Laubiense Cœnobium Abbas postulatur.

34. Matholdus dignitatem Abbatialem suscepit anno 1018. eodem ipso anno præmature extinctus.

35. Liduinus, vir in sæculo locuples & bello fortis, factus postea Monachus insigni pietate illuxit. Basilicam Cœnobii rudi Minerva post incendium exstructam nobiliter reformavit, re benè gesta regiminis anno 21. extinctus.

36. Joannes I. A Balduino Comite Flandriæ promotus præfuit ab anno 1040. usque 1049.

37. S. Poppo egregia sanctitate vir, cum vix annum præfuisset, ad alia Monasteria reformanda vocatus, in suo denique Stabulensi Cœnobio carne solutus est.
38. Balduinus Insulanus Princeps verè Religiosus, ipse in se regimen Cœnobii, quod ab anno 1050. ad usque 1067. paterna pietate gessit, & sollicitam suorum curam habuit; nihilominus dum Regni negotiis occuparetur, regimen Abbatiale sequentibus permisit.
39. Adelelmus Abbas certis conditionibus creatus, ut potior temporalium administratio penes Principem esset, utiliter ad annum usque 1060. præfedit.
40. Archemboldus occisa similiter potestate, septennium Cœnobio præsedit.
41. Adelardus subintrusus cum vix annum sedisset ejicitur.
42. Adloldus vir eximius, Gerardo II. Cameracensi & Atrebatensi Episcopo charissimus, qui illius gratia multa Cœnobio beneficia contulerat. Hic 30. annis res Cœnobii plurimum auxit, & meritorum gloria celeber vivere desiit anno 1104.
43. Henricus 26. annis præfuit, felicissimum agens Oeconomum, cum minus curam spiritalium haberet, non illibenter ex reformato S. Bertini Cœnobio Alvitum admisit, qui sacra curaret & disciplinam promoveret.
44. Gualterus præfuit annis 17. sed infeliciter, Cœnobio rursum exusto.
45. Guerricus, reparando Cœnobio intentus, bellorum motibus impeditus 8. annis præfuit.
46. Martinus generoso animo Præsul, Principum ambitioni egregiè obnititur. Philippum Alsatium Flandriæ Comitem reddere ablatam Divi Jacobi Apostoli calvariam cogit. Ludovicum Galliarum Regem jubentem sibi ad Divi Vedasti convivium parari, solito dimenso contentum esse docuit. Tandem præ senio deficiens viribus ultrò resignavit, cum annos 29. optimè rebus præstitisset.
47. Henricus II. resignatum onus non supra 5. menses gessit, Romamque profectus ibidem vivere desiit, cujus corpus postea Cluniacum translatum est.
48. Joannes II. unanimi consensu electus, usum annuli impetravit, præfuit 2. annis obiit 1186.
49. Joannes III. quatuor solum annis præsedit, sub quo anno 1189. templum cum majore civitatis parte deflagravit; illud tamen ipse anno superfuit reparavit. Mortuus est incisa vena & subitum ruptæ anno 1190.
50. Joannes IV. & ipse 4. solum annis regimen tenuit, mortuus anno 1194.
51. Henricus jam senio gravis onus subire jussus subiit, obiitque anno 1200.
51. Raymundus vir peregrinus, incertum qua promotione, Abbatis nomine indignus, non patrem sed latronem se exhibuisse memoratur, ab Innocentio III. exauctoratus Anno 1206.
53. Odo primævæ Ord. pietatis studiosissimus, pauperum pater. Romanis Pontif. ob innocentiam & prudentiam charus, multa privilegia impetravit, præfuit annis 22. sepultus in Sacello SS. Joannis Bapt. & Evangelistæ.
54. Joannes V. aliunde postulatus Abbas. Mortalitatem exuit anno Christi 1236.
55. Martinus II. ex monacho S. Martini de Campis. Vir prudens, bonus & eruditus, præfuit annis 14. usu Mytræ impetrato paulo post obiit.
56. Hugo è gremio electus, duos solummodo annos Abbatem egit, mortuus 1252.
57. Paulus, Vedastinæ novæ Basilicæ fundamenta grandi mole posuit, obiit 1262.
58. Simon multa à sede Rom. Privilegia obtinuit. Mortuus anno 1279.
59. Garinus sive Guarinus II. Basilicæ structuram magnificam absolvit & consecrari impetrat anno 1295. ab Episcopo Sylvanectensi. Moritur anno 1297.
60. Rodulphus de Roij gravissimis bellis undique consurgentibus jactatus, obiit anno 1304.
61. Paulus du Port subsidentibus belli procellis, dum emergit nonnihil moritur, Anno 1308.
62. Nicolaus de Caudrelus, cujus tempore bellum Flandricum denuo accenditur, orta fame miseranda, mirum sese pauperum patrem probat, Parisiis construxit nobile Collegium S. Vedasti. Vita excessit anno 1337.
63. Eustachius de Mernourt optimus Oeconomus etiam inter bella redditus auget. Templum pretiosis vestibus & thecis argenteis ornat; Grandævus onus Abbatiale ab humeris rejicit, mortuus anno 1370.
64. Joannes le Febure vir pius & eruditus, post decennium creatur Episcopus Carnotensis, sub quo anno 1372. Turris & templi fastigium exardescit.
65. Ludovicus communibus Fratrum calculis electus, anno 1380. haud diu præfuit.
66. Robertus, campanas fundi curavit, vita excessit anno Salutis 1394.
67. Joannes de Moji, clarus Nobilitate & magnis virtutibus; Turrim mirabili arte construxit, sub hoc Gallus frustra Atrebatum obsidet, quo tempore Abbas Insulas concedens ibidem moritur anno 1414.
68. Sigerus tempore Concilii Constantiensis biennium rebus profuit, vir pius & bonus Oeconomus.
69. Joannes de Moricourt, Gratus omnibus ob singularem modestiam, prudentiam, Justitiam & charitatem, Præfuit utiliter annis duodecim.
70. Joannes Mericourtius, piè, prudenter, magnificè egit plurima, cui à ducentis annis Præsulum nemo meritis eximiis comparandus sit, obiit 15. Kal. Oct. Anno 1462. æt 86.
71. Carolus Borbonius Regio genere ortus, Archiepiscopus Lugdunensis, primas Galliæ, Cardinalis S. Martini in Montibus. Abbas Commendatarius 26. annis præfuit ob. 1488.
72. Robertus Briconet Parlamenti Regii Consil. Abbas Commendatarius à summo Pont. renunciatus, postea Remensis Archiepiscopus, vir solers, mansuetus, humanus, modestus, cujus absentiam plurimum dolebant Vedastini, ira solatiosa omnibus erat. Obiit nono regiminis anno, Christi 1497.
73. Jacobus de Kelles, Magnum omnino Religiosis gaudium attulit, ob ereptam externis Administrationem. Optimum pastorem egit annis undecim, cui ob senium Martinus Asset adjunctus est.
74. Martinus Asset ex Administratore Abbas, rem divinam, Ecclesiæ ornatum, disciplinam Monasticam serio cordi habuit, & plurimum auxit. Domum

Domum omni supellectili instruxit, villas emit, ædes amplissimas ædificavit. Præfuit annos 30. & morte repentina ablatus est anno 1537.

75. Hieronymus Ruffart Insulanus, Martini aliquamdiu Coadjutor, à morte successor, vir eruditus & probus, mansuetudine, castitate, contemptu gloriæ, pietate in DEum, benevolentia, in suos & exteros incomparabilis, præfuit annis 26. Morte sublatus 4. Idus Novembris anno Christi 1563.

76. Rogerius Montmorencius Mathematicæ disciplinæ addictissimus, ex Protonotario designatus Hieronymo successor & Vicarius, vota Religionis solemnia anno 1561. edidit, festo Paschatis. Inde Festo SS. Simonis & Judæ omnibus sacris ordinibus initiatus, Festo S. Catharinæ Primitias celebravit. Triennio fere pòst, factus Abbas annis 8. & aliquot mensibus præfuit, totus animo candidus & liberalis. Obiit ex mœrore patriæ calamitatum anno 1572.

77. Thomas de Parenty, oblatus Hieronymo Abbati à Carolo V. Monachum professus adeo Religione profecit, ut paulo post Novitiorum Magister, inde Prior, demum Abbas designaretur. Obiit anno dignitatis quarto die 23. Februarii, anno 1576.

78. Joannes Saracenus Atrebatensis, vir acerrimi Judicii, præstantis doctrinæ, & ab ipsa velut natura ad summa factus. Illum Philippus Rex Sacratioris Consilii Senatoribus accensuit, & postea Cameracensem Archiepiscopum designavit. Famam reliquit immortalem ob studium & operam conservatæ Catholicæ Religionis. Obiit Bruxellis anno 1598. 5. Martii ad S. Vedasti tumulatus. Cui sequens est positum Epitaphium:

*Joannis Sarraceni quod fuit hic jacet; viri planè incomparabilis, qui ab ineunte ætate hujus Cœnobii Monachus per officiorum Illustriorum gradus ad supremum Abbatiale culmen perductus est, quo in munere quinque fere Olympiades perseverans, toti Artesiæ velut Tutelare Numen affuit, interitus perduellium Fidei Catholicæ ac Regis hostium à quibus proin in tetrum Atrebati carcerem conjectus, inde postea eductus apud Philippum II. pro motibus Artesiæ componendis legatione perfunctus est. Inde redux à Consiliis Status Catholicæ Majestatis & Cameræ Artesiæ factus, tandem Archiepiscopus Cameracensis, obiit anno 1598. 5. Martii.*

79. Philippus Caverellus, eximius Præsul, æternaque memoria dignus, verus eruditorum Mecœnas, bonarum litterarum & artium cultor præcipuus, insigne Collegium Vedastinum Duaci exstruxit; ubi Ascetæ Vedastini ab ipsa Universitatis fundatione ad hanc usque horam, Philosophiam, Theologiam cæterasque Liberales artes profitentur. Sed & Monachis Anglis in eadem Vrbe Monasterium condidit & dotavit. Benedictinis item Monialibus novæ Reformationis ibidem ædes & Ecclesiam condidit, easdem Gerardimontibus & alibi similiter promovit & fovit; sed & alios Ordines similibus beneficiis demeruit, ut tanquam pater & Fundator ab iisdem recognosceretur. A Principibus Belgii summo in honore habitus, & ad summi momenti ardua negotia destinatus, ad pacem etiam cum Hollandis ineundam missus est, Bibliothecam sui Cœnobii exquisitissimorum scriptorum & librorum copia splendidissimam reddidit, Templi ornatum pro Numinis & loci dignitate insigniter promovit, omnibus amandus & venerandus, summa omniũ comploratione anno Christi 1636. extinctus, paulo ante mortem periculi commendandi Commendatariis Monasterii admonitus, & ipsum præscivisse & prædixisse, atque multa alia toti provinciæ impendentia prænunciare auditus est. Successit diu post Cardinalis Aquensis, & tota Artesiæ provincia redacta est in Gallorum potestatem.

## RELIQUIÆ MONASTERII VEDASTINI MAJORES ET PRIMARIÆ.

1. Corpus venerabile sanctissimi Patris & Arthesiæ Apostoli Vedasti.
2. Corpus S. Hadulphi Abbatis & Episcopi Cameracensis atque Atrebatensis, cujus solemnitas per totam Diœcesim celebratur 31. Augusti.
3. Corpus S. Ranulphi Martyris, parentis S. Hadulphi. 27. Augusti.
4. Calvaria S. Jacobi Majoris Apostoli, ex dono Caroli Calvi Imperatoris.
5. Corpus S. Daciani primi Turonensium Episcopi ex discipulis Domini 72.
6. Brachium S. Maximiani cum carne, qui fuit unus ex 7. Dormientibus, quod Terbodus Abbas Cluniacensis Cardinalis Ostiensis Thessalonica ablatum Vedastinis dedit.
7. Caput S. Leodegarii Augustodunensis Episcopi & Martyris.
8. Caput S. Nicasii Episcopi Rhemensis & Martyris.
9. Dominicæ Crucis & spongiæ partes notabiles.
10. Crux à S. Eligio fabricata (qui fuit Noviomensis Episc.) & SS. Reliquiis referta.
11. Calix quo S. Thomas Cantuar. est usus, plures que ex ejus vestibus Reliquiæ.
12. Brachium S. Hugonis Rotomagensis Episcopi, cujus corpus in Hasprensi Prioratu habetur & colitur.
13. Item S. Aichardi primi Abbatis Gemmeticensis Cœnobii.
14. Corpus venerabilis Abbatis Atte.

## PRIORATUS SIVE MEMBRA ARCHISTERII VEDASTINI.

1. Hasprensis Prioratus olim à Pipino Majore Domus exstructus & dotatus post devictum Ragenfredum, evocata ex Gemmetico Colonia. Is postmodum permutatione facta, Vedastinis Anglicriensem Gemmetico cedentibus, illorum factus est.
2. Maniliensis altero à Perona lapide, juxta terminos Franciæ.
3. S. Michaelis in Suburbio civitatis Atrebatensis.
4. S. Petri Prioratus vulgo dictus de Chorda.
5. S. Salvatoris de Berclaus à venerabili Ludovico Abbate conditus & fundatus.
6. S. Christinæ de Beneria, uno milliari à Bethunia Arthesiæ oppido, ab Illust. Joanne Sarraceno comparatus.

FUNDA-

## FUNDATORES ET BENEFACTORES.

1. S. Vedastus, idem & Fundator primæ Monachorum Cellæ & Tutelaris.
2. S. Aubertus Cameracensis & Atrebatensis ex Monacho Luxoviensi Episcopus, ædificato nonnihil commodius Monasterio, Angelica monitus visione S. Vedasti corpus eodem transtulit.
3. S. Vindicianus Episcopus, incœptum opus perfectius reddidit & Dotavit.
4. Theodoricus Rex exhortationibus S. Vindiciani, in expiationem cædis S. Leodegarii, tanta contulit, ut merito præcipuus Fundator habeatur. Ibidem cum conjuge tumulatus.

## VILLARIENSE MONASTERIUM.

PRomptuarium Sanctorum singulare, celeberrimum Benedictinæ Regulæ Reformationis Cisterciensis in Gallia Brabantina Cœnobium Diœcesis Namurcensis, olim Leodiensis, fundatum anno Christi 1147. ad Diliam amnem, loco amœnissimo, ipso sic eligente mellifluo Bernardo & transferente, quod prior minus conveniens videretur. Abbatum successio sequens est.

1. Laurentius suffragiis Divi Bernardi electus, raræ Sanctitatis vir, annum unicum præfuit, & obedire malens quam imperare, liberari ab onere impetravit, ac privatus ibidem consenescens, sancto fine quievit.
2. Gyraldus vir egregius & sanctus magnam loco gratiam conciliavit obiit sub annum Christi 1150. sive 1151.
3. B Fastradus, & ipse Divi Bernardi Discipulus ab ipsomet confirmatus, obiit sub annum 1154. 27. Novemb. quem nostro Menologio celebramus.
4. Odelinus cum 7. ferè annis strenue præfuisset ultro resignat sub annum Christi 1160. etsi Godefrido Brabantiæ Duci gratissimus esset.
5. Udalricus Alemannus vir plenus dierum, & famæ suaveolentis, resignavit sub annum 1185 inque suo Vallcellensi Cœnobio obiit.
6. Gerardus in quo supra cæteras virtutes mira abstinentia eluxit, & ipse post 6. annos resignavit anno 1190. vel 91.
7. Guilielmus ex Priore Heisterbacensi, plurimum à B Cæsario commendatus, sanctissimè præfuit, decessitque anno Christi 1197.
8. B. Carolus Comes de Seyne ex Hemmenrodensi Monacho hujus loci Abbas, resignavit sub annum 1209 obiit 29. Jan.
9. Conradus Comes de Seyne, vir Sanctus, cujus digiti, quibus sacra tractabat, instar candelarum de nocte lucebant. Resignavit anno 1214. creatus Cardinalis Episc. Portuensis oblato Rom. Pontificatu recusavit. Obiit anno 1227. prid. Cal. Octob.
10. B. VValtherus de Ultrajecto Inferiori. Hic interiora hominum & cogitationes cognoscebat, vir contemplationi addictissimus, cumque demum præ senectute ejus caligarent oculi, ut videre non posset, miraculosè tamen Missam celebrabat. Vita excessit anno 1221. die 13. Novembris.
11. B. VVilhelmus de Bruxella magnæ Sanctitatis vir, miraculis clarus & virtutibus celeberrimus. Inde Claraevallis Abbas 1236.
12. B Nicolaus, cujus exemplo Sanctitatis totum Monasterium mirificè correspondit. Vita excessit anno Christi 1240.
13. B Arnulfus de Lovanio, de quo B.M.V. Guilielmo Abbati, cum admitti ad Ordinem peteret: *Recipe puerum istum, quia vas electionis erit mihi.* Ut autem invitus electus fuit, sic post 10. annos invitis omnibus resignavit. Villarii tamen vitam sanctissimè exegit, obiit 2. April.
14. VValtherus à Geldonia electus 1250. præfuit annis 7. obiit anno 1258.
15. Nicolaus de Harunt, brevi regimine hoc ipso 1258 anno decessit
16. Joannes de Sengerii quinquennium præfuit, obiitque anno 1264.
17. Bernardus de Monte S Guiberti & ipse quatuor tantum annis præfuit.
18. Almericus Abbas creatus anno 1268. plurium SS. Villariensium post altare summum sacra corpora transtulit, & nomina apposuit. Decessit anno 1271.
19. Arnulfus de Gestele vir sanctus 400. & amplius Religiosorum Abbas, præfuit annis 5. mensibus 5. migravit ad Dominum 6 Nonas Martii 1276.
20. Jacobus de Somalia, vir præstans exemplo & verbo, invitis omnibus, ut liberius DEO vacaret renunciat Abbatiam anno 1283.
21. Robertus de Boquerii Ottigniacensis Toparchæ filius non minus Nobilis Religione præfuit annis ferè viginti, obiit 1303.
22. Nicolaus de Gest Ducis Brabantiæ affinis, ejusdem Consiliarius summus & Confessarius, non integros sex annos præfuit, inque Claram vallem cessit. 1308
23. Raduardus de Mechlinia tribus annis præfuit inde in Locum S. Bernardi postulatus.
24. Jacobus de Plancenot, gravissimis tribulationum procellis exagitatus, sex annis laudabiliter præfuit, & sequenti cessit anno 1316.
25. Joannes de Malre insignis Theologus ac mirè facundus, vix annum præfuit.
26. Jacobus de Plancenot denuo postulatus, qui tamen post annos regiminis 12. denuo absolvi petiit & impetravit anno 1329
27. Gerardus de Mostier vir mansuetus & humilis, Præsul laudatissimus. Decessit anno Christi 1330.
28. Henricus de Faux, ex Abbate Grandis Prati huc postulatus, post duos menses honorem resignat.
29. Desiderius de Brigode, homo pusillæ staturæ, & parvus in oculis suis, Ordinis rigidus observator, Prior Villariensis dein Abbas Grandis Prati, inde huc postulatus præfuit triennium non integrum, 7. Septemb. in Domino requiescens anno 1333.
30. Joannes de Bruxella SS. Theol Doctor, vix annum præfuit & decessit 1334.
31. Joannes de Steenberghe, qui eodem anno mortalitatem exuit.
32. Albericus de Genappia, miles olim in sæculo strenuus. Vita excessit 1347.

33. Joan-

33. Joannes de Franea vix biennium rexit & vivere desiit 1349.
34. Nicolaus de Brigode & genere & moribus vere Nobilis moritur 1358.
35. Martinus ex Hoyo oriundus SS. Theol. Baccalaureus homo rigidus & Regularis disciplinæ acerrimus æmulator, obiit anno 1382.
36. Joannes ab Hole decennium regimen tenuit, mortuus anno 1393.
37. Otho ex gremio electus, egregius & maximè utilis Cœnobio Abbas annis 31. præfuit, feliciter mortuus anno 1424.
38. Ægidius de Lovanio, qui postquam novem præfuisset annis cessit 1433.
39. Gerardus de Lovanio electus 1433. magnificè templum exornavit, decessit 1446.
40. VValtherus de Asca & ipse Lovaniensis, cujus opus splendida in templo resonant Organa. De obitu non constat.
41. Franco Calaber S. Theol. Doctor præfuit annis 27. obiitque anno 1485. *Vir Magnus, subtilis, doctus, nitidus, facundus, moribus, ingenio, vita, dogmate, verbo*, celebratur.
42. Joannes de Campernoille fit Abbas 1486. Decessit anno 1503.
43. Joannes Regnaldus de Malletto, Burgundus vir egregius, Theologus insignis, Juris Canonici peritus, Rector Collegii S. Bernardi Parisiis, præstanti eloquentia & morum præditus gratiosa honestate, præfuit ad annum usque 1524. factus Episcopus Megarensis.
44. Dionysius à Zeuerdonck, qui auream primus indutus mitram omnia quasi reddidit aurea seu nitida. Consilio magnus, Provinciis utilis, dilectus Principibus. Providus Domus DEI dispensator, tanta magni ponderis tum publica, tum privata prudenter absolvit negotia, tam magnificè semper foris domique se gessit, tot renovavit ædificia, tot sumptus in rebus præclaris fecit, ut mirum sit, qualiter viribus, ingenio & sumptibus ad omnia suffecerit. Tandem ætate confectus, & mœrore incumbentium Patriæ & Monasteriis calamitatum, quarum multas senserat, plures prædixerat. Lovanium, quo metu grassantium militum secesserat, moritur, 9 Kal. Mart. 1545.
45. Dionysius de Spina præfuit annis 9. mensibus quinque obiit 4. Non. Aug. sub annum 1554.
46. Matthias Hortebreck ex Abbate Boneffiæ. Vir Zelator & observator Ordinis in corrigendis culpis in disciplina & DEI servitio aggravando rigidus exstitit. Discretus nihilominus, ratione utens, & rationem reddens, consolabatur tristes, erigebat pusillanimes, negligentes urgebat, duros & rebelles severo vultu increpabat, obedientes diligebat, prudens & gravis cum hilaritate, omnibus sese accommodans verbo & exemplo docebat. Chorum devotissime frequentabat, nocturnis horis in frigida hyeme stans nudo capite usque ad finem immobilis persistebat, cum tamen nimia jam senectute gravaretur, cumque turbatissimis rebus omnia passim quassarentur & idololatræ in Cœnobia, templa, sacra omnia sacrilegè grassarentur senio laboribus & præsentibus calamitatibus pressus plenus dierum & meritorum, ipsa die & hora qua Christus in Cruce mori dignatus est spiritum DEO felicissimè reddidit anno 1568. ætatis suæ 80, eodem etiam die & eâdem penè hora qua ante 14. annos, Villarium ingressus Abbatialem aggressus est dignitatem.
47. Franciscus de VVeychouvvere Bruxellensis, obiit 14. Oct. anno 1587.
48. Robertus Henrion Gemblacensis patria, vir præclarus, quique Abbatis munus per annos plures singulari cum laude administravit. Fuit pro meritis per Belgium & Leodiensem Principatum Vicarius Generalis, & suo tempore diversorum Beatorum corpora honorificè tumulavit. Cultor DEIparæ præcipuus, Sacellum DEIparæ sub Titulo B. M. V. de Monte Acuto condidit in suo Monasterio, ibidemque Iconem Ejusdem ex quercu Aspricollensi fabrefactam summa cum reverentia collocavit. Ingenti deinceps accursu populorum facto, etiam longè dissitorum, febribus præsertim curandis expertissimis summo refugio, obiit Bruxellis 29. Jan. 1620.
49. Henricus van der Heyden Lovaniensis ex Abbate S. Salvatoris Antvverpiano Antistes Villariensis, vir incomparabilis ab Antonio & vivus & mortuus deprædicatur: Summa inter merita Bibliothecam fama & libris celeberrimam reddidit, Basilicam cæteroquin Regio splendore vere Regiam, splendidiorem insigni molitione reddidit, doxali inprimis constructo, verbis Sandori referimus, ex marmore & Jaspide, cum tribus tabulis artificio singulari per Gasparem de Grayere (ipse in suis ad me subscriptus Jaspar van Crayer) celebrem Bruxellis pictorem, quarum prima Christi Nativitas. 2. Idem à Cruce depositus, Tertia Idem depositus quidem sed inter Angelorum admirationem & devotionem mortua vita repræsentatur. Vita excessit 10. Junii anno 1647.
50. Robertus de Namur, vir non minus splendore virtutum, quam generis Nobilitate conspicuus, præfuit annis quinque & cœlo jam maturus sed omnium votis præreptus anno Christi 1652. 31. Oct. æt. 74. Mortalitatem exuit.
51. Bernardus van der Heck, à cujus initiis ceu dignissimis magnarum structionum fundamentis, dum digna Villario omnes sperant, nos primis paria vovemus & ominamur.

## *VIRIDIS VALLIS.*

ELegans Brabantiæ, secundo à Bruxella lapide Congregationis VVindesheimensis Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Cœnobium, ex Eremitorio Joannis à Bosco in Monasterium conversum sub annum Christi 1343. Prælatorum seriem subjiciamus.

1. Primus loci fundator & Præpositus fuit Dn. Magister Franco de Frigido monte S. Gudilæ Presbyter, minoris Ecclesiæ Canonicus, qui contuitus Joannis Hinckaertii ejusdem Ecclesiæ Majoris Canonici Sanctam vivendi rationem, illi primum se sociavit, quibus & Joan Ruysbrochius sese junxit, donec pluribus sese sociantibus à Domino Petro de Salicibus, Priore Monasterii S Victoris Parisiis, vitæ Regularis normam, ac paulo post Canonicorum S. Augustini habitum è manu Petri Andreæ Cameracensis Episcopi acciperent, qui sequenti die Franconem Præpositum Ruysbrochium Priorem declaravit. Rexit Cœnobium præclarè multo tempore

& Anno 1386. quinto Iduum Julii ex hac vita migravit.

2. Reynerus de Valle ex Canonico Bredanæ Eccleſiæ hujus loci Religioſus ac dein Præpoſitus. Novam & ſplendidiorem cum 6. altaribus ſtruxit Eccleſiam, quam Joannes Laudicenſis Epiſcopus juſſu Cameracenſis dedicavit, obiit Reynerus anno 1401. 5. Jan. non ſine opinione Sanctitatis.

3. Joannes Spighel de Ockenzeel S. Stephani oriundus, & ipſe bene meritus.

4. Henricus Zelle Magiſter Artium Pariſienſis, Homo induſtrius, doctrina & virtute eximius, Præpoſituram in Prælaturam Prioralem mutavit.

5. Walcherus Petercels, Lovanienſis.

6. Henricus Petri Lovanienſis anno 1406. electus, vir præſtantiſſimus.

7. Joannes Piſtoris ex pago Hoolaert. Cœnobium præclaris ædificiis excoluit.

8. Magiſter Henricus ex Pomerio Bruxellis natus fit Præpoſitus anno 1431. vir eruditus nonnulla ingenii monimenta poſteris reliquit.

9. Gerardus Smans de Turnhout, ſumma circumſpectione exuſtum anno ſuperiore Cœnobium, electus anno 1432 illico reædificandum ſuſcepit, & feliciſſimè confecit, paulo poſt mortuus anno 1438. 17. Aug.

10. Joannes ab Haſſelt territorii Leodienſis oppido an pago, diſciplinæ Regularis promotor ſollicitus.

11. Henricus Mortenbeck Bruxellenſis, vir columbinæ ſimplicitatis, & ſenex, abdicare multoties conatus, poſt triennii regimen exauditus eſt. Venerabili Sacramento Altaris longe devotiſſimus, etiam poſtquam ob imbecillitatem & cæcitatem non poſſet amplius ſacris operari, obiit 15. Decembris 1464.

12. Cornelius de Platea Oeſterhoutanus, elegans Valetudinarium ſtruxit, electus 1450. vita exceſſit anno 1457.

13. Oliverius Verbercht Zichemienſis obiit anno verbi Incarnati 1467.

14. Thomas Moninx Bruxellenſis, Cœnobium multis ædificiis auxit, rem ſtrenuè geſſit, obiit 5. Decembr. anno 1483.

15. Petrus vanden Ee Ziriczæa oriundus, de quo nihil præter nomen.

16. Joannes Keyaerts Bruxellenſis ab omnibus in pretio habitus. Virorum hoſpitium & deſiderata ambitus Laicorum ædificia ſtruxit, electus unanimi omnium conſenſu anno 1491. Deceſſit anno 1503.

17. Jacobus Dynter, vir grandævus in quo eluxit digniſſimum Eccleſiæ ſuæ exornandæ ſtudium, ſenile conſilium, morum gravitas & mirus animi candor, obiit 4. Martii anno 1512. æt. 70.

18. Eualdus Vinx. Gandenſis, non integros undecim annos, præfuit.

19. Daniel Petri, Bergenſis ad Zomam, ingenio præſtantiſſimo, tenaci memoria, acre judicium. Bibliothecam auxit, obiit 17. Maji 1534.

20. Henricus de Stratis Bruxellenſis, obiit 4. Novembris anno Chriſti 1548.

21. Quintinus Dierix ab ingreſſu Religionis ad ſupremam uſque horam in omni diſciplinæ Monaſticæ genere admirabilis, obiit 20. Martii anno 1553.

22. Arnoldus de VVinter Bruxellenſis, ſecundo ſtatim Prælationis anno obiit.

23. Theodorus Supramontanus Bruxellenſis obiit anno 1566. 25. Aug.

24. Petrus Walſchæus Bruxellenſis magno omnium cum dolore mortuus cum vix tertium, ſupra totidem annos, menſem præfuiſſet.

25. Martinus Talparius Bruxellenſis, vita exceſſit anno Chriſti 1572.

26. Adamus Fabri, ob pericula ab Hæreticis Bruxellas emigrans ibi peſte obiit 1577.

27. Jacobus Stampion vere Iſraelita, pulcherrimam ſuam Eccleſiam ab Iconoclaſtis peſſime ſpoliari expertus, innumeris malis ſuperior, Bruxellis vita deceſſit 1586.

28. Joannes Meiis Thenenſis, ſexennium regimen tenuit, obiit 1592.

29. Victor Succantius Brugenſis exactæ pietatis vir. ob. 21. Junii 1598.

30. Antonius à Berchim Furenſis, Monaſterium vaſtatum reſtauravit, exules ſuos reduxit, optimis diſciplinis imbuit, obiit 1622.

31. Joannes Succantius Antvverpienſis, Speculum viri Religioſi de Monaſterio ſuo & ordine optimè meritus. Ex hac luce migravit Kal. Maji 1637.

32. Petrus Parys Bruxellenſis, Tantæ fuit dignitatis, ut natura in ipſo viſa ſit theſaurum ſuum condidiſſe.

33. Joannes Lamantius Bruxellenſis, à quo digniſſima quæ geſſit, porro expectanda.

## VLIERBACENSE.

Benedictini Ordinis in Suburbano Lovanienſi ſitu elegantiſſimo & amœniſſimo Cœnobium à Godefrido I. cogn. Barbato Lotharingiæ Duce Lovanienſium Comite, anno Chriſti 1125 fundatum, à poſteris Ducibus dotatum & ornatum. Inducta primum fuit Monachorum ex Affligemienſi Cœnobio colonia, & primi etiam inde Abbates poſtulati, totumque primis temporibus Vlierbacum ab Affligemio pependit, donec deinceps, certis ex cauſis ſeparatio interveniret. Abbatum ſeriem ſubjicimus.

1. Everardus Afflighemio poſtulatus anno 1163. primus merito non minus quam Ordine, egregius obſervantiæ Regularis promotor, dies obitus 15. Kal Nov. notatur.

2. VVigerus, & ipſe Anteceſſori perquam ſimilis. Vita exceſſit prid. Non Aug.

3. Theodoricus, Vir undequaque magnus, conſecratus ab H. Cardinali, Legato Gregorii VIII. Pont. Max. in magno Principum conventu Leodii anno 1188. Præfuit Theodoricus diutiſſime annos omnino 47. obiitque anno 1235. 3. Non. Aprilis.

4. Godeſcalcus, extat ejuſdem aliquod Inſtrumentum ſuper Decimis Parci Dominarum anno 1242. De anno obitus non conſtat. Sed de die 2 Non. Maji.

5. Franco van Iſche, cujus cura & induſtria indefeſſa conſtructa & perfecta eſt Domus Abbatialis anno 1260. Obiit 18. Julii.

6. Arnoldus ob inſignem morum integritatem, eruditionis excellentiam & vitæ ſanctitatem, primus è gremio electus Abbas. Templi magnifici fundamenta poſuit. Obiit 3. Id. Sept. anno 1276.

7. Arnol-

7. Arnoldus II. superstes etiamnum ad annum Christi 1297.
8. Henricus, sive Hermannus (sola enim littera H notatur) alii tamen Arnulphum dictum volunt,& H.litteram in partibus illis idem quod apud nos N. esse asseverant, obiit 13. Januarii anno, ut sæpius, non assignato.
9. Adolphus, de quo etiam nihil præter nomen & quod ipsis Kal. Januarii obierit.
10. Godefridus I Habuit eodem tempore hospites in suo Cœnobio Adolphum Principem & Episcopum Leodiensem una cum Joanne Brabantiæ Duce anno Christi 1315. obiit 25. Januarii, annus non notatur.
11. Guilielmus de Calstris cujus extant litteræ de anno 1324 obiit Idib. Nov.
12. Gosvvinus mortuus 28. Aprilis.
13. VValtherus I. obiit Prid. Non. Nov.
14. Joannes Keynooghe, qui oculos & vitam clausit anno Domini 1350.
15. Guilielmus de Nethene Joannis filius familia præclara natus, virtutibus clarior Gemblaco huc postulatus, obiit 4 Non. Febr. anno 1361.
16. Theodorus Nagel Equestri origine, postulatus ex Egmonda, claruit anno Christi 1367 incertum quo anno obierit, sed die 7. Iduum Novembr
17. VValtherus Canle vixit anno Christi 1381. defunctus 14. Kal. Februarii.
18. Rudolphus I. Extant ejus litteræ Contractus cum Abbatissa Parci Dominarum de anno 1399. 8. Martii. Annus & dies obitus ignorantur.
19. Rolandus qui cum Reliquis Brabantiæ Abbatibus signavit pactum unionis inter Brabantos & Limburgios. 4. Nov. 1415. quo anno vivere desiit.
20. Radulphus aliis Rodulphus Keysers, vir ex omni parte magnus & Principibus charus, diem extremum clausit anno 1424. 29. April.
21. Daniel Rogghe ex Præposito loci creatus Abbas, mortuus ante confirmationem.
22. Robertus de Berthem, vir clara stirpe suis gratus, & à magnatibus in honore habitus. Præfuit summa cum laude annis 32. obiit 1456. 31. Martii.
23. Leonardus de Gribouval postulatus è S. Bertini. Doctor Juris & Decretorum Professor in Universitate Lovaniensi. Varia scripsit & prælo mandavit. Templum restauravit præclare meruit. Vita excessit 11. Cal. Dec. anno 1484.
24. Joannes de Langrode illustris familiæ surculus, videlicet S. Petri Lovaniensis, præfuit annis 34. summa cum laude & utilitate; obiitque anno 1519. 8. Cal. Apr Idem Monasterium primum Bursfeldensibus univit. Sub ipso ex hoc Monasterio Jacobus de Courtevilla postulatus est Abbas Aldenburgensis, ac dein S. VVinoci-Bergensis.
25. Leonardus Vranx, è Procuratore PP. Augustin. Lovanii factus Benedictinus ac dein Abbas hujus loci, vir Nobilitate pariter & pietate clarus. Monasterio insigniter consuluit, multa restauravit & nova struxit, obiit 8. Id. Martii 1535.
26. Joannes de Panhuys in districtu Hatgardiensi natus. Pontificalium usu donatur à Clemente VII. obiit Nonis Septembr. anno 1543.
27. Jacobus Marotel è S. Bertini assumptus. Vir, sive Genus spectes, sive doctrinam sive prudentiam, verè eximius, præfuit annis 25. & sub finem morbo debilis ultro resignat, anno post mortuus 10. Cal. Maji anni 1568.
28. Joannes Hautaert cito morte ablatus ne Cœnobii sui excidium videret, anno 1571.
29. Petrus Coels al. Glimes. Vidit suum Cœnobium impuris Atheorum profanatum manibus omnia eversa, ipse captus diuque & pessimè habitus. Liberatus nihilominus mœrore consumptus, vivere desiit anno 1586.
30. Libertus Schaloen ab Hulsberg nobili genere natus ex Priore S. Trudonis hujus loci Abbas eversa ab Hæreticis pro virili restauravit, præfuit summa cum laude annis 23. post plura piæ memoriæ monimenta mortuus anno 1609. 25. Jan.
31. Godefridus Lemmens Bruxellensis è S. Vedasti postulatus. Vir doctus, prisci candoris amans, pietatis cultor egregius, poëta non infimus. Epitaphium Parmensi Principi composuit Atrebati, obiit 26. Martii anno 1627.
32. Petrus Scribs Duacensis, sui Cœnobii è ruderibus & fundamentis restitutor, qui incredibili suorum dolore ex vivis decessit anno 1651. 23. Sept. Summis & imis gratissimus.
33. Robertus Garesta ea comitate industria & prudentia Antistes, ut in Comitiis Ordinum Brabantiæ immediate post Affligemiensem Prælatum assidens suffragio communi Statuum Deputatis sit accensus. Totus est in Monasterii sui primævo splendore restituendo, plurimum jam meritus de eodem, sed longe melius deinceps mériturus, cujus votis & conatibus fausta omnia apprecamur.

## URSIDUNGENSE.

Celeberrimum Benedictini Ordinis in Hannonia Monasterium, fundatum sub annum Christi 630. à S. Gisleno Atheniensium Archiepiscopo, monitione Angelica longinquam suscipiente peregrinationem; nec sine Numine locum hunc deligente. Cum enim alio primum loco condendo Oratorio aream exsectis virgultis & sentibus pararet, evenit, ut Dagaberto Rege inter venandum ursam persequente hæc ad Gislenum se reciperet subque vestimento, quod inter labores sepofuerat, se conderet. Stupente Rege, neque ulterius quidquam in feram attentante, cum & canes divina vi prohibiti arcerentur. Ursa proin sportellam, in qua sacræ vestes asservabantur, auferente & ad catulos suos asportante sequutus Gislenus, eumque sibi à Numine locum designari interpretatus, illic Cœnobium condere aggressus est, quod & ab eventu mirabili Vrsidungum appellari voluit. Dotatorem præcipuum Dagobertus egit, dein Magnus Carolus & Successores. Præpositos primum an Abbates habuerit incertum, Interciderunt nomina omnia, usque ad Caroli Magni tempora; quibus Vrsidungo maxima evenêre incrementa. Inde Abbatum seriem inchoamus:

1. Elephas Abbas Vrsidungi Magni Caroli nepos & Episcopus Atrebatensis, vir religiosissimus ejusdem Regis cognati sui opera Ecclesiam splendidiorem exstruit, aliaque ædificia cùm restaurat, tum de novo exædificat Nonnulli ipsum fuisse Einhardum Carolo generum contendunt. Superstes fuit usque ad annum 826.

Rursum longum interstitium, Historia Monasterii Normannica persecutione intercepta, qua ipsum met etiam eversum fuit, & Monachi hac illacque dispersi.

2. S. Gerardus ex Abbate Broniensi hujus loci Abbas creatur, ita Monente Gislebertû Lotharingiæ Ducem S. Gisleno in somnis apparente, qui bona ad sæcularium manus devoluta, repetit, & Monasterium in sacris & profanis præclare restituit electus anno 931. vita excessit anno Christi 959.

3. Wido, qui mediante B Brunone Archiepiscopo Coloniensi ab Othone Imp. in specialem protectionem recipitur.

4. Simon corpus S. Sulpitii Bajensis Episcopi in Normannia, impetrat & Vrtidungen transfert. Verum sub eo ob nimiam bellorum ingruentium tempestatem Cœnobium ad extremam redigitur paupertatem. Vivere desiit sub annum Christi 1015.

5. Wenricus Abbas. Vir sanctus appellatur, insignis post alteram ruinam restaurator.

6. Guido ab Rainerio Hannoniæ Comite Cœnobio impositus hoc modo sibi Abbat. sperans vendicare.

7. Hilfridus, eadem intentione à prædicto Comite commendatus.

8. Neribraudus opera Gerardi Episcopi Monasterio immissus.

9. S. Poppo à Deo datus ad restaurationē loci & disciplinæ. Hic anno 1040. ab Henrico Imp pro Monasterii sublevatione Comitatū Balelec impetravit.

10. Heribrandus, idemne quem supra, alii Neribrandum appellant à Rainerio constitutus Comite, cum reliquiis S. Gisleni Conradum Imp. adiit (ex consuetudine Monasteriorum, quo potentius per SS. Reliquias, Principes moverent) in itinere non minus quam in ipsō Monasterio sua Religionis accuratissime continuans exercitia. Placuit Cæsari viri Religiosissimi causa, & contentissimum domum remisit, sicq; aliquot annis in summa quiete supervixit.

11. Rattbodus. Cui vitam S. Gisleni dedicavit Reinerius Monachus Gislenianus, obiit 1042.

12. Widricus, multa à Balduino Hannoniæ Comite obtinuit; hic tamen paulo post multis injuriis Monasterium affecit, ita ut Abbas Cæsari cogeretur conqueri, & (mirabile) Corpus S Gisleni ipsi opponere, contestando, non tam sibi, quam Sancto à Comite, litem tam gravem intendi. Superstes fuit VVidricus in Synodo Cameracensi, A. 1064.

13. Euerinus, de quo nihil præter annū mortis, a. 1069

14. Folcardus Abbas interfuit anno 1070. Dedicationi Ecclesiæ Hasnoniensis cum corpore S. Gisleni, obiit anno Salutis 1078.

15. Quidericus Abbas cujus diebus stricta aliqua observantia fuit introducta.

16. Oduinus 1. quem nonnulli à vitæ sanctitate celebrant, obiit anno 1091.

17. Alardus adfuit Concilio Claromontano, Cameracensium Episcoporum solatium singulare fuit, à quibus multas gratias accepit. obiit anno 1112.

18. VValbertus cujus tempore Monasterium Henricus Imp. in specialem protectionem suscepit anno Christi 1114. Obiit VValbertus anno 1115.

19. Venerabilis Oduinus, Summis Pont. Cæsaribus, Regibus perdilectus, vir sanctus, ob. 1142.

20. Egericus sanctitatis ut sedis successor, S. Bernardo familiaris & dilectus. Sub hoc fortuito casu exuritur Monasterium sed ob famam sanctitatis monachorū, symbolis collatis Principum & fidelium paulo post restauratur, obiit Egericus a. 1161.

21. Engelbertus & ipse proximorum vitæ perfectione æmulus post triennium obiit.

22. Leo & ipse brevi tempore, solum quinquennium præfuit, contra quem sese Goschimus obtrudit Schismaticus anno 1167. Paulo post à sede Remensi damnatus.

23. Lambertus vir eximius multis annis non tam præfuit quam profuit. Summis Principibus summo in pretio sacris & profanis, æternis meritis Cœnobio consuluit. Obiit 1191.

24. Gossuinus Abbas vir summæ pietatis, ut DEO serviret liberius post triennium resignat 1195.

25. Hugo exequutor Testamenti Balduini Comitis Hannoniæ constituitur.

26. Ægidius exactissimus Jurium Cœnobii propugnator, Fernandum Comitem apud Cæsarem accusans deprecari publicè cogit, & spondere emendationem, obiit 1228.

27. Henricus vix per 3. hebdomades præfuit & decessit, minus laudatus.

28. VValtherus Abbas laudatissimus quadraginta annis utilissimè præsedit & corpus S Gisleni elevari curavit, æternitate dignus ad eam concessit anno 1268.

29. VVilhelmus & hujus celebre nomen ab meritis extitit 1291.

30. Petrus I. sub quo magna gloria est Monasterii, quod Rudolphus Imp dicit: *cunctis venerandum disciplina monastica luminositate præradians, &c*

31. VValtherus II. & ipse summa cum laude Cœnobium gubernavit a. 1283.

32. Ægidius II, de Hayden, post quinquennium munus Abbatiale resignat.

33. Rogerius de Sars ex Crispinio postulatus, Primus ab Impp. Augg. S.R.I. Princeps declaratur, è vivis migravit sub. A. C. 1308.

34. Rogerus II. qui Henr. Imp. investituram accepit à nob. viro Theuse de Insula.

35. Philippus cogn. Marcinus ex commissione Episcopi Cameracensis separavit caput à corpore S. VValdetrudis post 6. annos regiminis obiit a. 1316.

36. Stephanus VVarelle nobilis genere meruit caput S Salomenæ Reginæ & Mart. neptis S. Ursulæ obiit de Monasterio benè meritus a. 1365

37. Stephanus Stagnum propè Monasterium mirabile & utilissimum miro modo collectis aquis effecit, & undique excoluit, obiit a. 1383.

38. Joannes de Commignies à summo Pontifice, designatus obiit a. 1390.

39. Guilielmus de Ville, vir nobili genere, multos è nobilitate egregio laudatissimæ vitæ exemplo à sæculi fluctibus ad religiosam disciplinam attraxit, obiit a. 1401.

40. Albertus de Gougnies, non diu præstitit subita morte ereptus a. 1404.

41. Joannes Laiens SS Th. D. laudabilis vitæ Præsul, vita excessit 1431.

42. Petrus II. ab Eugenio Papa denominatus, sub quo in temporalibus & spiritualibus plurimum Ursidungo accessit, obiit a. 1443.

43. Petrus III. de la Croix, vir generis nobilitate, animi præstantia, pietate & prudentia cultissimus, observantiæ regularis promotor, senio & morbis fractus ultro resignat, triennio post mortuus a. 1456.

44. Theodoricus du Chasteau Mitram & Pontificalia à Sede Apostolica meruit, triennio solo præfuit & obiit anno 1459.

45. Jacobus S. R. E. Cardinalis S. Eustachii à Calixto III. designatus primus Eheu! Commendatarius, paulo post (4. menses) morte ablatus

46. Jo-

46. Joannes Blarie à Pio II. Abbas denominatus & electione Fratrum haud multo supra quinquennium præfuit, mortuus anno 1465.

47. Joannes Fabri à Fratribus via Spiritus Sancti electus, & à Rom. Sede confirmatus, observantiam Regularem summo studio promovit Senior Coadjutorem sibi adjunxit ut totus soli DEO vacaret, obiit anno 1494.

48. Quintinus Devoist, Vir nunquam sine reverentia nominandus, Zelator Disciplinæ mirificus, Tutor & Pater Patriæ, cui varie consuluit, magnisque perfunctus est Legationibus, Philippum Regem solemniter excepit, Monasterium ejusque Basilicam splendidè excoluit, ad hoc specialiter Deputatus. Domi forisque magna gessit, meritisque dives ex hâc vita migravit anno 1527.

49. Carolus de Croy, professus Affligemiensis, ac dein Abbas ibidem, hujus etiam Cœnobii Abbatiam meruit, tandem creatus Episcopus Tornacensis, obiit anno 1564.

50. Matthæus Moullartius, vir verè Illustrissimus patriæ Belgicæ Propugnator electus à DEO, Religionis Catholicæ, ac pacis publicæ egregius defensor ac murus pro Domo DEI. Insuperabilis in omni fortuna, multiplices ærumnas & calamitates etiam captivitatem gravissimasque injurias ab Hæreticis perpessus. Atrebatensis denique Episcopus consecratus, dum Religionis plurimum satageret, infinitas adversitates sustinuit, per summam injuriam à rebellibus *Ventilabrum Seditionis* appellatus. Ad Regem Catholicum à Statibus Belgii Legatus, eidem Hannoniam, Arteliam Namurum reconciliavit. Duaci Seminarium Studiosorum, & in oppido Cœnobii Collegium pro humanioribus studiis erexit. Vita excessit Bruxellis anno 1600. ibi ob negotia patriæ occupatus.

51. Hieronymus Liertart, vir venerabilis conversationis, sub cujus regimine eo statu res Monasterii hujus fuere, ut primæva S.P.N. Benedicti tempora refloruisse viderentur, cujus Religionis odore attracti magni nominis viri illic vitam exigere & mori felicitatis summæ initium rati eodem se contulere. Et quia vir doctus erat, ipse etiam Theologicas lectiones discipulis habuit, eruditionemque juxta vitæ sanctitatem suis voluit, verbo & exemplo dictatam & commendatam. Tantus nihilominus vir in tribulationis fornace excoctus, suum elegans Cœnobium & Basilicam sacrilege vastari & diripi videre debuit; hisque malis patienter immortuus, paulo ante mortem recordatus alicui ex parentela cochlear argenteum donasse, statim repeti voluit asserens: *quia* inquit, *id dare nullatenus possum* adeo sollicitus Religiosæ paupertatis in Præsulatu observator. Vita excessit in Domino suaviter obdormiscens anno 1586.

52. Joannes Hazart. Animi submissione maximus jam antea Gerardimontanus electus Abbas, recusavit, ad hanc invitus assumptus est Abbatiam. Erga inopes largissimus super expoliatione Cœnobii id solum est questus, quod pauperibus pro voto subvenire non posset. Erga ægrotos similiter charitate superefluens Xenodochium in Urbe exstruxit, ægrisque ipse inservuit. Sacris eruditus litteris, opuscula quædam non minimi laboris edidit. Obiit anno 1604.

53. Amandus Dauvaing re & nomine amore omni dignissimus, omnium etiam votis desideratus & Abbas electus. Mirificè Domus DEI decorem dilexit & SS. Reliquias argenteis statuis, sarcophagis, thecis, &c. inclusit, illis quos tantopere coluerat in terris ipse junctus in cœlis anno 1618.

54. Gaspardus de Boullu, Prædecessoris sequutus exempla, pretiosis ornamentis Domum DEI instruxit, & vel maxime præcellenti opere corpus S. Gisleni condens, & statuæ exquisitæ artis ejusdem S. Caput includens. Homo frugi, sapienter, Regulariter & utiliter bona domus dispensavit. Obiit anno Christi 1618.

55. Petrus Trigaut. Summa animi demissione Antistes, quem à privato Religioso minimè discernas, sine famulo plerumque non domi solum sed & in itinere & in urbibus incedens. In egenos largissimus, in omnes benevolus, solertissimus disciplinæ Monasticæ custos, pretiosissimis tapetibus vitam S. Patroni Gisleni redhibentibus aliisque spectatissimis ornamentis Basilicam excoluit. Statuam S. Sulpitii argenteam confici curavit. Bibliothecam splendidam condidit magnoque librorum thesauro auxit. Vita excessit anno 1637.

56. Sulpitius de Blois, Sapientia, consilio scientia aliisque animi dotibus exornatus vix duobus annis præfuit, longiori vita dignissimus.

57. Augustinus Crulay, cujus memoria facta opus pigmentarii, quasi mel in ore omnium inculcabitur in æternas generationes. Vir ex Virtutibus totus compositus, scientia & pietate summè conspicuus. Reformationem Casinatum cum perpetua à carnibus abstinentia confirmante Urbano VIII post multiplices & graves difficultates introduxit. Offensius persæpe & graviter à resistentibus reformationi, ita patienter tulit, ut ipse ante Archiepiscopum, qui tales punire decreverat genuflexus veniam pro eis postularet, aliaque patientiæ singularis exempla ostendit; parcus sibi, largus aliis, pauperibus hilariter & liberaliter succurrebat, nihil atrocitate bellorum aliorumq. incommodorũ absterritus quominus eleemosynas largiretur. Orationi & lectioni sacræ deditissimus, cibi potusque abstinentia sese plurimum affligebat. Denique morbo diuturno & gravissimo summa cum animi resignatione patientissimè tolerato, requievit in Domino an. 1648.

58. Hieronymus Marlier, Antistes præstantissimus, omnium intentos in se oculos rapit, magna magnarum rerum à magno ingenio, indole optima expectatione, DEUS felicitet!

## VVALCKENRIEDTENSE.

SPlendidum olim in Ducatu Brunsuicensi Regulæ Benedictinæ Reformationis Cisterciensis Cœnobium, fundatum anno Christi 1127. pro viris Religiosis ab Adelheide Comitissa de Kleuenberg uxore Volckmari Comitis de Lauterberg dicatum & consecratum, anno Christi 1137. in Honorem Beatissimæ Matris Virginis & S. Martini Episcopi. Reformatur post mutatam in Principatu Religionem anno Domini 1546.

## VVALDTSEENSE.

CAnonicorum Regularium Ordinis S. Augustini in Suevia Cœnobium ad lacum cognominem, in ejusdem etiam nominis situm oppido, fundatum ab Friderico I. Imp. cogn. Barbarossa, de quo Monasterio jam egimus parte Germ. II. Nunc perfectiorem & locupletiorem Catalogum Præpositorum & nostra ætate Abbatum subjungimus:

1. Bertholdus Comes ab Heilgenberg primus, ipso Fundationis anno Præpositus, Christi 1181. incertum quamdiu præstiterit.
2. Rudolphus de Prato regimen tenuit sub annum Christi 1200.
3. Henricus I. claruit sub annum salutis 1225. obiit sub annum 1259.
4. Chuno sive Conradus eo nomine I. cl. an. 1270.
5. Henricus II. sedit ad clavum anno 1306. obiit sub annum 1326.
6. Conradus II. de Sulgen vir Nobilis, claruit anno 1328. usque 1353.
7. Henricus III. Comes de Veringen, superstes ad annum usque 1360.
8. Jacobus Baro de VValdsee Præpositum egit anno salutis 1364.
9. Henricus Comes de Thann Monasterio præfuit anno 1366. & 1369.
10. Joannes ex Præposito S. Martini in Monte Tiguri, hujus loci Rector anno 1375.
11. VVolffardus de VVolffurt cujus mentio in litteris anni 1379. obiit sub annum 1382.
12. Conradus VViser (interpretatur nonnemo de Prato) ex VVangen oriundus brevi tempore præfuit, annus non notatur.
13 Jacobus Spet Cœnobii regimen jam tenuit anno 1387. obiit sub annum 1400.
14 Jacobus III. Metscher præfuit jam anno Domini 1402 obiit 1418. 6. Novemb.
15. Venerabilis Conradus Kügelin ex VValdsee oriundus Beatæ, vulgo Bonæ Bethæ per 20. annos Confessarius Fundator Inclusorii in quo ipsa degebat in Reytti. Illa è mortalibus soluta evolavit 1. Julii anno 1428.
16. Petrus Mechaber ex Hopffenvveiler, obiit in die S. Alexii anno 1450.
17. Henricus Fuchs, Petri aliquandiu Coadjutor, natus Marckdorffii. Oeconomus præstans utilis Cœnobio Præpositus. Resignavit ob senium anno 1490. obiit 1492.
18. Christophorus Trugenhofer in Schismate ab una parte Capituli electus aliquamdiu præfuit, verum ab Hugone Episcopo Constant. rejectus, cedere debuit.
19. Lucas Horber de Ringenberg ex Præposito Novæ Cellæ prope Brixiam huc postulatus anno 1490 obiit anno 1503.
20. Adam Molitor VVurzachensis præfuit annis 20. mensibus 3. obiit 1523 5 Maji.
21. Hieronymus Schlaich ex Haisterkirch, postea Præpositus Novæ Cellæ & Concionator Cathedralis Brixiensis, obiit anno 1530. 6. Maji.
22. Christophorus Klocker ex Babenhausen, obiit 1567 5. Januarii.
23. Michael Rubin Marckdorffensis de Monasterio bene meritus obiit 1586. 7 Maji.
24. Jacobus Haine ex Eberhartszell, vita excessit 17. Novembris anno 1608.
25. Michael Spiegler ex Krauchenvvis. Resignavit anno 1615. Factus postea Hierarcha Claustralis in Oeningen.
26. Michael Geiger ex Langen-Argen, primus ex Præposito Abbas. Splendidum Bonæ Bethæ templum in Reytti ædificavit. Resignavit, & paulo post obiit 5. Nov. 1632.
27. Gregorius Pfeiffer Marckdorffensis, resignavit anno 1652. obiit 1665.
28. Melchior VVidenmann ex VVeingarten, cui faveat bonum Numen & fortunatum jubeat ad multos annos.

## VVALSRODENSE.

Virginum Benedictinarum Illustrissimum in Ducatu Lunæburgensi Cœnobium, olim Rode sive Rodense dictum fundatum anno Verbi Incarnati 986. à VValone Principe ab Anhalt, & ab eodem VValsrode cognominatum. Ita Inscriptio vetustissima habet: VValo de Anhalt Comes in Aschania & Dominus in Berneborch, est Fundator hujus Monasterii, dotatum olim splendide à Ducibus Brunsuicensibus. Hodie est Virginum Lutheranarum Gynecæu.

## VVEICHENSTEPHAN.

Celebre SS. Michaelis & Stephani Ordinis Benedictini extra muros Frisingenses situ edito longe elegantissimo Monasterium, fundatum anno 1021. ab Engelberto Frisingensi Episcopo, Comite de Mosburg, de quo plura tomo 2 Germaniæ. Inde prosequimur catalogum Abbatum, ubi tum desivimus.

46. In Ordine Abbas Thomas præfuit in magnis calamitatibus patienter & utiliter annis triginta, & religiose in Christo obdormiit anno 1553. 8. Id. Octobr.
47. Christophorus, in re domestica sedulus, obiit in Comitiis Ingolstadii celebratis 5. Cal. April. anno 1563. ad Monasterium reductus & sepultus.
48. Gaspar ex Cellerario Cœnobii unanimi consensu Abbas creatus, vir eruditus, insigni in rebus gerundis dexteritate, utilissime præfuit obiitque pridie Idus Aprilis 1576.
49. Paulus patria Salisburgensis, vir acri ingenio, valde pius erga defunctos in purgatricibus flammis detentos, obiit piùs Pater tertio regiminis anno 1579. 1. Maji.
50. Benedictus & ipse ex Cellerario Abbas concorditer electus, vir pius & religiosus, præfuit laudabiliter annis 20 cum dimidio, obiit Nonis Dec. 1599.
51. Sixtus ex Priore & Concionatore Cathedrali Abbas, vir nunquam satis laudatus seu laudandus, obiit in die S. Hilarii a. 1618.
52. Christophorus Festo S. Scholasticæ electus eodem anno, obiit 8. mense ipso festo nativ. B. V. M.
53. Georgius electus festo S. Dionysii 1618. unanimi consensu, præfuit annis ferè 27. obiitque Monachii 13. Cal Octobr. a. 1645.
54. Romanus electus 23. Octob. 1645. ex Priore Abbas vir Theologus & Philosophus egregiè doctus, obiit Monachii 6. Id. Febr. a. 1649.
55. Gregorius electus 11. Apr. a. 1649. à quo summà quævis summo ordinis bono viri Religiosi Monasterio pollicentur.

## VVEENDENSE.

Virginum, incertum nobis cujus Ordinis, in Ducatu Brunsuicensi Principatu Calenbergensi Monasterium, fundatum anno verbi Incarnati 1300. medio milliari à Gottinga dissitum, cum mutata Religione abalienatum.

## VVEINHAUSENSE.

Virginum similiter nobile Monasterium Ordinis, nisi fallimur Cistercíensis in Ducatu Brunsuicensi seu Lunæburgensi ad Allerum fluvium, uno milliari à Cella Residentia Principum dissitum, fundatum anno salutis reparatæ 1241. ab Agnete Marchionissa de Landsperg, reformatum post Religionis mutationem anno Christi 1530.

VVENNIG-

## VVENNIGSENSE.

INcertum nobis cujus Ordinis, sed in eodem amplissimo vetustissimorum Principum Ducatu Monasterium, situm in Principatu eorumdem Calenbergensi, duobus ab Hannovera milliaribus. De Fundatoribus & anno Fundationis nobis non constat.

## VVIGBRECHTS-HAUSENSE.

MAgno Veterum Pietatis argumento, & hoc nobile olim in eorumdem Serenissimorum Principum Brunsuicensium ditione Monasterium Virginum, fundatum anno salutis 1030. pro Ordine S. P. Benedicti, in Ducatu Calenbergensi, uno milliari ab Northeimio, versus Gandersheimium, eamdem cum aliis vetustissimis Fundationibus calamitatem passum, mutata antiqua in novam Religione.

## VVERTINENSE.

DE quo prolixe Cœnobio Benedictino ejusque DD. Abbatibus egimus tomo 2. hujus Operis. Nunc Syllabum SS Reliquiarum damus.

1. Corpus integrum S. Ludgeri primi Episcopi Monasteriensis, ex quo nodum Spinæ dorsi & particulam digiti sive articulum multis precibus à VVerthinensibus impetrans Illust. Christoph à Galen Episcopus Monasteriensis, sarcophagum insignem confici curavit & desuper argenteam sancti ejusdem quasi dormientis statuam collocavit, in qua particulas illas collocavit. Hæc à manu præsentis tunc testis, &c.
2. Parva statua ejusdem Sancti cum monstrantia in qua continetur gutta Sanguinis Divi Ludgeri, trigesima post obitum die de naribus ejusdem emanans, in signum, ut prædixerat, quod in VVerthinensi Cœnobio elegerit sepeliri.
3. De ligno SS. Crucis in cruce deaurata.
4. Caput S. Idæ Viduæ Patronæ & Fundatricis Ecclesiæ Hertefeldensis ad Luppiam fluvium.
5. Corpus S. Panafretæ Virg. Mart. & Soc. S. Ursulæ.
6. Corpus S. Saviniæ Virginis & Martyris ex eadem undecim millium Societate.
7. Notabilis pars S. Stephani Proto Martyris.
8. Notabiles partes S. Laurentii Levitæ & Martyris.
9. Notabilis pars de S. Clemente Romano Pontifice & Martyre.
10. De Capite S. Annæ Christi Servatoris Aviæ.

De minutioribus aliis partibus referre non libet.

## VVINDBERGENSE.

DE cujus Fundatione egimus tomo I. Circa Abbates & Præpositos loci, afferimus nunc, quæ diversa ab Hundii catalago sunt.

Eberhardus secundus loci Præpositus uno tantum anno præsedit.

Post Joannem decimum præpositum successit VVilhelmus, qui annis 7. rexit.

17. Præpositus Bernherus præfuit annis quinque cum dimidio.
19. Gotschalcus rexit annis 7.
20. Fridericus annis duodecim.
23. Joannes Hetzinger annis 18.
25. Bertholdus annis 10.
29. Jacobus Poyssl. annis 6.
31. Paulus sedit annis 16.
32. Sigismundus annis 7.
34. Caspar Schvvab annis 2.
38. Andreas Vögele vir admirandæ pietatis doctrinæ & eruditionis Restaurator, meritissimus Sacræ disciplinæ, virtutum omnium vivum exemplar. Ordinis per Bavariam, Carinthiam & Tirolim 25. annis vigilantissimus Visitator, obiit 16. Novembris anno 1631. cum 33. annis & 3. mensibus Monasterio sanctæ præfuisset.
39. Sabinus Aigeman vir magnæ eruditionis præfuit utiliter annis 2. mensibus 9. mortuus 25. Sept. 1634.
40. Michael Fuchs electus 1635. 29. Jan. captus à Suecis & crudeliter habitus, liber denique expoliato Monasterio plurimis modis consuluit, consulitque etiamnum, cui vitam ac reflorescentem ut Aquilæ juventutum sui omnes animitus apprecantur. Asservantur VVindbergæ Corpora S. Sabini Episcopi Spoletani & S. Serenæ.

## SANCTI VVINNOCI.

FUndatum est primitus Monasterium hoc Benedictinum anno Christi 1020. sive ut alii volunt 1028 à Balduino Flandriæ Comite, ubi jam olim S. VVinocus sibi cellulam & Oratorium struxerat, locumque magnis miraculis nobilitaverat, aliaque inter molam quæ perpetuo miraculo divinitus vertebatur impetraverat; locumque sepulturæ elegerat. Consecratum proinde est in honorem ejusdem Sancti & deinceps ab ipso cognominatum. Abbatum series hæc est:

1. Fridericus Abbas S. Bertini, cui Fundator primitus locum in perpetuam possessionem dederat, ipse juxta Bertiniani Cœnobii regimen, huic quoque loco per septennium præsidet.
2. Germanus secundus Abbas, à Friderico eodem S. Bertini Abbate præficitur, in quo munere vix quadriennium exigens, moritur.
3. Rumoldus S. Bertini & ipse Monachus, ab eodem Friderico Abbas S. VVinnoci constituitur. Præfuit annis 17. & vita excessit anno 1068. sub hujus regimine Balighertus hujus loci Monachus ex Anglia attulit corpus S. Levvinæ Virg. & Martyris.
4. Emengerus postulatus è Monasterio Bergensi, contra Privilegium Abbatis S. Bertini, hic Emengerum denique expulit & sequentem designavit.
5. Engelbertus nepos ex filia Comitis Flandriæ, juvenis etiamnum Abbas constituitur, verum & ipse paulo post exauctoratur, quod in electionem Robertus Frisius Flādriæ Comes nollet consentire.
6. Manasses Monachus Virdunensis Abbas obtruditur ab eodem Comite, Religiosis frustra reclamantibus, quibusdam etiam Monasterium deserentibus, anno Christi 1078. Hic prudenter atque utiliter rem administrans à Gregorio VII. annulum, mitram & sandalia impetrat, sed quod asperius Comitem allocutus esset, cedere jussus, assumptis secum privilegiis suæque dignitatis insignibus abscessit.
7. Engelbertus sive Inghelbertus, nuper juvenis nunc annis maturior, ad eamdem dignitatem revocatur, præfuit annis 31. mortuus anno 1101.
8. Ermengerus, de quo supra, revocatur ad Abbatiam, per summum Pont. & Morinorum Episcopum approbatus. Vix triennio superstes anno 1103. vivere desiit.
9. Hermes Monachus S. Bertini vir egregius combustum sub Engelberto Cœnobium restaurat non solum, sed ob disciplinam laudatissimum reddit. Sub ipso sanctitatis titulo celebratur S. Gervinus. Hermes post annos 14. resignat, cum plurimum Cœnobio profuisset.
10. Thomas è S. Bertini Monasterio, Abbas hujus loci

loci consecratur à Ioanne Morinorum Episcopo anno 1121. sub hoc anno 1123. tristi incendio Monasterium conflagravit. Sed & altera vice sub eodem, an successore anno 1133. Abbatia cum pluribus ædificiis cohærentibus est combusta.

21. Alsgerus, Monasterium egregiè post duo incendia reparavit, cujus Basilicam præsente Theodorico Comite Flandriæ in magno Procerum concursu consecrari fecit. Idem Abbas corpus S. VVinnoci 13. Cal. Oct. solenniter transferri à Milone Morinorum Episcopo curavit anno 1138.

22. Theodoricus, prius hinc in Abbatem Capellensem postulatus, inde hoc repetitus secum attulit capillos Genitricis DEI, in quarum die translationis deinceps concio ad populum fuit habita.

23. Ioannes, de cujus & successorum electione & obitu nec dies nec annus habetur.

24. Acherus.

25. VValtherus.

26. Alexius sub annum 1188.

27. Philippus.

28. Inghelmarus, sub quo anno 1221. creditur translatum corpus S. Osvvaldi Regis & S. Idesbergæ sive Idaberga ab Adam Morinorum Episcopo in præsentia Ioannæ Comitissæ Flandriæ & multorum Præsulum.

19. Guilielmus Abbas.

20. Ioannes cogn. Loys.

21. VValtherus.

22. Ægidius.

23. VVilhelmus Abbas.

24. Balduinus.

25. Petrus Ialelrin Chorum Basilicæ ingenti sumptu & mole molitus est, adhibitis præstantissimis Architectis.

26. Nicolaus cognomento Laij chorum denique absolvit anno Christi 1290.

27. Guilielmus Abbas.

28. Ioannes Abbas, quamdiu ignoratur.

29. Simon Flotyn, sub hoc creditur Rex Angliæ cum uxore & filia ad hoc Monasterium venisse, ut Ludovico Malano, filia desponsaretur, verum hic Regis filiam sprevit & rejecit, constructa tamen insignis domus est, eundem in finem, prope Ecclesiam, in qua solemnitas celebraretur.

30. Ioannes Abbas.

31. Iacobus Abbas.

32. Ioannes eo nomine V.

33. Ioannes VI.

34. Simon Moor.

35. Andreas Abbas.

36. Iacobus Pinchenier, sub quo Carolus VII. Rex Gall. hostiliter Anglos cum Gandavensibus huc confugientes persecutus, cum illi denuo effugerent, locum plurimum tribulavit, quo tempore quidam Monachus Gallus, prudente quodam laico, corpora SS. Osvvaldi, Levvinæ & Idabergæ abstulisse creditur.

37. Petrus de Haringa, Decretorum Doctor, ex Priore loci Abbas, Cœnobium post vastationem insigniter reparavit.

38. Michael, Abbas, de quo solum nomen.

39. Georgius Moor, ex Abbate Adenburgensi, hujus loci Monacho, huc revocatus, Mitram & Pontificalia Romæ impetravit vir summæ auctoritatis, præfuit annis 26. & mortalitatem exuit anno salutis 1420.

40. VValtherus Abbas.

41. Petrus ut saluti suæ vacaret resignat.

42. Ioannes Masius disciplinam restituit, Bertinianis consociatur amicitia, obiit Anno 1488.

43. Ioannes eo nomine octavus, de quo nihil præter nomen habetur.

44. Adrianus de Peurs, cujus tempore, fune rupto, quo corpus S. VVinnoci e sublimi pendulum demitti consueverat, confracta arcâ, sacra ossa quaquaversum disjecta & dissipata sunt, mox summa cum reverentia recollecta, in pleno conventu populi & plurimorum clarissimorum virorum à 4. medicis, totidemque expertissimis chyrurgis, sua omnia ordine juncta, novoque Sarcophago imposita & conclusa sunt anno 1506. Adrianus templum perfectius reddidit & insigniter excoluit. Mortuus est anno 1512.

45. Iacobus Abbas, quinquennium solum præfuit, obitque anno 15.7.

46. Iacobus Vlietbecanus, à Principe terræ obtrusus, frustra jus suum eligendi prætendentibus Asceтis, præfuit septennium. & defunctus est anno 1524.

47. Rolandus ex Abbate S. Petri prope Brugas, aliàs Blandini Monachus, loco huic vix triennium præfuit, & obiit anno 1527.

48. Franciscus Abbas annis fere novem præsedit, obiit sub annum 1535.

49. Gerardus Americourt, sub quo Dormitorium totum incendio conflagravit anno 1543 una cum Bibliotheca instructissima. Quibus reparandis dum sedulo incumbit Gerardus, ad S. Bertini Abbatiam promovetur, inde primus Audomarensis creatur. Clarus sub hoc tempus Gulielmus vanden Steene Scriptor hujus Monasterii egregius.

50. Franciscus Dauron, alias Heltaut ex Canonico Morinensi ad diversa loca à Cæsare promotus, hinc ad Blandinium translatus post novennium obiit 1565.

51. Hieronymus à Grimberga Liber Baro fit Abbas anno 1556. Sub hoc altera vice ab hostibus vastatum est Monasterium, & SS. etiam Reliquiæ direptæ. Obiit Hieronymus reparando intentus anno 1574. 2. Ian. Sub hoc floruit Petrus VVallon hujus loci Asceta doctissimus, genere æque nobilissimus scriptor egregius, qui alia inter anno 1570. Libros Institutionum Monachicarum scripsit, & suo Prælato dedicavit. Scripsit etiam librum insignem de causis Calamitatum Belgii.

52. Ioannes le Roy Ipris Abbas consecratus anno 1575. Sub quo Monasterium hostiliter direptum, Asceтæ capti, vestibus spoliati misere habiti. Ioannes de Roy Abbas Audomarensis creatur.

53. Ioannes Moslin Sacellanus Philippi II. Hisp. Regis, ex more obtrusus, sed non consecratus obiit, quod sacrum habitum fortassis recusaret.

54. Thomas Laurdeur factus Abbas an. 1589. ob. 14. Aug. an. 1590.

55. Carolus d'Argenteau, factus Abbas 1592. 28. Martii, vita excessit postquam Basilicam insigniter restauravet at atque exornaverat 26. Martii 1625.

56. Carolus d'Argenteau superioris nepos. Monasterio ulterius ornando intentus & patrui merita longe exsuperaturus laborat assidue cujus magnis conatibus, vires addere bonum Numen dignetur.

Servatur in hoc Cœnobio, præter alias SS. Reliquias corpus integrum S. VVinnoci quod festo SS. Trinitatis ex more Processione solenni circumlatum cum sarcophago in aquas demittitur, ut sic aqua ejus meritis benedicatur, & experientia constat si tunc statim in flascones & alia vasa excipiatur, mire medicas esse & ad 30. & 40. annos asservatas incorruptas conservari. Ajunt quantumvis arcam aquis altius mergere viri bajuli robustissimi pro viribus nitantur, nulla id ratione posse. Primam aquis imponendi causam fuisse ajunt, puero filio cujusdam submerso, cum inconsolabiliter parentes mortuum flerent, & de resuscitando spem firmiter haberent atque e profundo extrahendo, enixissimis denique precibus effecisse ut Abbas annueret, solemnique processione elatâ tumbâ, & eo loci aquis impositâ ubi puer submersus fuerat, puerum redivivum illico emersisse, & ad tumbam quasi plaudentem exiisse, atque sic parentibus summo omnium cum stupore redditum esse.

Servantur in eodem Cœnobio partes duæ vivificæ Crucis. De ossibus S. P. N. Benedicti, de ossibus S. Thomæ Apostoli. De brachio S. Martini Episcopi, & pl. al.

## WISSNOWTBRODENSE.

Benedictinæ Regulæ, Reformationis Cisterciensium celebre olim in Bohemia Monasterium, aliàs Alti-Vadi cognominatum, duobus à Crumlovio milliaribus distans, fundatum anno Christi 1259. à VVocone Domino de Rosenberg, cæterum domestica deinceps industria in eam, quæ hodie spectatur amplitudinem & magnificentiam promotum. Dominorum de Rosenberg Mausolæis celebre est, quorum tamen pauci Fundatoris sequuti vestigia plerique à pietate illius degeneres, Monasterium graviter afflixerunt, potioribus ejusdem abbatis proventibus, inque suas, uti sibi videbatur, utilitates conversis. Extant horribiles quædam litteræ Petri VVock de Rosenberg, quas dum sub extrema vitæ stimulis conscientiæ exagitaretur, ob plurimos Monasterio inflictas injurias, solenniter confectas judici & subscriptis, execrando Hæredes, & non modo temporalibus, verum etiam æternis pœnis eos faciendo obnoxios, qui Monasterium læsuri essent, ut non mirum videatur hoc Stemma Rosenbergiorum aliàs celeberrimum potentissimum lateque propagatum, omnino extinctum esse, siquidem contemptis tot maledictis, quibus ab antecessoribus irretiti fuere, Monasterio nocere usque ad Stemmatis sui interitum, non destitere. Floret hodie postquam defloruerunt Rosæ, & tacet Religiosorum Cœtus dies noctesque Psalmis & Canticis DEUM benedicit, laudabilem, gloriosum, & benedictum in sæcula.

## WOLMERSTATTENSE.

Virginum Benedictinarum magni nominis Monasterium in Saxonia lectissimarum Virginum frequentissimum copia, ex quo insignis Colonia deducta est anno Christi 1163.

## WULFINGHAUSENSE.

Virginum similiter in Ducatu Brunsuicensi, Principatu Calenbergensi Cœnobium fundatum anno Christi 1235. ab Equite Oldie Rhode, cum Religione mutatum.

## WUNSTORFFENSE.

In eodem amplissimo Ducatu splendidum olim Monasterium, fundatum anno Christi 876. pro Canonicis duodecim, Canonissis totidem, totidemque pauperibus, magnis deinceps proventibus auctum, quæ omnia Religionis mutatio devoravit, & mortuorum supremam voluntatem exsufflavit.

Restarent sexcenta alia similiter describenda Cœnobia, præter ea quæ tomo primo etiam & secundo dedimus, quæ cum tempore in Appendicem Operis rejecturi fuimus, ista dedimus, ne ulterius multorum expectationem suspenderemus, dum tamdiu symbolas, nimium tardantibus qui promiserant, expectaremus.

TIBI UNICO DEO UNA SALUS, QUI ES BENEDICTUS IN SÆCULIS ÆTERNIS.